Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

M. Tvllivs Cicero Mannvcciorvm Commentariis Illvstratvs antiquaeq. lectioni restitutus

Continens Libros III. de Officijs, Dialogus de Senectute, de Amicitia, Paradoxa, Somnium Scipionis, ex VI. lib. de Rep.


Cicero, Marcus Tullius

Venetiis, 1583


urn:nbn:de:gbv:45:1-770616

Visual Library

Landesbibliothek Oldenburg


CICE
OPER
TO. X
Spr IX 1
30:
10

Sgn. IV, 1
30 : 10



Landesbibliothek Oldenburg

5573

M. TVLLII

CICERONIS

OPERVM

TOMVS DECIMVS

Continens

{ *Libros III. de Officijs,*
Dialogos { *de Senectute,*
de Amicitia,
{ *Paradoxa,*
Somnium Scipionis,
(ex VI. lib. de Rep.

&

In eos Aldi Mannuccij Commentarium.

MVM MVM
AD. ILL. ET. EXCELL.
VESPASIANVM. GONZAGAM
COLVMNAM
DVCEM. SABLONETAE. ET. C.



CVM. PRIVILEGIIS

VENETIIS. CIↃ IↃ XXCIII
Apud Aldum.

Landesbibliothek Oldenburg

EX BIBLIOTHECA
OLDENBVRGENSI.

MO MO
ILL. ET EXCELL. D.

VESPASIANO GONZAGAE COLVMNAE DVCI. SABLONETAE

&c.

CVM uniuersa philosophia tres in partes distribuatur, unam, quae definiendi, diuidendi, & ratiocinandi praecepta tradit; alteram quae de moribus, uitaeq. communis officiis diiudicat; postremam, quae rerum naturae uim, effectus, caussasq. inquirit: saepe saepius mecum ipse reputare solitus sum, cum praeteritas omnes animo memorias euoluerem, Illustrissime, doctissimeq. VESPASIANE GONZAGA, ecquis umquam ex aliqua memoria uir exstiterit, qui pariter differendi acumine, moralibus uitae documentis, physicarum rerum cognitione germani philosophi nomen iure sibi uindicarit: tum uero ad hanc sapientiam tantum adiunxerit eloquentiae, ut summus is quoque, ac perfectus orator non immerito uocari posset. Cumq. ipse Graecos homines sapientes cunctarum artium, scientiarumq. magistros (paene auctores dixerim) memoria recensuerim, affirmare audeo, neminem ex tot, tantisq. in omni tum intelligendi, tum eloquendi, facultate uiris, me reperire potuisse, qui idem & de unaquaque philosophiae parte, quod praecipuum est, acute, sapienter, & uere disputasset, nec non germanae illius eloquentiae laude in omni dicendi genere floruisset. Summam in Socrate sapientiam, Apollinis quondam oraculo contestatam, qui philosophorum princeps, ac ueluti fons quidam fuit; a quo tam multae, tamq. inter se dissentientes in philosophandi ratione familiae processerunt: summam, inquam, in eo sapientiam fuisse intelligimus: excellentem, perfectamq. in eius discipulo Platone, cui cognomen Diuo indidit antiquitas, necnon Aristotele Platonis auditore, Peripateticorum principe: non uulgarem in Xenophane, Carneade, Chrysippo, Theophrasto, ne tam multos alios memorem, plerosque nobiles quidem philosophos, at cum principibus minime conferendos. Ex oratoribus in dicendo qui familiam ducant, scimus Isocratem, Lysiam, Demosthenem, Aeschinem, Hyperidem; ex historicis Thucydidem, Herodotum, Xenophõtem, Theopompum, omnes equidem in eo, quod professi sunt, artis, ac disciplinae genere praestantes: sed, si quaeras, in quonam ex iis uerae sapientiae, perfectaeque, & absolutae eloquentiae coniuncta laus enituerit, profecto, qui summus fuerit philosophus, idemq. perfectus orator, inuenias fere neminem. Nam in Platone quidem utrumque, summam scilicet sapientiam, absolutamq. eloquentiam agnosci qui dicunt, ii, si ita ut sentiunt loquuntur, se, grandiloquus qui sit, quiq. a uulgari consuetudine remotis, partim etiam poeticis tum uocabulis, tum dicendi formis utatur, quiq. interdum in dicendo νυμφόληπτος γένηται, quod in Socratis persona de seipso fatetur Plato; hunc, inquam, se uere eloquentem falso existimare satis demonstrant. Neque ego propterea summo illi uiro eloquentiã adimo: οὐχ' οὕτω μαίνομαι: sed absolutam illam, in qua nihil culpandum, & obelo notandum sit, minime tribuo. ualeant, qui Iouem ipsum, si Graece ei loquendum foret, ita locuturum putabant, ut est Plato locutus: quasi uero ex tot oratorum numero nemo sese Ioui obtulisset, qui Platonem sermonis puritate, & elegantia, uerborumque, ac sententiarum lepore anteiret. quod enim ad eius discipulum Aristotelem attinet, facile mihi ipsos assensuros scio, minime illum ut sapientia, sic quoque eloquentia

Landesbibliothek Oldenburg

cum magistro comparandum. Theophrastum diuinitate loquendi nomen inuenisse, noster inquit Cicero, cum antea Tytamus appellaretur: suauemque, & dulcem in dicendo scimus fuisse: uerum, an idem oratoris officium, quod est de unaquaque re prudenter, ornateq. dicendi, si ipsi plura, diuersaq. scribendi argumenta proposita essent, implere potuisset, minime mihi liquere dico: neque id cuiquam constare, qui nihil aliud tanti uiri aut legerit, aut acceperit, praeter ea, quae supersunt, puto. De ceteris, ne Te pluribus morer, idem a me dictum uolo. quod nemini uideam Graecorum adhuc contigisse, (Ciceronis uerbis utar) ut idem utroque in genere laboraret, sequereturq. illud forense dicendi, & hoc quietum disputandi genus. Transeo nunc ad Latinos, quorum mihi sese primus offert uir ille doctissimus undecumque Varro. quo nemo umquam doctior (aliorum ut testimonio, sic uerbis in eius laude libenter utor) ne apud Graecos quidem, nedum apud Latinos uixit; ut tamen is, quemadmodum ait Fabius, plus fuerit scientiae collaturus, quam eloquentiae. Ab hoc cum discesseris, uix unum aut alterum inuenias, qui Ciceroni doctrina sit exaequandus. Is enim non solum dialecticis, rhetoricis, philosophiae uniuersae, hoc est, physicae, atque ethicae; uerum & mathematicis disciplinis; neque his solum, uerum & iuris tum ciuilis, tum pontificii prudentiae luculentam nauauit operam. Quid? non ne militarem quoque disciplinam, ne quid ei deesset, tantopere excoluit: ut paullo fortasse magis apud Diodorum, Philonem, Posidonium, Molonē, reliquosq. praeceptores suos in schola profecerit, quam in castris Pompeii, cuius in exercitu sociali bello tirocinium militiae fecisse eum accepimus? ut idem summus philosophus, orator disertissimus Romuli nepotum quot sunt, sicuti ille cecinit, quotq. fuerunt, quotq. post aliis erunt in annis, optimus senator, strenuus miles, egregie fortis, & sapiens imperator, qui res triumpho dignissimas in prouincia gesserit, haud iniuria nuncupari possit. Is mihi unus ex omnibus, quos in uita legerim doctrina praestantes, cum minime uulgari sapientia perfectam eloquentiam coniunxisse, latiusq. Romani terminos eloquii, quam alii fines imperii, protulisse uidetur. Hic igitur patriae, non urbis modo, uerum etiam linguae, Pater salutandus, alio ue augustiori, atque honestiori nomine, si modo ullum reperiatur honestius, nobis iure compellandus est. Hic nobis summas opes, & ornamenta Latini sermonis labore summo, uigiliisque, & lucubrationibus peperit suis: hic mansuetiores musas antea sub Romano caelo non nisi transmarino habitu, Graeco inquam, conspectas, cognitasque, peregrino illo detracto, patrioq. Romanae urbis habitu indutas, compsit, ornauit, iisq. artis coloribus, pigmentisq. cohonestauit, ut hoc opus ex omnibus omnium ingeniorum operibus, ac monumentis immortali laude dignissimum fateri cogamur: cuius ea gloria, atque is splendor est, ut ei nullius futurarum aetatum operis claritudo tenebras obducere ullas posse uideatur. atque id ipsum longe admirabilius accidet cogitanti quae ipse cum in toga quaestor, aedilis, praetor, consul, tum in armis, reliquoq. omni reip. munere singulari uirtute gesserit, simulq. id, quod ab eodem accepimus, ipsum plura, & quidē subseciuis temporibus, quam omnino ex Latinis quem quam, conscripsisse. Quid enim ille non mandauit litteris? De Rhetorica arte quam multa, uitem de Philosophia, cum φυσικῆ, tum ἠθικῆ? ut neque Dialectica praetermiserit, quippe qui partem illam, quae loca argumentorum suppeditat, quam Graeci τοπικὰ uocant, erudite, & copiose nobis descriptam reliquerit. Orationes uero in omni dicendi genere tam multas fecit, ut quotquot hodie supersunt, quae nobis satis multae uidentur, sextam uix partem absoluant earum, quas ab ipso uel habitas, uel scriptas esse, ex eiusdem uerbis in Oratore didicimus. Nam de tot eius epistolis, quarum uolumina omnium manibus quotidie teruntur, nihil dicam, nisi ipsum in hoc scribendi genere longe post se Graecos, Latinosq. omnes reliquisse. Idemq. ut iurisconsultissimum fateare, quam diserte, quam prudenter disputat de legum origine, deq. legibus XII. Tabularum, in iis libris, quos de Legibus inscriptos longe plures edidit iis, qui hodieq. a nobis leguntur. Quid ais? ne a poesi quidem abhorruit. testantur id eius poemata, quae tametsi temporum iniuria uel penitus, uel certe maxima ex parte perierunt, de nomine saltem nota sunt, ut Aratus ab eo Latino carmine redditus, Pontius Glaucus tetrametro uersu ab adolescente conditus, Marius, Poema de consulatu, tres libri de temporibus, & alia. Quo in genere scribendi, quamuis is, ex iis, qui post se fuerunt, multis impar uideatur, ante se tamen omnes eum poetas sine controuersia uicisse intelligimus. Ac, ne ipsum unius lin-

guae

guae finibus coercuisse se, atque ex una laudem quaesisse putemus, non ignoras commentarium ab eo Graece conscriptum de rebus a se in consulatu gestis, quo Posidonius non solum non excitatus ad scribendum est de rebus iisdem, sed etiam plane perterritus. i, nunc, & aude cum Cicerone conferre Graecorum aliquem, uel Latinorum: aut dicito cum nonnullis, a Cicerone meram eloquentiam, nihil praeterea aliud, addisci posse. Ego uero, quod ad mores attinet, & uitae communis officia, me ex hac una de Officiis disputatione, quam ad Te nouis auctam, atque illustratam commentariis mittere decreui, longe plura didicisse scio, sapientissime VESPASIANE, quam ex multis multorum philosophorum disputationibus, commentariisq. antehac umquam didicerim. Nolo autem nunc actum agere. cum enim hos libros quam multis, uerisq. laudibus, quamq. eleganter alii Lectoribus commendarint, non ignorem, superuacaneam iudicii mei laudem fore omnem puto. tantum illud adiiciam, quae tribus his de Officiis libris a Cicerone docentur, paucissimis immutatis, quae a nostrae Religionis praeceptis plane abhorrent, nihil magis institutis Christianae fidei consentaneum, nihil Christiano homini utilius ex Ethnicae philosophiae fontibus hauriri posse me iudicare. eosq. libros tamquam officii nostri monitores numquam de manibus deponendos, immo uero in omni nostra tum publica, tum etiam priuata actione consiliarios esse nobis adiungendos. Atque ego cum hoc tempore nouis eos excuderem commentariis illustratos: quos tum ex aliorum, quae non ita facile comparari, aut haberi ab omnibus possent, tum ex meis lucubrationibus compositos in unum corpus redegi, ut, quae antea longe dissita, aut ab aliis explicata pluribus, seorsimq. diuersis uoluminibus, non sine aliqua temporis iactura, cognosci poterant, pleraque hoc uno uolumine studiosus Lector haberet; cum inquam hoc tempore sub praelo liber hic esset, mihiq. saepius eadem Ciceronis uerba legenti sese Officii nomen non semel offerret, de meo ipsius officio cogitare incepi: quantum ego principibus nobilitate, & fortuna uiris, a quibus docti homines magni, ut par est, fierent, quantum iis, qui tum nobilitate, tum etiam doctrina praestarent, quantum denique iis, qui cum utraque re excellerent, tum meipsum quoque incredibili quadam beneuolentia cõplecti praeseferrent, qualem Te esse cognoui, deinctus forem. Ego uero me Tibi non solum communi studiosorum, quos tantopere ornare, atque amplecti uideris, uerum & mea priuatim caussa, mirum in modum debere fateor, qui ad meas litteras, quas ad Te superiore aestate dedi, cum antea nullus inter nos usus, nulla consuetudo intercederet, familiarissime, atque humanissime rescripseris. Equidem, nobilissime VESPASIANE, (quod Tu non ignoras) ea demum uera nobilitas est, quae numquam abest ab humanitate, numquam a modestia seiuncta est; comites ubique habet affabilitatem, atque urbanitatem. Hanc in Te esse uno omnes ore praedicant; qui nobilitatem illam generis, a parentibus Tuis cum uita simul acceptam, ex Illustrissima inter Italicas omnes editus familia, multo maiorem Tuis moribus, multoq. clariorem reddideris. &, cum ceteras animi Tui uirtutes summis laudibus extollant homines minime inepti, quiq. numquam mentiri norunt; nihilo sane minores eruditioni tribuunt; quam in Te minime uulgarem, sed eximiam, & rerum maxime reconditarum, esse dictitant. Quid plura? in Te omnia dicunt esse, quae quidem in mortalem bona cadere possunt: Te nobilissimo genere ortum, summorum Principum amicitiis, atque affinitatibus, non exiguis opibus, amplissimis cli entelis, incredibili omnium gratia florere: simul optimis quibusque tum corporis, tum animi dotibus ornatissimum: si quemquam denique, Te ipsum sapientem, uereq. beatum appellari posse existimant. Quid igitur erit caussae, cur ego, cum primum se dederit occasio, me Tibi in clientelam, ac fidem tradere nolim? &, cum optimam mei partem optimo Principi dicandam censeam, quae quidem absque ulla controuersia in nobis est animus, cuius etiam pars est uis illa, quae ad inueniendum maxime ualet, ingenium, in quam; quid satius, quam ut mei, licet non admodum acuti, atque feracis ingenii monumenta, quae possum hoc tempore, in Tuam fidem commendem, ac sub Tuo felicissimo nomine producam in lucem? Quod cum mihi iam agere decretum sit, Te precor, atque obtestor, Illustrissime, atque humanissime VESPASIANE, si Te patronum ego meum optaui, si meum omne studium in Te contuli, ne despicias obsequium, atque obseruantiam in Te meam, meiq. ipsius patrocinium ne dedigneris: atque hos meos in Ciceronis de Officiis disputationem commentarios, a me Tibi, summo philosopho, & aequissimo

Principi,

Landesbibliothek Oldenburg

Principi, iure nuncupatos, hilari fronte suscipias, iisq. tua humanitate, ac sapientia patrocinere. Quo ex munere (si modo munus dicendum id erit, quod dum alicuius auctoritate commendamus, beneficium potius accipimus, quam damus) noli spectare quantum uelim, sed potius quid ego possim praestare. Vale etiam atque etiam.

Venetiis, Kal. Mai. CIↃ IↃ XXCI.

Illustrissimae, atque Excellentissimae D. T.

Deuinctissimus,

Aldus Mannuccius, Paulli F. Aldi N.

IN . LIBROS . TRES

M. TVLLII . CICERONIS DE . OFFICIIS

ALDI . MANNVCCII PAVLLI . F. ALDI . N. COMMENTARIVS

Argumentum Libri Primi.

VERSA *rep. ciuili bello Caesaris, & Pompeij, rebus omnibus ex unius arbitrio, nutuq. pendentibus, cum leges, & iudicia iacerent, non in curia, non in foro locus esset; retulit animum Cicero, quasi medicinam doloris, & solatium aduersae fortunae quaerens, ad intermissa philosophiae studia: nec uero tantum, ut unus ipse sibi legendo prodesset; uerum etiam, ut Latinorum hominum ingenia, quantum in ipso esset, ad earum artium, quarum plerique rudes, ignariq. adhuc erant, scribendo excitaret. Explicata igitur, & magna iam ex parte Latinis litteris illustrata philosophia, contulit se ad pulcherrimam, omniumq. nobilissimam de Officijs commentationem; utpote qua nec ad commodum humanae uitae, nec ad ornamentum quaestio magis ulla pertineat. Quae uero scribendi potissimum caussa fuit, ut absenti filio, & Athenis liberales disciplinas colenti, prodesset, ab ea initium sumit. Et, quoniam duas personas sustinet, patris unam, praeceptoris alteram: ordi tur a paterno iure, hortaturq filium, atque admonet, ut, quamquam philosopho clarissimo, eiusq. aetatis Peripateticorum principi, Cratippo operam det; nec dubitandum sit, quin, eo doctore, annuo praesertim iam studio, tantum profecerit, ut ijs praeceptis, atque institutis, quibus ad sapientiam uita dirigitur, non modo non egeat, uerum etiam abundet; sua tamen Latina*

Landesbibliothek Oldenburg

scripta non aspernetur; idq. non tam propter doctrinam, a Peripateticorum praeceptis interdum, sed tamen haud ita multum dissidentem, quam ut, dum Graecas tractat artes, Latinae simul facultatem augeat orationis. Atque hoc loco, ipse sibi uidelicet egregie notus, in suas laudes digreditur: parum modeste, dicet aliquis: ita, si cum alijs loqueretur: sed, quia cum filio, excusationem laudatio, uera praesertim, habere iustam uidetur. certe enim hoc neque negabit quisquam, neque negare iure possit, uicisse eum in oratoria laude Latinos omnes, Graecos adaequasse. Graecis quidem ipsis in eo etiam praestitit, quod illi uno tantum industriae genere floruerant, ut Plato, Aristoteles, Theophrastus tradendis philosophiae praeceptis, Demosthenes, Aeschines, Isocrates oratoria facultate: ipse autem cum in forensi genere dicendi ita uersatus est, ut omnium concessu palmam tulerit; tum etiam, oppressa rep. otium in communi calamitate nactus, ne prorsus nihil ageret, suis in uillulis, omissa plane rerum urbanarum cura, scripsit egregios de philosophia libros: quorum alij nunc exstant, teruntur q. manibus eorum, quibus & sapere, & bene dicere simul curae est; alios uel temporum, uel hominum iniuria consumpsit. Hoc igitur, quod ad Graecos attinet. nam Latinos quin utroque pariter genere, & agendis caussis, & praeceptis de philosophia tradendis, longo post se omnes interuallo reliquerit, esse neminem arbitror, qui negare audeat, aut possit. Hac absoluta parte, causssas exponit, quibus hoc potissimum argumentum delegerit. eae duae sunt, una, quod adolescentem ijs maxime deceat praeceptis erudiri, praesertim a patre, quibus instructus, in reliqua aetate dedecus, ac turpitudinem uitet, laudem, ac dignitatem sequatur: altera, quod sibi, maximis in rebus, causssisq. reip. uersato, summis magistratibus, & honoribus perfuncto, nulla magis quaestio, quam quae ad inuestigandam officij notitiam pertinet, conuenire uidebatur. siquidem hac notitia nihil esse fructuosius, aut praestantius, ex eo constet, quod nulla prorsus, quae officio uacet, uitae pars est: ut, si quis officium ignoret, is nec amicitiam, nec ullam plane uirtutem colere possit. Tertio loco aggreditur ad id, quod ei propositum est, ut de officio disputet: & eo quidem ordine narrationem instituit, ut nihil illustrius, nihil commodius, nihil omnino ad intelligentiam aptius esse uideatur. Quod quisque uelit, sentiat: liberum est enim: ego ne ipsius quidem Aristotelis ordinem, quem seruauit in Ethicis, cum hoc Ciceronis ordine contulerim; aut, si contulerim, non praetulerim certe. Hic quattuor initio uirtutes proponuntur, Prudentia, Iustitia, Fortitudo, Temperantia. ex his deinde, tamquam ex quattuor fontibus, honestum, & ex honesto officium deducitur, ac deriuatur. Quid elegantius? quid etiam huiusce doctrinae cupido lectori iucundius? Ipsas uero uirtutes ita ornat singulas, ita suis quasi coloribus pingit, atque illustrat, non modo ut formam cuiusque, ac speciem,

sed

sed uim etiam, atque utilitatem separatim liceat intueri. Neque hac diligentia contentus, adiuuat doctrinam exemplis. quae, quis est, qui non cum uoluptate legat, sumpta praesertim a claris uiris, aut a notis gentibus? Hoc in genere, si necessarium est, parcus, & siccus Aristoteles; si non est, grauis, & magnificus, qui totus haereat in rebus ipsis, reliqua tamquam inania contemnat. sed tamen uarietatem interdum aliquam, ad uitandam satietatem, subtilior quoque doctrina desiderat; & eo magis, quod obscuriorem sua natura rem illustrari saepe uidemus exemplo. quod quia praeter ceteros unus animaduertisse, ac nouisse Cicero uidetur, propterea non unum, aut alterum amatorem habet, sed omnibus fere, qui elegantiore sunt ingenio, in delicijs est, omnium sinu excipitur, omnibus in otio periucundus, nemini ne in negotio quidem grauis, aut molestus est. Hanc disputationem excipit illa dubitatio, duobus propositis honestis, utrum sit anteponendum. de quo ita statuitur: si honestum illud, quod ad omnes, aut ad multos pertinet, cum eo concurrat, quod ad unum, aut ad paucos; non esse dubitandum, quin communis honesti maior habenda ratio sit, quam priuati: quod si communia plura sint, in ipsa communitate cautionem quandam requiri, & gradus obseruari quosdam officiorum oportere: ne, si paria putentur, peccetur in delectu, & honestum illud commune, alteri communi honesto iniuria antelatum, honestum esse desinat, &, quod per se laudabile est, ex comparatione uitiosum, ac turpe uideatur. nam, ut inter communes, priuatasq res, euenit saepe, ut honesta duo concurrant: sic in ipsa communitate potest honestorum duorum exoriri eadem illa contentio. Sed, si cogitabitur, primam a nobis caritatem, beneuolentiamq. dijs immortalibus, alteram patriae, tertiam parentibus, gradatim deinde reliquis deberi: erroris occasio penitus auferetur omnis. licebit enim perspicere, quae cuiusque dignitas officij sit, & qui cuique locus in ipsa etiam communitate debeatur. Atque haec libro primo, distincta partibus, exornata uerbis, aucta, & amplificata sententijs, Cicero persequitur.

Landesbibliothek Oldenburg

ΠΡΟΛΕΓΟΜΕΝΑ

MILITARIS induſtria primas partes, alteras litterarum ſcientia Romae tulit. armorum ſtudium, ut alia fere ex alijs bella oriebantur, aut numquam, aut raro admodum intermiſſum, tanto in honore fuit, quanto decuit eſſe illam artem, cuius munere ceterae coluntur artes, & quae niſi ſit, reliqua, quae ſunt, diutius eſſe non poſsint. Nec ſua litteris adiumenta defuerunt. cum enim poſt Punica bella, ſublato iam hoſtili metu, pax, & otium ad elegantiam doctrinarum, & ad mitiora ſtudia ciuium animos conuertiſſet, exſtitit praeclarus ille mos, ut adoleſcentes erudiendi gratia Athenas mitterentur: quemadmodum hodie Patauium, Bononiam, alioue confluere multos uidemus, ut mox, pulcherrimarum artium ſcientia ornati, atque inſtructi, ad ſuos redeant, ſibique, ac familiae rem, decusq. parent. Haec igitur Ciceroni praeter ceteros mens, cupiditasq. fuit, ut Marcum filium ſtudijs philoſophiae, ſine quibus eloquentiam eſſe nullam, aut certe debilem, aut mancam intelligebat, ſummis doctoribus erudiendum traderet. itaque miſit eum Athenas paullo ante bellum Hiſpanienſe, quod inter Caeſarem, & Pompeij liberos geſtum eſt. nam ciuilis belli principijs, cum in Pharſalia duce Pompeio Magno pugnatum eſt, non interfuiſſe tantum Ciceronem filium, ſed turmis etiam equitum praefuiſſe, facile eſt ex ijs uerbis intelligere lib. 11. Off. Tua aetas incidit in id bellum, cuius altera pars ſceleris nimium habuit, altera felicitatis parum. quo tamen in bello, cum te Pompeius alae alteri praefeciſſet, magnam laudem & a ſummo uiro, & ab exercitu conſequebare, equitando, iaculando, omnia militari labore tolerando. Iuiſſe autem Athenas Ciceronem adoleſcentem paullo ante, quam Caeſar contra Pompeij liberos in Hiſpaniam proficiſceretur, ſatis illa ipſa prima uerba declarant lib. 1. Annum iam audientem Cratippum. Annuum enim ſpatium intercedit ab initio Hiſpanienſis belli ad illud tempus, quo Cicero hos Officiorum libros coepit ſcribere. coepit enim ſtatim poſt Caeſaris necem. nam, ubi de Iniuſtitia loquitur, Declarauit, inquit, id modo temeritas C. Caeſaris, qui omnia iura diuina, & humana peruertit, propter eum, quem ſibi ipſe opinionis errore finxerat, principatum. Accedunt epiſtolarum ad Att. teſtimonia: quae quia ſunt in promptu, omnibusq. patent, omittantur. Miſſo igitur Athenas filio, dabat operam ſcribendis de philoſophia libris, abiecta prorſus & ſenatorij muneris, & forenſium cauſſarum cura. Interim, orta ciuium nobiliſsimorum coniuratione, in Pompeij curia Caeſar eſt interfectus: & facta ſunt, M. Antonio conſule ſenatum habente, S. C. duo, unum in ſententiam Ciceronis, ut omnis ueterum diſcordiarum memoria, pacis inter ciues conſtituendae gratia, obliuione ſempiterna deleretur; alterum, ipſo referente Antonio, ut Dictatoris nomen, quod ſaepe iuſtum fuerat, ob recentem perpetuae dictaturae memoriam funditus e rep. tolleretur. mutata publicarum rerum forma uidebatur, ſic, ut in ſpem libertatis antiquae minime dubiam erigerentur animi ciuium bene de rep. ſentientium. ſed eam breui ſpem eripuit Antonij conſulis concordiae publicae ſemper infenſa, diſſimulata paucis diebus improbitas. nam, cum ſe in illo S. C. patronum libertatis, potentiae uero ſingularis, ad quam, recenti C. Caeſaris exemplo, tacite uiam affectabat, aduerſarium acerrimum profeſſus iam eſſet; poſtea, orationis in funere Caeſaris habendae munere ſuſſcepto, commemoratis eius rebus geſtis, maximisq. erga populum Romanum meritis, ueſte demum C. Caeſaris, multis gladiorum ictibus, perfoſſa, ad commouendam miſerationem, explicata, in eum furorem populum impulit, ut ad aedes coniuratorum per uniuerſam urbem cum facibus, telisq. ſtatim diſcurreret. ita, rerum omnium tamquam orbe

repente

repente conuerso, M. Antonius, & reliqui Caesarianarum partium duces, in urbe dominabantur, ita contemptis legibus, ac iudicijs, ut, sublato tyranno, tyrannidis tamen omnia signa cernerentur. Brutus, & Cassius, quiq. cum eis praeclarum illud facinus consciuerant, concitati populi metu, ex urbe profugerunt: boni ciues in senatum uenire, & sententiam pro rep. dicere, magna militum manu ipsam curiam, iussu Antonij consulis, obsidente, non audebant. Tum Cicero, desperata libertate, primum in Graeciam ad filium nauigare coepit; deinde, ex medio cursu ab ipsa rep. reuocatus; postremo, rursus amissa communis concordiae spe, totus ad litteras conuersus, libros Officiorum composuit, ita sane diligenter, ut ne inter Graecos quidem praestantius quidquam, aut moribus hominum conformandis accommodatius esse uideatur. Quid autem acciderit, ut, mutata sententia, Cicero in urbem redierit, ipso narrante ostendam. Phil. 1. sic: Cum Brundisium, iterq. illud, quod tritum in Graeciam est, non sine caussa uitauissem; Kalendis Sext. ueni Syracusas; quod ab ea urbe transmissio in Graeciam laudabatur. quae tamen urbs, mihi coniunctissima, plus una me nocte cupiens retinere non potuit. ueritus sum, ne meus repentinus ad meos necessarios aduentus suspicionis aliquid afferret, si essem commoratus. Cum autem me ex Sicilia ad Leucopetram, quod est promontorium Rhegini agri, uenti detulissent; ab eo loco conscendi, ut transmitterem: nec ita multum prouectus, reiectus Austro sum in eum ipsum locum, unde conscenderam. cumq. intempesta nox esset; mansissemq. in uilla P. Valerij, comitis, & familiaris mei; posttridieq. apud eundem, uentum exspectans, manerem: municipes Rhegini complures ad me uenerunt, ex ijs quidam Roma recentes: a quibus primum accipio M. Antonij concionem: quae mihi ita placuit, ut, ea lecta, de reuersione primum coeperim cogitare. Nec ita multo post, edictum Bruti affertur, & Cassij: quod mihi, fortasse quod eos plus etiam reip. quam familiaritatis gratia, diligo, plenum aequitatis uidebatur. Addebant praeterea (fit enim plerumque, ut ij, qui boni quid uolunt afferre, affigant aliquid, quo faciant id, quod nunciant, laetius) rem conuenturam, Kalendis Sext. senatum frequentem fore, Antonium, repudiatis malis suasoribus, remissis prouincijs Gallijs, ad auctoritatem senatus esse rediturum. Tum uero tanta sum cupiditate incensus ad reditum, ut mihi nulli neque remi, neque uenti satisfacerent. Et in ep. ad Cornificium: Ego tuorum consiliorum auctor, dignitatisq. fautor, iratus temporibus, in Graeciam, desperata libertate, rapiebar; cum me Etesiae, quasi boni ciues, relinquentem remp. prosequi noluerunt: Austerq. aduersus maximo flatu me ad tribules tuos Rhegium retulit: atque inde uentis, remisq. in patriam omni festinatione properaui: posttridieq. in summa reliquorum seruitute liber unus fui. Et ad M. Brutum: Cum teneri urbem a parricidis uiderem, nec te in ea, nec Cassium tuto esse posse, eamq. armis oppressam ab Antonio; mihi quoque ipsi excedendum putaui. taetrum enim spectaculum, oppressa ab impijs ciuitas, opitulandi potestate praecisa. sed animus idem, qui semper, infixus in patriae caritate, discessum ab eius periculis ferre non potuit. itaque in medio Achaico cursu cum Etesiarum diebus Auster me in Italiam, quasi dissuasor mei consilij, retulisset, te uidi Veliae. Et, ut erat gloriae cupidus, amplificatione interdum utens, reip. uoce se dicit esse reuocatum. ad Plancum enim cum scriberet, Abfui, inquit, proficiscens in Graeciam: &, posteaquam de medio cursu sum reip. uoce reuocatus, numquam per M. Antonium quietus fui. In extremo autem lib. III. Off. ita cum filio loquitur: Sed ut, si ipse uenissem Athenas; quod quidem esset factum, nisi me de medio cursu clara uoce patria reuocasset; aliquando me quoque audires: sic, quoniam his uoluminibus ad te profecta uox mea est, tribues his temporis, quantum poteris; poteris autem, quantum uoles. Reuersus igitur in urbem Cicero, animaduersa, ut dixi, contra quam sperauerat, reip. perturbatione, rursus urbe egressus, in uillis suis libros hos de Officiis, ut reliquos de philosophia, composuit. Misit autem eos ad filium, ut, quem carissimum, unicumq. habebat, eius animum saluberrimis ad omnem honestatem, omnemq. laudem praeceptis imbueret. Sed nescio quo paene communi filiorum morbo, a praeclaris parentibus degenerantium, Cicero filius, siue id naturae uitio, siue uoluntatis acciderit, a patris gloria longe deflexit. Pater a prima adolescentia sobrie, continenterq. uixit, diu, noctuq. studijs deditus bonarum artium, nihil omnino gulae, aut inhonestis uoluptatibus indulgens, totus uirtutis amore flagrans. filius, quasi ad eum simul cum re familiari

liari paternae uirtutis gloria, nullo suo labore, peruentura esset, imitatione domesticae industriae neglecta, uino, ebrietatibus, luxuriae se totum tradidit. Et, ut alia omittantur, uno Plinij maioris exemplo contentus ero. Tergilla, inquit, M. Ciceronem filium binos congios simul haurire solitum ipsi obijcit, Marcoq. Agrippae a temulento scyphum impactum. etenim haec sunt ebrietatis opera. sed nimirum hanc gloriam auferre Cicero uoluit interfectori patris sui M. Antonio. is enim ante eum auidissime apprehenderat hanc palmam. Haec Plinius. Pater tamen, quod ad eum attinuit, filij gloriae, quantum in ipso fuit, dum uiueret, consuluit: ut etiam blanditijs, ac fere precibus cum ipso de sua laude agat. in extremo enim tertio libro, Vale, inquit, mi Cicero; tibiq. persuade, te mihi quidem esse carissimum, sed multo fore cariorem, si talibus monumentis, praeceptisq. lactabere. Iam in epistolis quam diligenter eum, Athenis operam Cratippo dantem, Attico commendet, ne quid ei deesset, quod ad uictum, & cultum, spectaret, omnibus intelligere facile est, qui epistolas ipsas legerint. Non optime tamen, ut erat in primis acuto, longeq. in posterum prospiciente ingenio, de filij indole uidetur existimasse. cuius dubitationis exstat signum illud, ep. 46. lib. XIII. ad Att. Turpe est nobis, illum, qualiscumque est, hoc primo anno egere. Et ep. 16. lib. XV. Leonidas retinet illud suum, Adhuc: quod est dubitantis, non fidentis, testimonium. Sed haec quasi πάρεργα.

INSCRIPTIONEM, de Officijs, quia plenior esse uidetur, quam, de Officio, propterea magis probauit: licet Panaetius, quem se fatetur imitari, cum in eodem uersaretur argumento, suos libros inscripsisset, περὶ τοῦ καθήκοντος: quod est, de Officio. qua de re Ciceronem ipsum audiamus. ad Att. ep. 13. lib. XV. Nos hic φιλοσοφήσεσθα: quid enim aliud? & τὰ περὶ τοῦ καθήκοντος magnifice explicamus: προσφωνήσεις. Ciceroni: qua de re enim potius pater filio? Et ep. XI. lib. XVI. Τὰ περὶ τοῦ καθήκοντος, quatenus Panaetius, absolui duobus: illius tres sunt. Ibidem, infra: Quod de inscriptione quaeris, non dubito, quin τὸ καθῆκον officium sit: nisi quid tu aliud: sed inscriptio plenior, de Officijs: προσφωνῶ autem Ciceroni filio. Haec ille. Sed accedit illa quoque ratio; quod, ut saepe ipse gloriatur, plura tractat officiorum genera, quam Panaetius. recte igitur, de Officijs, ob ea, quae persecutus est, a Panaetio praetermissa. quamquam (ut aliquid pro Panaetio dicam) nisi me fallit aurium iudicium, in Graeco sonat aptius, & omnino uidetur elegantius, περὶ τοῦ καθήκοντος, quam, περὶ τῶν καθηκόντων. nam, quod ad significationem attinet, aeque omnia, quamuis multa, complecti singularis numerus & potest, & solet. itaque, cum essent plura diuinandi genera, de diuinatione tamen inscribere Cicero maluit, quam, de diuinationibus: quae plenior inscriptio fuisset.

Officiales libros appellat Lactantius lib. VI. cap. XI. & 18. De Panaetio autem uide Plinium in Praefatione, & Agellium. Scripserat & Brutus librum περὶ καθήκοντος. auctor Seneca Epist. lib. XV. & Chrysippus libros περὶ κατορθωμάτων. Plut. in Opusc. & alibi. Citat & eundem Chrysippum ἐν τῷ περὶ καθήκοντος, tum alibi, tum in septimo. Cleanthes scripsit lib. tres περὶ καθήκοντος. Citatur & Posidonius ἐν τῷ πρώτῳ περὶ καθήκοντος. Laertius. & Hecato Rhodius. idem Laertius. Sed primus scripsit Zeno Citiaeus, auctore eodem Laertio, & Suda. Sed & Epictetus in Enchiridio quiddam scripsit. Et Aristotelem de Officijs scripsisse, D. Ambrosius tradit: qui totam hanc materiam Christianis exemplis mirifice illustrauit.

Landesbibliothek Oldenburg

M. TVLLII CICERONIS DE OFFICIIS AD MARCVM FILIVM LIBER I

CICERO

QVAMQVAM *te, Marce fili, annum iam audientem Cratippum, idq. Athenis, abundare oportet praeceptis, institutisq. philosophiae, propter summam & doctoris auctoritatem, & urbis; quorum alter te scientia augere potest, altera exemplis: tamen, ut ipse ad meam utilitatem semper cum Graecis Latina coniunxi; neque id in philosophia solum, sed etiam in dicendi exercitatione feci; idem tibi censeo faciendum; ut par sis in utriusque orationis facultate. quam quidem ad rem nos, ut uidemur, magnum attulimus adiumentum hominibus nostris; ut non modo Graecarum litterarum rudes, sed etiam docti aliquantulum se arbitrentur adeptos & ad dicendum, & ad iudicandum. Quamobrem disces tu quidem a principe huius aetatis philosophorum, & disces, quam diu uoles: (tam diu autem uelle debebis, quoad te, quantum proficias, non paenitebit) sed tamen, nostra legens, non multum a Peripateticis dissidentia, (quoniam utrique Socratici, & Platonici esse uolumus) de rebus ipsis utere tuo iudicio: nihil enim impedio: orationem autem Latinam profecto legendis nostris efficies plenio-rem. nec uero hoc arroganter dictum existimari uelim. nam, philosophandi scientiam concedens multis; quod est oratoris proprium, apte, distincte, ornateq. dicere, quoniam in eo studio aetatem consumpsi, si id mihi assumo, uideor id meo iure quodam modo uindicare. Quam obrem magnopere te hortor, mi Cicero, ut non solum orationes meas, sed hos etiam de philosophia libros, qui iam se illis fere aequarunt, studiose legas. uis enim dicendi maior est in illis: sed hoc quoque colendum est aequabile, & temperatum orationis genus. & id quidem nemini uideo Graecorum adhuc contigisse, ut idem utroque in genere laboraret, sequereturq. & illud forense dicendi, & hoc quietum disputandi genus: nisi forte Demetrius Phalereus in hoc numero haberi potest, disputator subtilis, orator parum uehemens, dulcis tamen, ut Theophrasti discipulum possis agnoscere. nos autem quantum in utroque profecerimus, aliorum sit iudicium: utrumque certe secuti sumus. equidem & Platonem existimo, si genus id forense dicendi tractare uoluisset, grauissime, & copiosissime potuisse dicere; & Demosthenem, si illa, quae a Platone didicerat, tenuisset, & pronunciare uoluisset, ornate, splendideq. facere potuisse. eodemq. modo de Aristotele, & Isocrate iudico: quorum uterque, suo studio delectatus, contempsit alterum.*

EXPLANATIO

QVAMQVAM *te, Marce fili,* } paucis uerbis egregium artificium in cohortando ad philosophiam filio licet animaduertere. nam & Cratippum, & Athenas ideo nominat, ac laudat, ut ostendat, qui talem doctorem sit nactus, in ea praesertim urbe, quae praestantissimorum philosophorum copia semper floruerit, clarosq. uiros, liberalibus disciplinis excultos, in omnes fere orbis terrae partes diuersis temporibus emiserit, & turpe admodum esse, uertiq. uitio iure posse, si, tam praeclaris non commotus exemplis, optimarum doctrinarum expers, inanisq. domum redeat. His duabus causis tertiam adiungit, spatium temporis, quo cum doctorem, in ea urbe audiat. nam, cum ait, Annum iam, admonitio quaedam est, quid annuo studio praestare debuerit. Ex quibus tribus causis intulit uerbum, Oportet.

Landesbibliothek Oldenburg

non enim, Arbitror, aut simile quippiam, satis esse duxit, sed, Oportet: cum antecedant illa, Audire Cratippum, Audire Athenis, Audire multis mensibus. quo efficitur, nisi ualde iam profecerit, culpam, & infamiam uitare non posse. Athenas, & Cratippum coniungit etiam in prooemio lib. III. ANNVM *iam*} annuum tempus conficiebatur post Kal. Apr. ut patet ex lib. XV. ep. ad Att. AVDIENTEM} quod magis est, quam priuatim studere. Prouerbium est: Ζώσης φωνῆς μᾶλλον τὴν ἐνέργειαν εἶναι. ideſt: Viuae uoci maiorem uim inesse. CRATIPPVM,} hic Peripatetica scientia claruit. Infra: Discis tu quidem a principe huius aetatis philosophorum. Et lib. II. In antiquissima, nobilissimaq. philosophia Cratippo auctore uersaris, ijs simillimo, qui ista praeclara pepererant. Et lib. III. A Cratippo nostro, principe huius aetatis philosophorum, hoc te audire, atque accipere confido. Hic Mitylenaeus fuit: proq. eo Cicero apud Caesarem egit, cum rerum potitus esset, ut ciuis R. adscriberetur; persuasitq. senatui Areopagitarum apud Athenienses, ut instituendae iuuentuti praeficeretur. De eo uide, quid dicat Cicero filius in ep. ad Tironem lib. XVI. Pompeium, e Pharsalica clade aufugientem, apud Mitylenem occurrens, solatus est argumentis e philosophia depromptis. ATHENIS,} olim ciuitate libera, nec indiga ullius praeconij amplius, tanta claritas superfluit, ut inquit Plinius. Plato φιλόλογον, & πολύνοιαν appellat. Cic. pro Flacco ab ea ait humanitatem, doctrinam, fruges, iura, leges ortas, atque in omnes terras distributas. Vide Xenophontem in dictis, & factis Socratis, Isocratem in Panegyrico, Cic. de Fato, de Leg. II. de Oratore, Iustinum lib. II. Florum lib. III. cap. 5. Plutarchum in Cimone, Pausaniam in Atticis. ABVNDARE} non modo non egere, sed etiam abundare. OPORTET} par est, credibile est: prorsus ratio postulat, ut abundes: nec aliter credendum uidetur. PRAECEPTIS, *institutisq. philosophiae*, } perpendenda interdum singula sunt uerba: ne Ciceronis elocutio, aptam sententijs, utilemq. copiam suppeditans, non intelligentibus inanis, & superuacanea uideatur. Instituere plus est, quam Praecipere. praecepta enim docent, quid agendum sit: nec tamen omnes, quibus praecipitur, ita se gerunt, ut praeceptorum sententiam uita, & moribus exprimant. instituta uero plane formant, & fingunt eorum animos, quibus praecepta traduntur, sic, ut a praeceptorum regula nihil, aut minimum discedant. quo maior in Ciceronis cohortatione uis est, qui filium admoneat, non eum nosse tantum oportere, quae philosophia praecipiat, sed ita etiam institutum esse, ut ea, quae nouerit, simul agenda sibi esse constituat. PROPTER *summam & doctoris auctoritatem, & urbis*; } Vrbis, ob exempla. Doctoris, ob scientiam. Auctoritas eam uim habet, ut ipsa per se, uel si ratio nulla, cur aliquid agamus, afferatur, nos tamen ad agendum impellat. ratio autem, si auctoritate careat, saepe languet. Est enim auctoritas in eo, de cuius uirtute, prudentia, bonitate sic existimamus, ut eum in delectu rerum haudquaquam falli posse iudicemus. Inanimatae rei auctoritas non est: sed eam urbi Cicero tribuit, propter illos uiros, qui, cultis in ea philosophiae studijs, doctrinae, ac sapientiae laude praestiterant. Mouere te debet inquit, & doctoris, & urbis auctoritas, cogitantem, quid Cratippo doctore, quid in urbe Athenarum praestare te deceat. Nicias apud Platonem in Lachete, a bono tantum praeceptore, Socrate maxime, institui uoluit, ne, perpetuo discens, δυσμαθὴς, hoc est dediscens, uideretur. Philippus Macedo dijs gratias agebat, quod sibi Alexander Aristotelis tempore natus esset. Plato etiam ijsdem gratias agebat, primum, quod homo potius, quam brutum natus esset; secundo, quod Athenis; tertio, quod temporibus Socratis. AVGERE} augent nos ea, unde fructum capimus: itaque, augeri scientia, honoribus, re familiari, proprie dicimus: malis rebus augeri aliquem, non dicimus. nam, si quis improborum consilijs, & consuetudine deprauatur, quis eum uitijs auctum esse dixerit? cum ea minuantur potius, quibus, Augere, uerbum, adiungimus, res domestica, existimatio, uirtus. EXEMPLIS:} Senecae uerba sunt epistolarum lib. XIV. Nulla res magis animos honestate induit, dubiososque & in prauum inclinabiles reuocat ad rectum, quam bonorum uirorum conuersatio. paullatim enim descendit in pectora, & uim praeceptorum obtinet, frequenter audiri, adspici frequenter. occursus mehercle ipse sapientium iuuat: & est aliquid, quod ex magno uiro uel tacente proficias. VT *ipse ad meam utilitatem semper cum Graecis Latina coniunxi*, } monet filium, exemplo suo, ne Latinam linguam a Graeca disiungat: ueritus, ne, cum assidue Cratippum audiat Graeco sermone philosophiae praecepta explicantem, Latinae studium negligat orationis. hoc eo pertinet, ut sua scripta legenda sibi putet, si minus ob res ipsas, in quibus eum Cratippo tradiderat excolendum; cui scientiam philosophandi non concedere arrogantis esse uidebatur; saltem ob Latinam linguam; in qua satis eum constabat ceteris antecellere: nec eam ipse laudem respuit, sed iure quodam suo, nihil metuens arrogantiae suspicionem, sibi uindicat. Ob meam utilitatem, dicit, quia semper id spectauit, ut in eloquentia palmam obtineret: quod assecutus est, numquam intermissa, ne cum philosophiae quidem operam dabat, Latini sermonis exercitatione. Ad Atticum scribens, lib. I. gloriatur, se praeter ceteros φιλελληνα & esse, & haberi. Et I. de Oratore: Summorum oratorum Graecas orationes explicabam: quibus lectis, hoc assequebar, ut, cum ea quae legerem Graece, Latine redderem, non solum optimis uerbis uterer, & tamen usitatis; sed etiam exprimerem quaedam uerba imitando, quae rara nostris essent, dummodo essent idonea. Plutarchus in eius uita ait, cum Graece apud Rhodum declamaret, eum Apollonij Molonis F. maximum in oratoria praeceptorem Graecis eloquentiae, & doctrinae palmam praeripuisse, dixisse. Quinctilianus studiorum auspicia a Graecis fieri uoluit: sed de ijs loquebatur, qui Latinam linguam una cum lacte materno imbibebant. nos tum Graecam discere debemus, cum Latinae analogiam per nos callere incipimus. SEMPER:} non tantum adolescens. NEQVE *id in philosophia solum, sed etiam in dicendi exercitatione feci*;} ambigua sententia. quaeri enim potest, utrum Latinam, an Graecam linguam, & in philosophia, & in dicendi exercitatione a se cultam esse dicat. Si Graecam: aduersantur ea, quae sequuntur: in quibus apertissime

sime filium ad Latinam amplectendam hortatur: ut cum ait: Orationem autem Latinam profecto legendis nostris efficies pleniorem. Si Latinam: ordo non placet: dicendum enim potius uidebatur: Neque id in dicendi exercitatione solum, sed etiam in philosophia feci: ut ostenderet, non modo se fecisse, quod ab ijs fieri necesse est, qui ad eloquentiae laudem spectant, sed etiam, quod necesse minus erat. exerceri enim Romano sermone in ea philosophia, quae tum Graecis litteris tota continebatur, quis neget, multo minus, quam in oratoriae studio facultatis, utile fuisse? Veritas igitur sententiae quaerenda: quam quidem hanc esse non dubito. Ita cum Graecis Latina coniungere mihi semper curae fuit, ut Latini sermonis usum, ne cum philosophiae quidem operam dabam; Graeci, ne cum Latine quidem exercebar, umquam dimiserim. Et, quia minus mirum uideri potuisset, pluris a se factam esse patriam linguam, quam Graecam: ideoq. & in philosophia, & in dicendi exercitatione cultam esse: non, inquit, id modo feci, ut Latinam linguam in philosophia exercerem, sed illud etiam, ut in Latina exercitatione Graecam non omitterem. Quinctilianus in Praefatione, oratorem, & philosophum eundem esse tradit. Cicero in Oratore, non tantum se debere scholis rhetorum testatur, quantum Academiae spatijs. Idem Quinct. lib. XII. cap. 2. oratorem philosophia instructum esse uult: cum non intelligi possit eloquentia hominis optima nescientis. sicq. Periclem Anaxagorae, Demosthenem Platoni operam dedisse. In philosopho quoque eloquentiam requiri, affirmat Cicero in Praefatione Tusculanarũ, cum ait: Hanc perfectam philosophiam semper iudicaui, quae de maximis quaestionibus copiose posset, ornateq. dicere. in quam exercitationem ita nos studiose operam dedimus, ut iam etiam scholas Graecorum more habere auderemus. DICENDI *exercitatione*} quales declamationes exstant, de Latinis, Quinctiliani, Senecae; de Graecis, Libanij, Aristidis; & aliorum. CENSEO} paternam auctoritatem redolet hoc uerbum. nam, Arbitror, aut simile quiddam, leuius erat. Censeo, autem, qui dicit, non modo suadet, uerum etiam paene iubet. Fecit autem filius, quod pater iussit. ad Tironem enim scribens, ait se apud Cassium Graece, apud Brutum Latine declamitare. VTRIVSQVE *orationis*} Graecae, & Latinae; philosophicae, & oratoriae. QVAM *quidem ad rem*} quam? nimirum eam, de qua proxime locutus est: pares ut esse possent Romani homines in utriusque orationis facultate. quod aliqua dubitatione non caret. longe enim pauciora Graece, quam Latine, Cicero cõposuit: ut gloriari prorsus ei nõ liceat, aeque se magnum in utraque lingua Romanis hominib. adiumentũ attulisse. Quaerẽda igitur est, quae cũ Ciceronis mẽte consentiat, interpretatio. Et fortasse dicit hoc: Libris, quos de arte oratoria, & de rep. & postremo de philosophia multos ediderat, sic a se locupletatam esse Latinã linguam, ut, ex ea Romani homines Graecae iam aequata, non minorẽ in posterum sperare gloriam possent, quã si excellerent in Graeca, tot saeculorum spatijs, tot summorum oratorũ laboribus absoluta. pares igitur esse poterãt in utriusque orationis facultate, quod ad Latinã linguã attinebat: quae ne Graecae concederet, industria sua praestitisse sibi Cicero uidebatur. nam, si Latina fuisset inferior, quis in utraque par esse posset, cum pares ipsae non essent? VT *uidemur*,} hoc posuit ad uitandam arrogantiae suspicionem: parumperq. minuit, quod ait sequentibus uerbis, Magnum attulimus adiumentum hominibus nostris. nam, Vt uidemur, arbitrantis est, non affirmantis. MAGNVM *adiumentum*} in Praefat. Tusc. Philosophia latuit usque in hanc aetatem, nec ullum habuit lumen litterarum Latinarum: quae illustranda & excitanda nobis est, ut, si, occupati, profuimus aliquid ciuibus nostris, prosimus etiam, si possimus, otiosi. HOMINIBVS *nostris*;} Romanis, & Latinis. VT *non modo Graecarum litterarum rudes*,} proxima superiora ad Latinam tantum linguam pertinent: quae sequuntur, etiam ad res ipsas: quae cum Graecis litteris traditae essent, a se tamen ita explicatas ostendit Latino sermone, non modo ut ij, qui Graece nescirent, sed etiam qui optime scirent, easq. possent e Graecis libris cognoscere, mallent sua scripta legere, ex quibus aliquem se fructum capere arbitrarentur. nam, si & haec, & superiora aeque de Latina tantum lingua dicerentur: non consentire sibi ipse Cicero uideretur, qui, cum dixisset, Magnum adiumentum, subiungeret, Aliquantulum. DOCTI} absolute dictum; non, Docti litterarum: ut inepte quidam opinantur. ALIQVANTVLVM} non, Ad dicendum: quod pertinet ad Latinam linguam: in qua se iam dixit non aliquantulum, sed multum Romanis hominibus profuisse. Ad iudicandum igitur: quod non ad Latinam linguam, sed ad philosophiae praecepta, ab ipso Latine tradita, pertinet. in quo ne Graecis philosophis, qui ea multis libris egregie persecuti erant, detrahere uelle uideretur, Aliquantulum, dixit: quo modestius dicere non potuit. ET *ad dicendum*,} augetur enim Latina lingua, non modo cum oratoria praeclare tractat, sed etiam, cum ad explicanda philosophiae sensa transfertur: quod ante Ciceronem praestiterat nemo: ut ipse dixit loco supra recitato. ET *ad iudicandum*.} philosophus enim de rebus iudicat, in uerbis non immoratur: iudicat autem, quid agendum, uitandum ue sit: quaeq. obscuriora sunt; erroribusq. multis humanas mentes inuoluunt, iudicij sui praestantia illustrat, ac patefacit. Possunt igitur, inquit, nostrorum librorum lectione Romani homines non augeri solum Latina lingua, sed iudicandi quoque scientiam consequi; &, quamuis Graecos de philosophia libros legant, aliquem tamen ex industria quoque nostra fructum capere. QVAMOBREM *disces tu quidem*} concludit, quod ei propositum esse iam diximus, legenda filio sua scripta, si non doctrinae, quam eius iudicio permittit, orationis certe Latinae gratia. HVIVS *aetatis*} huius memoriae, ait lib. III. Ita autem dicit, ut assentationem cauere uideatur. DISCES, *quam diu uoles*:} quod suae potestatis est, filio largitur; ut statuat ipse Cratippi tempus audiendi. Sed, quod largitur, adstringit paullum sequentibus uerbis. Sino tuam uoluntatem, inquit, liberam esse, cum hoc tamen, ut eam doctrinae regat, ac moderetur utilitas. quamdiu enim Cratippo magistro proficere te intelliges, tamdiu dandam ei operam esse, existimare debebis. Et hic quaedam latet admonitio. nam, quem proxime philoso-

Landesbibliothek Oldenburg

phorum principem nominauit, posse, qui eum uel diutissime audiat, semper aliquid discere, omnino significat. QVAM *diu uoles: (tam diu autem uelle debebis,}* Infra: Quod uitium qui effugere uolet (omnes autem uelle debebunt) &c. Eodem modo locutus Fam. lib. 2. ep. x1. Quidquid erit, tibi erit. Et ep. 18. e. l. Sin quin offenderit, sibi totum, nihil tibi offenderit. Lib. 111. ep. 2. Quibuscumque rebus potes, (potes autem plurimis.) Lib. v1. ep. 5. Quotiescumque filium tuum uideo, (uideo autem fere quotidie.) Et ep. 6. e. l. Quidquid ualebo uel auctoritate, uel gratia, ualebo tibi. Et lib. 1x. ep. 14. Neminem conueni, (conuenio autem quotidie plurimos.) Et ep. 17. e. l. Fiet, quodcumque uolent, qui ualebunt: ualebunt autem semper arma. Et lib. x. ep. 6. Quos adhuc gradus dignitatis consecutus es, (es autem adeptus amplissimos.) Et lib. x111. ep. 41. Quotiescunque me uidet, (uidet autem saepissime.) Et ep. 53. e. l. Quoad fides tua, dignitasq. patietur: patietur autem in omnibus. In Pisonem: Videre te uolui, uidi. Phil. 1. Huc si quid accesserit, non tam mihi, quam uobis, reiq. pub. accesserit. Simile quid habent & illa. Lib. 1. ep. 1. Regis caussa si qui sunt, qui uelint; qui pauci sunt. Lib. 2. ep. 18. Quae mihi ueniebant in mentem, quae ad te pertinere arbitrabar, &c. Lib. 1v. ep. 7. Hoc idem omnes, qui te diligunt, sentiunt: quorum est magna multitudo. NON *paenitebit)* Non parum uidebitur, Ter. Heaut. Quinctilianus: Multi ad summa peruenirent, nisi, se iam eo peruenisse, persuasum haberent. Et Bion dixit, τὴν οἴησιν ἄναυ τῆς προκοπῆς ἐγκοπήν. hoc est, Opinionem felicitatem praecidere. Prouerbium est: Senex semper aliquid addiscet. Solon, apud Platonem de rep. v11. & in dial. de Philosophia, & in Lachete: Γήρασκω δ' αἰὲι πολλὰ διδασκόμενος i. Discenti assidue multa, senecta uenit. Et, apud Agellium: Vsus me genuit, peperit mater memoria. Seneca ad Lucilium: Tam diu discendum est, quamdiu nescias; &, si prouerbio credimus, quam diu uiuas. Demea Terentianus:

Numquam ita quisquam bene subducta ratione ad uitam fuit,
Quin res, aetas, usus semper aliquid apportet noui,
Aliquid moneat, ut illa, quae te scire credas, nescias,
Et, quae tibi putaris prima, in experiundo repudies.

Et Senecae uerisculus ille: Discipulus est prioris posterior dies. Imitandus ille, (Iuliano iurisconsulto auctore) qui, uel si alterum pedem in sepulcro haberet, tamen adhuc uelle discere profitebatur. Plato quoque cuidam otioso, & uoluptatibus dedito, percunctanti, Quoad puer esse uellet? quod eum discendo non minus, quam docendo, uideret occupari: respondisse fertur: Quoad, quantum doctrina, & uirtute augear, me non paenitebit. NON *multum a Peripateticis dissidentia,}* ostendendum est, in quo dissideant, & quatum dissideant a Peripatetica doctrina Officiorũ libri. Peripatetici uirtutem, & honestum ceteris rebus omnibus longe praeferri debere iudicabant, sola tamen felicitatem posse conficere nequaquã arbitrabantur. quod si accederent opes, honores, ualetudo, quaeq alia sunt eiusmodi, ut ijs destituta humana uita laboraret; tum uero felicitatem absolui; cum accidere nihil posset, quod molestiam animo, corpori afferret incommodum. Stoici, contra, felicitatem una uirtute metiebantur: si quis honeste, & cum uirtute uitam duceret; nihil praeterea desiderare: sapientem, idest uirtute praeditum, solum esse diuitem, pulchrum, honoratum, omnibus denique rebus, quae falso uocabulo bona dicerentur, solum abundare. Hanc dissensionem paucis uerbis attingit Cicero lib. 111. ita scribens: A te postulo, mi Cicero, ut mihi concedas, si potes, nihil, praeter id, quod honestum sit, esse propter se expetendum: sin hoc non licet propter Cratippum; at illud certe dabis, quod honestum sit, id esse maxime propter se expetendum. Haec igitur inter eos dissensio fuit, magna prorsus, & quae diuersissima uitae genera induceret. aliud est enim, honesto quidem plurimum tribuere, ceteris tamen rebus, quae ad commoda corporis, atque ad animi delectationem pertinent, locum relinquere, ijsque, si absint, comparandis operam dare; si adsint, frui quantum deceat: aliud, in uno honesto omnia ponere; cetera, si cum eo iungantur, paupertatem, ignominiam, morbum, tormenta ipsa cara habere, & suauia esse dicere; si disiungantur ab eo, diuitias, gloriam, bonam ualetudinem, commoda denique omnia. non modo, quasi ad felicitatem nihil afferant, contemnere, sed etiam, quasi felicitati repugnent, inter mala numerare. Hoc Stoici cum sentirent, acerrimeq. defenderent: quaeri potest, cur Cicero, qui se in his libris potissimum sequi Stoicos profitetur, sua scripta dicat a Peripateticorum sententia non admodum discrepare. Huic dubitationi occurritur hoc modo. Praecepta officiorum Cicero de Stoicorum fontibus hauriebat: ea dicit oriri ab honestate, honestatem ipsam ex quattuor uirtutibus, prudentia, iustitia, fortitudine, temperantia. in hoc nihil a Peripateticis Cicero dissidebat. nulla enim fuit, ad hanc quidem partem quod attinet, inter Stoicos, & Peripateticos, controuersia. nam honestum utrique negabant esse, quod ab harum uirtutum aliqua non oriretur. In quo igitur a Peripateticis Cicero dissentit? In honesto: quod e Stoicorum sententia si solum propter se expetatur, ualde probat. In quo ab ijsdem non multum dissentit? In eodem. nam, etsi Stoicorum sententiam probabat, Peripateticorum tamen haud improbabat omnino. itaque lib. III. cum honestum Peripateticorum a Stoicorum honesto distinxisset; postulat a filio, quod supra iam ostendi, ut id sibi concedat, quod Stoici probant: si non potest, quod aduersetur Peripateticae doctrinae, cui tunc Cicero filius operam dabat; concedat saltem id, quod placet Peripateticis. Quo loco subiungit haec: Mihi utrumuis satis est; & cum hoc, tum illud probabilius uidetur, nec praeterea quidquam probabile. Aperte demonstrat, Peripateticorum honestum a se non improbari, Stoicorum autem probari uel maxime. Sed in his libris declinat interdum ad Peripateticorum sententiam: neque contemnit opes, honores, amicitias, reliqua adiumenta uitae, quamquam ea non seiungat ab honesto. itaque uere dixit, dissidere se quidem a Peripateticis, non multum tamen: cum eorum honestum plane non improbaret, locum relinquens aliquem ijs rebus, quas omnino Stoici, ut ina-

nes,

nes, excludebant. VTRIQVE *Socratici, & Platonici esse uolumus*, } uidetur hoc dicere: Et Stoicos,& Peripateticos sequi uolumus: ut ab his non ualde dissideamus; cum tamen illos probemus maxime. Negari enim non potest,quin hoc ideo subiungat,ut rationem afferat,cur sua nō multum a Peripateticis dissideant,sed dissideant tamen. Quod si ita est: quaeri oportet,cur Socraticos pro Stoicis,Platonicos pro Peripateticis posuerit: quandoquidem uerbum,Vtrique,aperte eos, ut diuersa sentientes,distinguit. Socrates idem fere sensisse, quod Stoici, & exemplo suae uitae Stoicam sectam peperisse, uideri potest: qui etiam perire maluerit, quam iudicibus in bona caussa supplicare: cum esse malum probis, innocentibusq. uiris mortem negaret: quae Stoicorum postea sententia fuit, nihil omnino malum, nisi quod turpe esset, iudicantium; nihil bonum, nisi quod honestum. Libentius autem, Socraticos, quam Stoicos, dicit: ut uideatur, licet Stoica praecepta ualde probaret, Socraticam tamen philosophiam sequi uelle, similem quidem Stoicae, & ideo dissidentem a Peripatetica, mitiorem tamen aliquanto, & ideo non multum dissidentem. Platonicos pro Peripateticis usurpat: quia,quod ad mores attinet, de quibus agitur in his libris, nulla uidetur inter eos controuersia fuisse. Quod si Peripateticos, dixisset; omnes Peripateticae philosophiae partes comprehendisset. omnes autem ipse non tractat; sed, ut dixi, moralem tantum: & Platonis lectione magis, quam Aristotelis, eum esse delectatum, Platonicumq. se potius, quam Aristotelicum, profiteri solitum, satis constat. DE *rebus ipsis utere tuo iudicio: nihil enim impedio*: } probes, nec ne, mea scripta, quod attinet ad praecepta, non laboro. auocare enim te ab ea doctrina, in qua Cratippo magistro tuum studium locas, consilij nostri non est. Ad Atticum scribens, sic ait: Est magnum illud quidem, uerumtamen multiplex pueri ingenium: quo ego regendo negotij habeo satis. PROFECTO } Quinctil. Is, ait, se profecisse multum existimet, cui Cicero ualde placere coeperit. LEGENDIS *nostris*, } figura Latini sermonis: pro, Dum nostra leges. Sic locutus lib. III. de Rep. apud Nonium: Noster populus, socijs defendendis, terrarum iam omnium potitus est. PLENIOREM. } in Oratore, nullum ait esse ullo in genere laudem oratoris, cuius in suis orationibus non sit aliqua si non perfectio, at conatus tamen, atque adumbratio. ARROGANTER } Arrogantiam ait esse Aristoteles lib. II. Eth. ad Nicom. προσποιοῦν ἐπὶ τὸ μεῖζον, i. plus sibi tribuere, quam par sit. De hoc autem Cicero reprehenditur: qui nimium se iactet, & de rebus quoque gestis suis ea dicat, quae aures offendant. defendit eum Quinctil. lib. XI. SCIENTIAM } rei per caussas cognitionem. nam, ut ait Arist. εἰδέναι ὅταν τὴν αἰτίαν. idest, Nihil scimus, si caussam ignoremus. CONCEDENS } quasi dicat, Non repugno, quo minus alij philosophiae cognitione mihi non modo conferantur, sed etiam praeferantur. Facilis autem est concessio, si tibi id serues, quod est, aut habetur praestantius. Qualis est illa apud Virg. Aen. VI.

Excudent alij spirantia mollibus aera:
(Credo equidem) uiuos ducent de marmore uultus:
Orabunt caussas melius, caeliq. meatus
Describent radio, & surgentia sidera dicent.
Tu regere imperio populos, Romane, memento,
(Hae tibi erunt artes) paciq. imponere morem,
Parcere subiectis, & debellare superbos.

MVLTIS; } Varroni, Catoni, alijs. ORATORIS *proprium*, } Quinct. lib. 2. cap. 16. ait, hoc Ciceronem pluribus locis dixisse: Plutarchusq. dicit eum oratoris nomen magis, quam philosophi, fuisse amplexum. APTE, *distincte, ornateq. dicere*. } Apte, ad id, quod orator agendum suscepit; ut ea dicantur, quae subiecta materia postulat: Distincte, ne rerum ordo perturbetur; frustra enim apte dicit, qui suo quidque loco non dicit: Ornate, adhibitis Latinae orationis luminibus, & ornamentis. quorum primum inuentio, alterum dispositio, tertium praestat elocutio. quas omnes partes cum alibi, tum in Oratore illo, numquam satis laudato, copiose in primis, & erudite Cicero persequitur. Conferendus locus Isocratis in oratione κατὰ σοφιστῶν. Τὸ γὰρ καιρῶν μὴ διαμαρτεῖν, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἐνθυμήμασι πρεπόντως ὅλον ἢ λόγον καταποικίλαι, (hoc est, apte dicere) καὶ τάξαι κατὰ τρόπον, (hoc est, distincte dicere) καὶ τοῖς ὀνόμασιν εὐρύθμως, καὶ μουσικῶς εἰπεῖν, καὶ γὰρ ἰδεῶν ἐφ' ἑκάστῳ τῶν πραγμάτων, ἃς δεῖ προδιελέσθαι, καὶ μίξασθαι πρὸς ἀλλήλας, μὴ διαμαρτεῖν. (hoc est, ornate dicere.) Quae sic Latine uerti possunt: Non aberrare, neque occasionem negligere, aut excedere modum, sed & argumentis totam orationem decenter uariare, (hoc est, a. d.) & ordine disponere, (hoc est, d. d.) & uerba ita collocare, ut numerosa sint, & musicum quendam concentum efficiant, & in singulis rebus, quae prius discernendae sunt, & inter se miscendae, non errare. (hoc est, o. d.) Quod autem Cicero hic ait, Oratoris officium esse, apte, distincte, ornate dicere; Crassus de Oratore orationem uult esse, aptā, δεκτήν; Latinam, & planam, διηγηείαν; ornatam, κάλλον, & καθαρότην. Quinctilianus autem ait haec contineri partibus mouendi, docendi, delectandi. Ad mouendum pertinent Affectus. ad docendum Expositio, & Argumentatio. ad delectandum utraque, sed maxime Elocutio. AETATEM *consumpsi*, } senex enim erat. SI *id mihi assumo*, } sapit emphasin. MEO *iure quodam uindicare*. } genus loquendi, ex Iurisconsultorum fontibus deriuatum. Qui primus e seruorum numero libertatem est adeptus, ei nomen Vindici fuit. inde Vindiciae, pro Libertas; Vindico, pro Libero. inde factum, ut, qui controuersam rem ex aliena potestate, quasi omnino sibi debitam, non exspectato iudicio, uel ui, uel alio quouis modo ad se transferret, is eam rem iure quodam suo uindicare sibi diceretur: quod, in litibus usurpari coeptum, ad omnes postea res consuetudo deduxit. Exempla quaedam iurisconsultorum, oratorumq. subiungerem, nisi satis essent in promptu, ipsaq. per se legentibus occurrerent. HOS *etiam de philosophia libros*, }

utrum

utrum hos de Officijs, an suos omnes de philosophia libros dicit? non dubito, quin omnes. non enim uideretur id, quod sequitur, Qui iam se illis fere aequarunt, ad hos de Officijs, qui nondum exierant, posse pertinere. Antiquus liber non habet, Hos. QVI *iam se illis fere aequarunt*, } nihil muto: cum & ita sit in plerisque antiquis libris. Vtor autem tredecim, aere meo mihi acquisitis, & ex uniuersa Italia in meam haud forsan contemnendam Bibliothecam accitis, in hoc opere emendando: nullis neque laboribus, neque sumptibus parcens, ut studiosorum commodo consulam. Quorum nouem faciunt cum uulgata lectione. Quattuor alij & unus praeterea perantiquus Alberti Tertij, uetere mihi amicitia coniunctissimi, & pro eximijs animi dotibus, nec mediocri, sed praestanti uirtute carissimi, habent: Qui iam illis fere aequarunt. Genus autem hoc loquendi exemplis quamplurimis confirmatur. In Laelio: Superiores se aequare cum inferioribus debent. In Verr. Aliquid cum aliquo aequari, conferriq. posse. Non tamen contemno alteram illam lectionem. Nam & in Hirtio lib. IIX. ubi est in impressis, Collocatur in eo turris XI tabulatorum, non equidem, quae moenibus aequaretur: in quibusdam antiquis est, Aequaret. Et illud Pacuuij apud Agellium lib. XIV. cap. I. eiusdem generis est:

Nam, si qui, quae euentura sunt, praeuideant,
Aequiparent Ioui. FERE *aequarunt*, } laude: parem fere laudem consecuti.

Ea, quae succedunt loqui de oratione Latina, non de rebus, Ciceronem ostendunt. Sunt autem dicendi genera; summum, orationum; medium, horum librorum de philosophia; infimum, epistolarum, aut dialogorum. quibus omnibus aeque Cicero excelluit. *Fere*, dicit, quia dicendi uis in oratore dominatur Alij, *Fere aequarunt*; hoc est, orationum numerum, granditatem, & molem aequarunt. nam Cicero breui tempore multos de philosophia libros scripsit: quod cum ex alijs locis, tum ex initio Topicorum perspicue apparet, & ex proemio lib. III. horum librorum. VIS *enim dicendi maior est in illis*: } orationes enim, forenses praecipue, πολὺ τὸ παθητικὸν (ait Dionysius) ἔχειν δεῖ, idest, habere debent multos affectus. AEQVABILE, *& temperatum* } ex utroque mistum, summo, & infimo. VT *idem utroque in genere laboraret*, } mira prudentia. nam, si dixisset, Excelleret, potius, quam, Laboraret; (quod falso dictum uideri posset: non enim nemini Graecorum contigerat, ut in utroque laboraret; sed nemini, ut excelleret: nam laborauerat Phalereus, sed non excellurat) si dixisset, inquam, Excelleret, adimere Graecis, & ad se transferre uideretur laudem utriusque generis: quod intelligi potius, quam exprimi a se, uult. ita & modestiae seruit in uerbo Laboraret; quod gloriantis non est: & quia dixerat, Nemini Graecorum, quod uerum non erat: correxit uitium, exceptione statim illata unius Phalerei, qui disputandi subtiliter laudem adeptus, quod est philosophi, dicendi ui caruerat, quae prima laus oratoris est. FORENSE *dicendi*, } orationes in foro ad iudices habebantur; & priscis quidem temporibus, in puro comitio, quae fori pars fuit; exornata autem operibus urbe, in basilicis: exceptis, quae in senatu, ut Catilinariae. QVIETVM } caret enim actione forensi, nec illam dicendi uim ad excitandos animos requirit. NISI *forte* } non sine contemptu aliquo dictum uideri potest, hoc sententiae principio, Nisi forte. quasi dicat. Opponet aliquis Phalereum, qui laborauerit in utroque. Quid tum? philosophum fuisse concedo, oratorem nego: itaque frustra laborauit. DEMETRIVS *Phalereus* } Quinctil. lib. x. Cic. in Bruto in medio dicendi genere eum praefert omnibus. Multa eius scripta commemorat Laertius. Alio nomine dictus φάνος. Φαλήρεος uero, ἀπὸ τοῦ φαλήρου, Atticae portu. Sudas Post obitum Demosthenis, cum Macedones Athenas subegissent, multum auctoritate apud ciues suos ualuit, apud Macedones etiam gratiosus. Tandem, per inuidiam, & cum ignominia pulsus, Alexandriam ad Ptolemaeum profectus, amplissimae bibliothecae praefuit: (quod & D. Hieronymus in Danielem memoriae prodidit:) tandem a serpente occisus. Laertius genus dicendi Demetrij philosophicum ait esse, contentione, & ui oratoria temperatum. Victorinus Afer de Orthographia Grammaticos nominat, Demetrium Phalereum, & Hermocratem. Nominatur & a Theophylacto in epist. 34. ad Romaeum: in qua meminit libri περὶ ἑρμηνείας, qui nunc exstat, his uerbis: Εἰ δὲ τὰ τῆ περιπάτῳ σπουδάσας καὶ τὸν δαιμόνιον Ἀριστοτέλη ἀνιχνεύῃς, τί τὴν γλῶτταν ἐπέσχες καὶ ἀποποιεῖ σὺ τὰ πάθια, ἀγαθὲ ἐκεῖνε τῶ κοσμταίῳ θιασῶται Θεόφραστος, καὶ Δημήτριος; ὧνὸ μὲν ἀπὸ τοῦ θειοτέρου φράσιν ἔλαχεν: ὁ δὲ Φαληρεὺς καὶ περὶ ἑρμηνείας λόγῳ συνταγμάτιον σπουδαῖον ἐξήνεγκεν. ORATOR *parum uehemens*, } defuerunt enim illi τὰ πάθη, & nerui oratorij. DVLCIS *tamen*, } in lib. de claris orat. Suauis, sicuti fuit, uideri maluit, quam grauis. Et in Oratore: Hic primus inflexit orationem, & eam teneram, mollemq. reddidit. THEOPHRASTI *discipulum* } Quid Theophrasto mitius? Cicero scriptum reliquit in Hortensio. Laertius: Τὸν τύραμον λεγόμενον, Θεόφραστον διὰ τὸ τῆς φράσεως θεσπέσιον Ἀριστοτέλης μετωνόμασε. Quae uerba quasi Cicero interpretans, Theophrastus ait, dicendi diuinitate nomen inuenit. Vide Agell. lib. XIII. cap. 5. Quinctil. lib. x. In Theophrasto tam est eloquentiae nitor ille diuinus, ut ex eo nomen quoque traxisse dicatur. POSSIS *agnoscere*. } agnoscuntur saepe in discipulis aut uirtutes, aut uitia praeceptorum, ut in Phalereo Theophrasti suauitas; in Demosthene Isaei uis. de quo Iuuenalis:

Ingenium uelox, praeceps facundia, sermo
Promptus, & Isaeo torrentior.

Nam in uerbo, Torrentior, uis ostenditur: quae patet etiam in eius, quae exstant, orationibus. EQVIDEM *& Platonem exiitimo*, } praeclara correctio. nam, quia nemini Graecorum parem utriusque generis laudem contigisse iam ostenderat: subiungit, alijs id non contigisse, quia, cum uellent, non potuerunt, ut Phalereo; alijs, quia, cum possent, noluerunt, ut Platoni, Aristoteli, Demostheni, Isocrati. Quinct. lib. IX. de compos. Platonem, & Demosthenem inter se dissimiles fuisse testatur; Platonemq.

compositionis

compositionis diligentissimum eodem capite fuisse affirmat, illius copiam, huius uim Cicero effinxit, teste eodem Quinct. lib. x. Asianum lib. xii. uocat. Dum Plato in Gorgia oratoribus illudit, summum agit ipse oratorem. Idem Quinct. Homericam facultatem ei tribuit. Et Panaetius apud Cic. Tusc. i. uocat eum philosophorum Homerum. Videndus & Laertius, qui ex Timone recitat, quod ad hanc rem facit. Infanti illi, in cunis dormienti, apes in labellis consederunt: & responsum est, singulari illum suauitate orationis fore. Cic. i. de Diu. Pli. lib. xi. cap. 18. Valer. lib. i. cap. de Prodigijs. Chrysostomus de sacerdotio lib. iv. Isocrati tersum tenorem tribuit, Demostheni amplam sublimitatem, Thucydidi uenerandam maiestatem, Platoni excellentem dignitatem. Plato, Aristocles fuit dictus a parentibus: sed διὰ τὴν πλατύτητα ἔτε τῆς ὤμων, ἔτε τῶν λόγων, i. siue ob latos humeros, siue ob orationis amplitudinem, & maiestatem, Platonis nomen inuenit. Iouem, aiunt Graeci, si loqui more humano uoluisset, non alio, quam Platonico genere orationis usurum fuisse. Et Cic. in libris de Oratore, Platonem, in exagitandis oratoribus summum oratorem agere, testatur. QVAE *a Platone didicerat*,} multos annos, Platone magistro, Demosthenes operam philosopiae dedit: postea, cum audisset orantem Callistratum, eius eloquentia delectatus, a philosophiae studio ad oratoriam artem se transtulit. Plutarchus, Libanius, Agellius lib. iii. cap. 13. Ammianus Marcellinus lib. xxx. alij. Quanti Demosthenes Platonem fecerit, uide eius epistolam ad Heracleodorum. PRONVNCIARE} proferre, disputare, uel in scholis philosophorum, uel in libris. Vti uoluit oratorio uerbo, cum de summo oratore loqueretur, quamquam disputante potius ut philosopho, quam agente ut oratore. nam, si recte animaduertimus, Platonem transfert a gymnasio in forum, Demosthenem a foro in gymnasium: ut id, quod ei propositum est, probet, utrumque potuisse, si uoluisset, in utroque genere excellere. ORNATE, *splendideq.*} profecto nihil hoc oratore prudentius. philosopho Platoni grauitatem, & copiam, oratori Demostheni ornatum, & splendorem, suum uidelicet utrique, tribuit: ut Plato philosophiae scientiam in agendis causis cum eloquentia coniungeret; Demosthenes in tractanda philosophia oratoriã facultatem adhiberet: esseturque, si uellet, eorum alter grauissimus, & copiosissimus orator; alter ornatissimus, & splendidissimus philosophus. DE. ARISTOTELE, *& Isocrate*} De aemulatione Aristotelis, & Isocratis, uide Quinct. lib. iii. cap. i. Hinc diuersae sectae. De quibus quid senserit Cicero, lege Plutarchum in eius uita. Vide & Cic. iii. de Oratore, & Tusc. i. et Laertium. SVO *studio*} ille, philosophiae; hic, artis oratoriae. etsi Isocrates suum studium philosophiam saepe dicat: & Socrates apud Platonem, natura philosophiam quandam in anima Isocratis inesse ait.

CICERO

SED, *cum statuissem aliquid hoc tempore ad te scribere, et multa posthac, ab eo exordiri uolui maxime, quod & aetati tuae esset aptissimum, & auctoritati meae grauissimum: nam, cum multa sint in philosophia & grauia, & utilia, accurate, copioseq. a philosophis disputata; latissime patere uidentur ea, quae de officijs tradita ab illis, & praecepta sunt. nulla enim uitae pars neque publicis, neque priuatis, neque forensibus, neque domesticis in rebus, neque si tecum agas quid, neque si cum altero contrahas, uacare officio potest: in eoq. colendo sita uitae est honestas omnis, & in negligendo turpitudo. Atque haec quidem quaestio communis est omnium philosophorum. quis est enim, qui, nullis officij praeceptis tradendis, philosophum se audeat dicere? sed sunt nonnullae disciplinae, quae, propositis malorum, & bonorum finibus, officium omne peruertunt. nam, qui summum bonum sic instituit, ut nihil habeat cum uirtute coniunctum; idq. suis commodis, non honestate, metitur; hic, si sibi ipse consentiat, & non interdum naturae bonitate uincatur; fit, ut neque amicitiam colere possit, nec iustitiam, nec liberalitatem: fortis uero, dolorem summum malum iudicans; aut temperans, uoluptatem summum bonum statuens, esse certe nullo modo potest. quae quamquam ita sunt in promptu, ut res disputatione non egeat; tamen sunt a nobis alio loco disputata. Hae disciplinae igitur, si sibi consentaneae esse uelint, de officio nihil queãt dicere: neque ulla officij praecepta firma, stabilia, coniuncta naturae tradi possunt, nisi aut ab ijs, qui solam, aut ab ijs, qui maxime honestatem propter se dicant expetendam. itaque propria est ea praeceptio Stoicorum, & Academicorum, & Peripateticorum quoniam Aristonis, Pyrrhonis, & Herilli iampridem explosa sententia est: qui tamen haberent ius suum disputandi de officio, si rerum aliquem delectum reliquissent, ut ad officij inuentionem aditus esset. Sequemur igitur hoc quidem tempore, & in hac quaestione, potissimum Stoicos, non ut interpretes; sed, ut solemus, e fontibus eorum, iudicio, arbitrioq. nostro, quantum, quoq. modo uidebitur, hauriemus. Placet igitur, quoniam omnis disputatio de officio futura est, ante definire, quid sit officium: quod a Panaetio praetermissum esse miror. omnis enim, quae a ratione suscipitur de aliqua re, institutio debet a definitione proficisci; ut intelligatur, quid sit id, de quo disputetur.*

EXPLANATIO

AETATI *tuae esset aptissimum*,} decet enim erudiri adolescentem officij potissimum colendi notitia: & decet erudiri a patre. Aeschines praeclare dixit, adolescentes poetarum sententias ediscere oportere, ut ijs, uiri cum sint, uti possint. Imitatus est hoc loco Cicero Isocratem in oratione ad Demonicum, & Nicoclem. AVCTORITATI *meae grauissimum*:} In argumento leui nequaquam

uersari

uersari debuit is, cui magnam auctoritatem honores, magistratusq. peperunt. est autem officio nihil grauius. Magnifice ait se explicare hanc materiam, ad Att. lib. XV. GRAVIA,} quae auctoritatem habeant. VTILIA,} ad tranquillitatem animorum. ACCVRATE,} methodice. COPIOSE} oratione ornata, & quae splendorem habeat. DISPVTATA,} quae, causis utrimque allatis, uera esse dignouimus. FORENSIBVS,} Forenses Domesticis opposuit; cum tamen omnes intelligeret, non quae in foro tantum, sed quae ubique prorsus extra domum geruntur. Forense regnum, alicubi se amisisse, queritur. NEQVE *si tecum agas quid*,} multa enim saepe soli agimus: in quibus ipsis aut officium colitur, honeste; aut negligitur, turpiter. propterea subiungit: In eoq. colendo sita uitae est honestas omnis, & in negligendo turpitudo. Seneca ait, hominem solitarium tum sibi peccatis interdicere, cum, dignitatem sui reputans, seipsum reueretur. Huc respicit, quod est apud Isocratem ad Nicoclem, & in Paraenesi. Scipio dicere solitus erat, ut hic ait lib. III. se numquam minus esse otiosum, quam cum otiosus; neque minus solum, quam cum solus esset. Ausonius: Turpe quid acturus, te sine teste time. Philolaus autem praecipue ait homines se ipsos timere debere. IN *eoq. colendo*} sic Cic. Tusc. II. Vt agri non omnes frugiferi sunt, qui coluntur: sic animi non omnes culti fructum ferunt. Tota autem haec enumeratio perpulchra est, & quae cum alijs eiusdem Ciceronis locis utiliter conferri possit. Fam. lib. v. ep. 8. Quamobrem uelim, ita & ipse ad me scribas, de omnibus minimis, maximis, mediocribusq. rebus, ut ad hominem amicissimum, & tuis praecipias, ut opera, consilio, auctoritate, gratia mea sic utantur in omnibus publicis, priuatis; forensibus, domesticis; tuis, amicorum; hospitum, clientum tuorum negotijs &c. PHILOSOPHVM *se audeat dicere?*} Seneca ait Philosophiam esse uitae legem. NONNVLLAE *disciplinae*,} ut Epicurea: cui finis malorum est dolor, bonorum uoluptas. OFFICIVM *omne peruertunt*.} officium, in quo bonum omne situm est, prorsus e uita tollunt. QVI *summum bonum sic instituit*,} ut Epicurus. SI *sibi ipse consentiat, & non interdum naturae bonitate uincatur*;} si semper idem sentiat, nec se doceri, & corrigi ab ipsa, rerum omnium optima, natura patiatur. Natura nihil suadet, nisi bonum; turpe nihil patitur; consuetudine uincitur interdum; sed ipsa nunquam peccat: ideo laudamus eos, qui natura duce uiuunt, naturamq. ducem in omni re sequuntur. NEQVE *amicitiam colere possit*,} de Fin. I. Neque uero haec oratione solum, sed multo magis uita, & moribus comprobauit, amicitiam posse coli in hoc dogmate. NEC *iustitiam, nec liberalitatem*:} tres attingit morales uirtutes, Iustitiam, Fortitudinem, Temperantiam, quas & Aristoteles agnoscit, omissa quarta, quam infra nominat, Prudentia. nam Liberalitas iustitiae pars est. infra. ALIO *loco*} in libris de finibus bonorum, & malorum. FIRMA, *stabilia*,} cum uero enim, ut ait Aristoteles, omnia consentiunt: a falsis autem statim discrepat. AVT *ab ijs, qui solam*,} Stoicos primum, deinde Peripateticos indicari, obscurum non est. Solam enim honestatem Stoici; maxime autem, sed non solam, Peripatetici sequebantur. EA *praeceptio*} de officio, qua carent illae disciplinae. ACADEMICORVM,} qui de honestate sentiebant idem, quod Peripatetici. propterea supra, Platonicos pro Peripateticis accipi, diximus. fuerat autem ueteris Academiae princeps, & auctor Plato. ARISTONIS, *Pyrrhonis, & Herilli iampridem explosa sententia est*.} Hi cum Zenonem Citiaeum, Stoicae sectae conditorē, audissent, ab eo tamē, & ipsi etiam inter se dissenserūt. quarū opinionum uarietatē collectis e Cicerone testimonijs, quā clarissime fieri poterit, ostēdemus. Zeno, Polemonis Academici auditor, cum Academicorum dogma sequi uideretur, ac plane in aliqua parte sequeretur, ab ijs tamen deflexit, Stoicamq. disciplinam instituit. nam cum Academia, ideſt cum Platone, ipsius Academiae auctore grauissimo, ac principe, de summo bono idem sensit; cum nihil diceret esse bonum, praeter uirtutem; bonum solum, quod honestum; malum, quod turpe; beatam uitam in una uirtute constitutam. in quibus autem ab Academia, ideſt a Platone, Platonisq. ratione, & auctoritate sequentibus Speusippo, Xenocrate, & Xenocratis auditore Polemone, magistro suo, dissensit, haec fere sunt. Cum nihil aliud, praeter honestum, numeraret in bonis, idq. appellaret honestum, quod esset simplex quoddam, & solum, & unum bonum: cetera, etsi nec bona, nec mala essent, tamen alia secundum naturam dicebat, alia naturae esse contraria, his ipsis alia interiecta, & media numerabat: quae autem secundum naturam essent, ea sumenda, & quadam aestimatione dignanda docebat; contraq. contraria: neutra autem in medijs relinquebat; in quibus ponebat nihil omnino esse momenti: sed, quae essent sumenda, ex ijs alia pluris esse aestimanda, alia minoris. Cumq. superiores illi non omnes uirtutes in ratione esse dicerent, sed quasdam uirtutes natura, aut more perfectas: hic omnes in ratione ponebat. Cumq. illi ea genera uirtutum, quae supra dixi, seiungi posse arbitrarentur: hic nec id ullo modo fieri posse disserebat, nec uirtutis usum modo, ut superiores, sed ipsum habitum per se esse praeclarum, nec tamen uirtutem cuiquam adesse, quin ea semper uteretur. Cumq. perturbationem animi illi ex homine non tollerent; naturaq. & condolescere, & concupiscere, & extimescere, & efferri laetitia dicerent; sed ea contraherent, in angustumq. deducerent: hic omnibus his, quasi morbis, uoluit carere sapientem. Cumq. eas perturbationes antiqui naturales esse dicerent, & rationis expertes; aliaq. in parte animi cupiditatem, alia rationem collocarent: ne his quidem assentiebatur: nam & perturbationes uoluntarias esse putabat, opinionisq. iudicio fusci pi; & omnium perturbationum arbitrabatur esse matrem immoderatam quandam intemperantiam. Haec fere de moribus: nam, quod ad naturas attinet, ab ijsdem etiam discrepabat. Sed in moribus a Zenone auditor eius Aristo de fine bonorum non dissensit; censuit enim nihil esse bonum, nisi uirtutem; neque malum, nisi quod uirtuti esset contrarium: quae uero in mediis momenta Zeno esse uoluit, ea ipse nulla esse, ijsq. neutram in partem moueri, summum bonum duxit. sic enim Cicero scriptum reliquit in Lucullo. Idemq. lib. IV. de Fin. Vt Aristonis, inquit, esset explosa sententia, dicen-

tis, nihil

tis, nihil differre aliud ab alio, nec esse res ullas praeter uirtutem, & uitia, inter quas quidquam omnino interesset; sic errare Zenonē, qui nulla in re, nisi in uirtute, aut uitio, propensionem ne minimi quidem momenti ad summum bonum adipiscendum esse diceret; &, cum ad beatam uitam nullum momentum ea res haberet, ad appetitionem rerum esse in his momenta diceret. Et lib. 1. de Leg. Siue Aristonis difficilem, atque arduam, sed iam tamen fractam, & conuictam sectam secuti sunt, ut, uirtutibus exceptis, atque uitijs, cetera in summa aequalitate ponerent. Et infra: Si, ut Aristo Chius, solum bonum esse diceret, quod honestum esset, malumque, quod turpe; ceteras res omnes plane pares, ac ne minimum quidem, utrum adessent, an abessent, interesse: ualde ex Xenocrate, & Aristotele, & ab illa Platonis familia discreparet. Et lib. 11. de Fin. Tres sunt fines expertes honestatis, unus Aristippi, uel Epicuri, alter Hieronymi, Carneadis tertius: tres, in quibus honestas cum aliqua accessione, Polemonis, Calliphonis, Diodori: una simplex, cuius Zeno auctor, positus in decore totus, ideſt in honestate. nam Pyrrho, Aristo, Herillus iamdiu abiecti. Et infra: Primum uilissimas res ad uirtutem addunt, deinde singulas potius, quam omnia, quae prima natura conciliauisset. quae cum Aristoni, & Pyrrhoni omnino uisa sunt pro nihilo, ut inter optime ualere, & grauissime aegrotare nihil prorsus dicerent interesse: recte iampridem contra eos desitum est disputari. dum enim in una uirtute sic omnia esse uoluerunt, ut eam rerum selectione exspoliarent; nec ei quidquam, aut unde oriretur, daret, aut ubi niteretur; uirtutem ipsam, quam amplexabantur, sustulerunt. Herillus autem ad scientiam omnia reuocans, unum quoddam bonum uidit, sed nec optimum, nec quo uita gubernari possit. itaque hic ipse iampridem est reiectus. post Chrysippum enim non sane est disputatum. Et lib. 111. Cum uirtutis hoc primum sit, earum rerum, quae secundum naturam sint, habere delectum: qui omnia sic aequauerunt, ut in utramque partem ita paria redderent, uti nulla selectione uterentur, uirtutem ipsam sustulerunt. Haec M. Cato: qui paullo post negat a se, Stoicisq. reliquis tolli rerum illud discrimen, quod Pyrrho, & Aristo prorsus esse tollendum censebant. nam, cum Cicero subiunxisset: Istud quidem optime dicis: sed quaero, non ne tibi faciendum idem sit, nihil dicenti bonum, quod non rectum, honestumq. sit, reliquarum rerum discrimen omne tollenti: respondet Cato: Siquidem tollerem: sed relinquo. Et lib. v. Hoc unum Aristo tenuit: praeter uitia, atque uirtutes, negauit rem ullam esse aut fugiendam, aut expetendam. Et in Hortensio: Aristo Chius, praefactus, ferreus, nihil bonum, nisi quod rectum, & honestum. Rursus ab Aristone Pyrrho dissensit in eo, quod illi summum bonum fuit, ijs, quae Zeno inter ea, quae secundum naturam, contraq. naturam essent, media numerabat, neutram in partem moueri; Pyrrho autem, ea ne sentire quidem sapientem. Qua tota de re sic lib. 1 v. de Fin. Mihi uidentur (loquitur ut Academicus) omnes quidem illi errasse, qui finem bonorum esse dixerunt, honeste uiuere; sed alius alio magis, Pyrrho scilicet maxime, qui, uirtute constituta, nihil omnino, quod appetendum sit, relinquat: deinde Aristo, qui nihil relinquere est ausus, introduxit autem quibus commotus sapiens appeteret aliquid, quod cuique in mentem incideret, & quodcumque tamquam occurreret. is hoc melior, quam Pyrrho, quod uel aliquod genus appetendi dedit; deterior, quam ceteri, quod penitus a natura recessit. Stoici autem, quod finem bonorum in una uirtute ponunt, similes sunt illorum; quod autem principium officij quaerunt, melius, quam Pyrrho: quod ea non occurrentia fingunt, uincunt Aristonem: quod autem ea, quae ad naturam accommodata, & per se assumenda esse dicunt, non adiungunt ad finem bonorum, desciscunt a natura, & quodam modo sunt non dissimiles Aristonis. illa enim occurrentia nescio quae comminiscebatur; hi autem ponunt illi quidem prima naturae, sed ea seiungunt a finibus, & a summa bonorum. quae cum proponunt, ut sit aliqua rerum selectio, naturam uidentur sequi: cum autem negant, ea quidquam ad beatam uitam pertinere, rursus naturam relinquunt. Herillus autem, cum Zenonem audisset, ab eo tamen, ceterisq. Stoicis, de fine bonorum in eo discrepabat, quod in cognitione, & scientia summum bonum posuit. Omitto illa, inquit in Lucullo, quae relicta iam uidentur, & Herillum, qui in cognitione, & scientia summum bonum ponit: qui cum Zenonis fuisset auditor; uides, quantum ab eo dissenserit. Et lib. 11. de Fin. Herillus ad scientiam omnia reuocans, unum quoddam bonum uidit, sed nec optimum, nec quo uita gubernari possit. itaque hic ipse iampridem est reiectus. post Chrysippum enim non sane est disputatum. Et lib. 1v. de Fin. Vtrique idem faciunr, ut, si laeuam partem negligerent, dexteram tuerentur; aut ipsius animi, ut fecit Herillus, cognitionem amplexarentur, actionem relinquerent. Et lib. v. Iunctae, & duplices expositiones summi boni, tres omnino fuerunt. nam aut uoluptas adiungi potest ad honestatem, ut Calliphoni, Clitomachoq. placuit; aut doloris uacuitas, ut Diodoro; aut prima natura, ut antiquis, quos eosdem Academicos, & Peripateticos nominamus. Restant Stoici: qui cum a Peripateticis, & Academicis omnia transtulissent, nominibus alijs easdem res secuti sunt. Iam explosae, eiectaeq. sententiae Pyrrhonis, Aristonis, Herilli, quod in hunc orbem, quem circumscripsimus, incidere non possunt, adhibendae omnino non fuerunt. Nam, cum omnis haec quaestio de finibus, & quasi de extremis bonorum, & malorum ab eo proficiscatur, quod diximus naturae esse aptum, atque accommodatum, quodq. ipsum per se primum appetatur: hoc totum & ij tollunt, qui in rebus ijs, in quibus nihil aut honestum, aut turpe sit, negant esse ullam causam, cur aliud alij anteponatur, nec inter eas res quidquam omnino putant interesse: & Herillus, si ita sensit, nihil esse bonum praeter scientiam, omnem consilij capiendi causam, inuentionemq. officij sustulit. Et infra: Saepe ab Aristotele, & Theophrasto mirabiliter est laudata per se ipsa rerum scientia: hoc uno captus Herillus, scientiam summum bonum esse defendit, nec rem ullam aliam per se expetendam. Haec ex Cicerone. Laertius autem Pyrrhonis, & Herilli uitam litteris mandauit, Aristonis omisit; quaedam tamen de eo sparsim tradidit; ut haec in Menedemi uita. Placet Cynicis, rationalem, naturalemq. philosophiam tolli, ab Aristone Chio non discedentibus,

moralemq. ſolam coli. Ibidem, in extremo: Quae inter uirtutem, & uitia ſunt, indifferentia, ut Ariſto Chius, appellant. Et in Zenone Citiaeo Ariſto Chius finem eſſe dixit ad aliquid, inter uirtutes, ac uitia indifferenter uiuere, uarietatem uel modicam nullam relinquens, ſed aequalitatem ſeruans omnibus in rebus: eſſe autem ſapientem praeclaro ſimilem hiſtrioni, qui ſiue Therſites, ſiue Agamemnonis perſonam ſumat, utrumque decentiſsimo geſtu imitatur. Naturalem, ac rationalem philoſophiam ſuſtulit, alteram dicens eſſe ſupra nos, alteram nihil ad nos; quae uero mores corrigat, ſolam ad nos pertinere. Virtutes neque multas, ut Zeno, neque unã, ut Megarici, quae multis appelletur nominibus, induxit. De Pyrrhone, & Herillo nihil addemus ex Laertio: cum utriuſque ab eo ſcripta uita exſtet. Legendum quoque Gellium lib. xi. cap. 5. de Pyrrhonis opinione, & ea, quae inter illum, & Academicos fuit, diſſenſione, lectorem admonemus. Explosa *ſententia eſt:* audita diſplicere, geſtus quidem, & uox, ſed maxime plauſus indicat, nam in exploſa re uidetur ineſſe turpitudo quaedam. eſt autem plauſus multitudinis proprius, hiſtrioni malo plaudentis in theatro. Paradoxo iii. Hiſtrio ſi paullo ſe mouit extra numerum, aut ſi uerſus pronunciatus eſt ſyllaba una breuior, aut longior; exſibilatur, & exploditur. Exploſa igitur eſt, ut abſurda, officioque, ideſt humanae ſocietati, contraria, Ariſtonis, Pyrrhonis, & Herilli ſententia, ſic, ut indigna prorſus haberetur contra quam ulla philoſophorum ſecta diſputaret: neque poſt Chryſippum, qui ad refellendam Ariſtonis opinionen rationibus multis uſus, contra quiſquam diſputauit. unde illa lib. iv. de Fin. Glorioſa oſtentatio in conſtituendo ſummo bono. cum enim, quod honeſtum ſit, id ſolum bonum eſſe confirmatur: tollitur cura ualetudinis, diligentia rei familiaris, adminiſtratio reip. ordo gerendorum negotiorum, officia uitae; ipſum denique illud honeſtum, in quo uno uultis eſſe omnia, deſerendum eſt. quae diligentiſsime contra Ariſtonem dicuntur a Chryſippo. Haec ſunt, quibus & Ariſtonis, & reliquorum officia, diſcrimenq. tollentium, exploſa ſententia eſt. quod idem lib. iii. de Fin. Pyrrho, inquit, Ariſto, Herillus, iamdiu abiecti. Et paullo poſt: Quae cum Ariſtoni, & Pyrrhoni uiſa ſunt pro nihilo, ut inter optime ualere, & grauiſsime aegrotare nihil prorſus diceret intereſſe: recte iampridem contra eos deſitum eſt diſputari. Ibidem de Herillo: Hic ipſe iampridem eſt reiectus. Et Tuſc. v. Ariſtonis, Pyrrhonis, Herilli, nonnullorumq. aliorum ſententiae euanuerunt. Hos autem, (Ariſtonem ſcilicet, Pyrrhonem, & Herillium) ait Cicero, nullum rerum delectum reliquiſſe, ideſt, delectum rerum omnium ſuſtuliſſe, negaſſe quidquam in uita deligi debere opinantes, & aſſerentes, nullam eſſe rem, quae probari magis, quam alia, poſſet: propterea non patuiſſe illis aditum ad inuentionem officij. emergit enim officium ex delectu, & ex eo, quod probamus: qui uero nihil deligit, nihil probat, officium inuenire qui poterit? Iure igitur eorum exploſa ſententia eſt, utpote quae a communi ſenſu nimium abhorreret, neque dogma ullum haberet: cum nulla praeterea philoſophorum ſecta ſuo dogmate careret. Laertius de Ariſtone nihil, ut diximus. numerat enim Ariſtones aliquot, opinionibus eorum omiſsis: inter quos non fuiſſe uidetur hic Ariſto, quem cum Pyrrhone, & Herillo, quaſi unum & idem omnes ſenſerint, Cicero coniungit. Vnum ait muſicum fuiſſe, alterum poetam, tertium artis oratoriae ſcriptorem: e quibus certe hic non fuit, cum philoſophus haberi uellet: tres Peripateticos addit. & Peripateticis aditus erat ad inuentionem officii, Ariſtoni uero huic, Pyrrhoni, & Herillo non erat. Herillum autem & ſi Laertius nominet, non hunc eſſe opinor. nam Carthaginienſis, quem nominat, qui finem dicebat eſſe ſcientiam, & ad uiuendum cum ſcientia cuncta referebat, hic certe non eſt. Eorum igitur opinio, a Laertio praetermiſſa, ex Pyrrhonis opinione colligitur. is autem, ut in eius uita teſtis eſt Laertius, dogma nullum habuit, res omnes pariter contempſit, nullam ex infinita uniuerſitate probauit, nihil inter eas affirmans intereſſe: non differre honeſtum a turpi, iuſtum ab iniuſta, diuitias a paupertate, uoluptatem a dolore: & opinionem uita comprobaſſe; nam, currente aduerſus eum curru, & cane, loco non ceſsiſſe, ſed a familiaribus cum ſequentibus retractum: eundem Anaxarcho, magiſtro ſuo, in ſcroben prolapſo, opem non tuliſſe. Recte igitur Cicero dixit, nullum eos rerum delectum reliquiſſe. Qvi *tamen haberent ius ſuum diſputandi de officio, ſi rerum aliquem delectum reliquiſſent*, ℈ quo modo enim diſputare de officio poſſunt, qui ea tollunt, unde oritur officium? tollunt enim delectum, diſcrimenq. rerum; cum paria omnia eſſe putent, ſolum autem bonum eſſe, quod honeſtum ſit. Illuſtrant hunc locum uerba illa lib. iv. de Fin. Cum, honeſtum quod ſit, id ſolum eſſe bonum confirmatur: tollitur cura ualetudinis, diligentia rei familiaris, adminiſtratio reip. ordo gerendorum negotiorum, officia uitae; ipſum denique illud honeſtum, in quo uno uultis eſſe omnia, deſerendum eſt. Et quae proxime ſequuntur: Officia tollebantur, delectu omni, & diſcrimine remoto: quae enim eſſe poterant, rebus omnibus ſic aequatis, ut inter eas nihil intereſſet. Vt *ad officij inuentionem aditus eſſet*. ℈ delectu rerum peruenitur ad officium: delectu autem ſublato, quem tres illi tollebant, aditus ad officij inuentionem praecluditur. Hoc *quidem tempore, & in hac quaeſtione*, ℈ germanum Stoicum non fuiſſe, haec uerba declarant. eſt enim perſpicuum, hoc dici: ſe quidem hoc tempore, & in hac quaeſtione addictum eſſe uelle Stoicorum doctrinae; alio tempore, & in hac quaeſtione non item. Potissimvm *Stoicos*, ℈ Stoicos potius, quam alios, quod ea diſciplina honeſtatem, & officium in primis coleret. recte igitur, cum de moribus ageret, eos maxime, qui moribus excellerent, imitandos filio proponit. ut, ſi minus ad ſummun perueniat, laudem tamen, in medio conſiſtens, haud paruam aſſequatur. Hos Tuſc. i. amicos ſuos dicit. Non *ut interpretes*, ℈ interpretes nullam eius libri, quem interpretantur, ſententiam praetermittunt. id enim eorum munus eſt. eam Cicero exiguam laudem putat: ideo ſubiungit: Sed, ut ſolemus: quia, cum ueterum Graecorum ſcientiam Latine referret, de ſuo multa ſolitus eſſet addere; ne alienae tantum ſeruire uideretur induſtriae: nullius addictus iurare in uerba magiſtri. E *fontibus eorum*, ℈ Cicero Acad. i. Meos, inquit, amicos, in quibus eſt ſtudium, in Graeciam

mitto:

mitto: ideſt, ad Graecos ire iubeo, ut ea e fontibus potius hauriant, quam riuulos conſectentur. Quoq. *modo uidebitur*, § addendo, minuendo, mutando: quo ſint illa ipſa, quae de Graeco uertuntur, & utiliora Latinis hominibus, & iucundiora, quam ſi Graeca legerentur. propterea dictum eſt in prima Prooemij parte: Vt non modo Graecarum litterarum rudes, ſed etiam docti, aliquid ſe arbitrentur adeptos & ad dicendum, & ad iudicandum. A. Panaetio § Stoico, clari nominis philoſopho: quem in hac potiſſimum quaeſtione ſequebatur. Rhodi natus eſt, ut & Poſidonius. docuit minorem Africanum. Praetermissvm § Miratur Cicero a Panaetio officij definitionem praetermiſſam eſſe: atque ita eum ſimul reprehendit: in quam quidem reprehenſionem ipſummet Ciceronem, qui, quid ſit Officium, definire pollicitus eſt, docti uiri incidiſſe aiunt. non enim ſubijcit, quid ſit Officium, ſed diuidit. At dicendum, praeclare feciſſe Ciceronem, qui, cum ſciret, non unam eſſe hominum actionem, ſed multiplicem: atque etiam uaria officiorum genera: iccirco non potuit unam ac ſimplicem officij definitionem tradere. Hac igitur de cauſſa primum ab officij definitione exorſus eſt, deinde officium ipſum diuidendo definijt. Miror. § miti uerbo utitur: de magiſtro loquens. Omnis *inſtitutio* § omnis diſputatio. nam diſputatio docet, atque inſtituit. A. ratione § ſi modo rationem ſequi uolumus in diſputando. quae poteſt enim eſſe, ſine ratione, recta inſtitutio? Debet *a definitione proficiſci*; § initium ſumere. hoc ſeruatur ab Ariſtotele in omnibus fere libris. quod ſi omittatur; incerto quaſi gradu procedimus ad id, de quo futura diſputatio eſt. nam poſt definitionem conſiderantur partes, ex quibus conſtat: quibus cognitis, obſcuritatis in ſubiecta re nihil relinquetur.

CICERO

Omnis *de officio duplex eſt quaeſtio. unum genus eſt, quod pertinet ad finem bonorum: alterum, quod poſitum eſt in praeceptis, quibus in omnes partes uſus uitae conformari poſsit. Superioris generis huiuſmodi exempla ſunt; omnia ne officia perfecta ſint; num quid officium aliud alio maius ſit: & quae ſunt generis eiuſdem. Quorum autem officiorum praecepta traduntur, ea quamquam pertinent ad finem bonorum, tamen id minus apparet, quia magis ad inſtitutionem uitae communis ſpectare uidentur. de quibus eſt nobis his libris explicandum. Atque etiam alia diuiſio eſt officij. nam & medium quoddam officium dicitur, & perfectum. perfectum officium rectum (opinor) uocemus, quod Graeci* κατόρθωμα, *hoc autem, commune, quod ij* καθῆκον *uocant. atque ea ſic definiunt, ut, rectum quod ſit, id perfectum officium eſſe definiant; medium autem officium, id eſſe dicant, quod cur factum ſit, ratio probabilis reddi poſsit.*

EXPLANATIO

Omnis *de officio duplex eſt quaeſtio.* § Velle ſe Officium definire, ut diximus, pollicitus eſt, & diuidere potius uidetur, quam definire. Sed in diuiſione continetur ipſa definitio. nam, cum officium ita diuiditur: Officiorum duo genera, unum, quod pertinet ad finem bonorum; alterum, quod poſitum eſt in praeceptis, quibus in omnes partes uſus uitae conformari poſsit: quis non uidet, duas oriri definitiones? unam prioris generis: Officium eſt illud, quod pertinet ad finem bonorum. alterum poſterioris: Officium eſt illud, quo uita communis inſtituitur, & conformatur. Haec igitur eſt prima diuiſio, & prima definitio, ſimul iunctae. Altera diuiſio, & altera definitio, ſeparatim traditae, ſequuntur infra, in ijs uerbis: Atque etiam alia diuiſio eſt officij. nam & medium quoddam eſt officium, & perfectum. atque ea ſic definiunt, ut, rectum quod ſit, id perfectum eſſe dicant: medium autem officium id eſſe dicant, quod cur factum ſit, ratio probabilis reddi poſsit. Quod *pertinet ad finem bonorum:* § quo ignorato, finem bonorum noſſe, & conſequi non licet. ad finem enim bonorum ducimur officiorum uia. Vsvs *uitae conformari poſsit.* § mirum eſt, quam multis in locis, pro, Conformare, ſcripſerant imperiti librarij, Confirmare; ignoratione pulcherrimi uerbi, quod etiam hic repoſuimus: nec ueremur, quin periti Latini ſermonis noſtram coniecturam probent, ac ſequantur. Loquitur enim hic Cicero de uita hominum, praeceptis emendanda, officiorumq. obſeruatione ad uirtutem dirigenda. quae ſi per ſe eſſet optima, quid praeceptis opus eſſet? aut cur hos libros de Officijs Cicero conſcriberet? Ergo praecepta tradenda fuerunt: ut uſus uitae ad honeſtam, laudabilemq. formam redigeretur. In quo non quadrant, aut certe multo minus conuenit, Confirmari. Mecum faciunt duo ex meis ueteribus libris. Perfecta § i. eo & iudicio, & uoluntate ſuſcepta, & ad exitum perducta, ut nulla ignorantiae nubecula, nulla prauae cupiditatis labe admiſta contaminentur, ut ad uerum ſcopum, citra ullas ambages, contendatur, nec uſquam ab eo deerretur. Nvmqvid *officium aliud alio maius ſit:* § haec quaeſtio ex altera pendet. ſi. n. non omnia officia perfecta ſunt: aliud officium alio eſſe maius, aut minus, ſatis apparet. perfecta enim, & magnitudine, & dignitate imperfectis praeſtant; minoraq. ſunt τὰ καθήκοντα τῶν κατορθωμάτων. Atqve *etiam alia diuiſio eſt officij.* § altera officij diuiſio: e qua item oritur altera definitio. Perfectvm *officium*, § quod in Tuſc. Cic. oſtendit, cum agit de contemnenda morte, de ferenda paupertate. itaque pertinet ad ſolũ ſapientem. Lib. III. Illud quidẽ honeſtum, quod proprie, uereq. dicitur, id in ſapientibus eſt ſolis, neque a uirtute diuelli umquam poteſt: in ijs autem, in quib. ſapientia perfecta non eſt, ipſum illud quidem perfectum honeſtum nullo modo eſſe poteſt, ſimilitudines honeſti eſſe poſſunt. Κατόρθωμα § i. officium perfectum, quod uir ſapiens facit. Καθῆκον § i. officium medium, quod facere poteſt ille, qui perfecte ſapiens non eſt. nam Stoici eum ſa-

Landesbibliothek Oldenburg

pientem uocant, qui numquam fuit, neque esse poterit, uel futurus non est. qui uero sapiens non est, perfectum officium facere non potest. Hoc *autem, commune*, § de quo diximus his libris explicandum.

CICERO

TRIPLEX *igitur est, ut Panaetio uidetur, consilij capiendi deliberatio. Nam, honestum ne factu sit, an turpe, dubitant; id quod in deliberationem cadit. in quo considerando, saepe animi in contrarias sententias distrahuntur. Tum autem inquirunt, aut consultant, ad uitae commoditatem, iucunditatemque, ad facultates rerum, atque copias, ad opes, ad potentiam, quibus & se possint iuuare, & suos, conducat id, nec ne, de quo deliberant: quae deliberatio omnis in rationem utilitatis cadit. Tertium dubitandi genus est, cum pugnare uidetur cum honesto id, quod uidetur esse utile. cum enim utilitas ad se rapere, honestas contra reuocare ad se uidetur; fit, ut distrahatur in deliberando animus, afferatq. ancipitem curam cogitandi. Hac in diuisione, cum praeterire aliquid maximum uitium in diuidendo sit, duo praetermissa sunt. nec enim solum, utrum honestum, an turpe sit, deliberari solet; sed etiam, duobus propositis honestis, utrum honestius; itemque, duobus propositis utilibus, utrum utilius. ita, quam ille triplicem putauit esse rationem, in quinque partes distribui debere reperitur. primum igitur est de honesto, sed dupliciter; tum pari ratione de utili; post de comparatione eorum disserendum.*

EXPLANATIO

TRIPLEX *igitur est, ut Panaetio uidetur, consilij capiendi deliberatio*. § uide Ciceronem ad Att. lib. XVI. Sunt autem quaestiones de Officijs quinque, I. Honestum, an turpe. II. Honestum honesto honestius. III. Vtile, an inutile. IV. Vtile utili utilius. V. de Comparatione. TVM *autem inquirunt, aut consultant*, § est quaedam ingeniorum procliuitas ad mutandum. qui morbus multas corrupit Latinae linguae partes. Aeque Latina uerba sunt, Inquiro, & Anquiro: aeque igitur in libris retineantur, nisi si consensus omnium ueterum librorum aduersetur: cum praesertim, utro modo legatur, sententia lucri nihil faciat. alioqui lusus quidam uidetur, si, cum nihil accedit ad sententiam, uerborum mutatione delectemur. In meis quattuordecim antiquis libris est, Inquirunt. quo libentius, quod receptum iam est, tueor. unus Tertij habet, Tum autem aut anquirunt, aut consultant. VITAE *commoditatem*, § alia enim alij commoda sunt, pro ingeniorum, corporum, fortunarum, studiorum uarietate. IVCVNDITATEM, § Aristoteles, qui certa aliqua re delectantur, φιλοτοιοῦτος appellat. FACVLTATES *rerum, atque copias*, § non tantum, quantum opus est, sed etiam ut supersit. OPES, § i. amici, gratia, auctoritas. inde Adagium, Vbi amici, ibi opes. non enim pecuniam tantum significat. unde, Opem ferre, i. iuuare. POTENTIAM, § i defensionem sui, & suorum, offensionemq. aduersariorum: non modo ut tuti ab iniuria, uerum etiam inimicis formidabiles, amicis autem solatio, praesidioq. simus. IN *rationem utilitatis cadit*. § Obseruandum hoc loquendi genus, Ratio cum genitiuo. VIDETVR § hominibus leuiter eruditis, populariterq. & sentientibus, & loquentibus. Stoici enim nihil putabant utile, quod honestum non esset. Inde Ausonius: Numquam discrepat utile a decoro. Lib. III. coniungit utilitatem, & honestatem. CVM *honesto* § quod lucet ipsum per se. ID, *quod uidetur esse utile*. § quod falsa specie utilitatis blanditur, naturamq. boni fallaciter imitando adulterat. RAPERE § utilitatis maiorem esse uim indicat. REVOCARE § ducere, allicere, persuadere. Reuocare, autem dicit, ut ostendat hominem natura esse honestati coniunctum, a qua interdum abstrahitur specie utilitatis, & illecebris uoluptatis. ANCIPITEM *curam* § Ouidius:

-- aliudq. cupido,
Mens aliud suadet. Video meliora, proboque,
Deteriora sequor.

Imitatus autem Ouidius Euripidem Medea.
Qui & in Hippolyto Coronato idem dixit.

Demosthenes quoque de suis Athenienſibus queritur, rei bene gerendae pleraſque occaſiones eos amiſiſſe, non quod ignorarent, quid officij ſui eſſet, ſed quod id exſequi nollent. haec autem eius ſunt: Οὐ γὰρ ὑμᾶς, ὦ Ἀθηναῖοι, τὰ πλείω τῶν πραγμάτων ἐκπεφευγέναι, τῷ μὴ βούλεσθαι τὰ δέοντα ποιεῖν, οὐ τῷ μὴ σωιέναι. PRIMVM *igitur est de honesto, sed dupliciter; tum pari ratione de utili; post de comparatione eorum disserendum*. § his uerbis argumentum horum trium librorum persequitur.

CICERO

PRINCIPIO, *generi animantium omni est a natura tributum, ut se, uitam, corpusq. tueatur, declinetq. ea, quae nocitura uideantur; omniaque, quae sint ad uiuendum necessaria, inquirat, & paret, ut pastum, ut latibula, ut alia eiusdem generis. commune item animantium omnium est coniunctionis appetitus procreandi caussa, & cura quaedam eorum, quae procreata sunt. sed inter hominem, & belluam hoc maxime interest, quod haec tantum, quantum sensu mouetur, ad id solum, quod adest, quodq. praesens est, se accommodat, paullulum admodum sentiens praeteritum, aut futurum: homo autem, qui rationis est particeps, per quam consequentia cernit, principia, & caussas rerum uidet, earumq. progressus, & quasi antecessiones non ignorat, similitudines comparat, rebusq. praesentibus adiungit, atque annectit futuras; facile totius uitae cursum uidet, ad eamq. degẽdam praeparat res necessarias: Eademq. natura ui rationis hominem conciliat homini*

& ad

& ad orationis, & ad uitae societatem; ingeneratq. in primis praecipuum quendam amorem in eos, qui procreati sunt; impellitque, ut hominum coetus & celebrari inter se, & sibi obedire uelit; ob easq. causas studeat parare ea, quae suppeditent ad cultum, & ad uictum, nec sibi soli, sed coniugi, liberis, ceterisque, quos caros habeat, tueriq. debeat. quae cura excitat etiam animos, & maiores ad rem gerendam facit. in primisq. hominis est propria ueri inquisitio, atque inuestigatio. itaque, cum sumus necessariis negotijs, curisq. uacui, tum auemus aliquid uidere, audire, ac discere; cognitionemq. rerum aut occultarum, aut admirabilium, ad bene, beateq. uiuendum necessariam ducimus. ex quo intelligitur, quod uerum, simplex, sincerumq sit, id esse naturae hominis aptissimum. Huic uero uidendi cupiditati adiuncta est appetitio quaedam principatus; ut nemini parere animus bene informatus a natura uelit, nisi praecipienti, aut docenti, aut utilitatis caussa iuste, & legitime imperanti: ex quo animi magnitudo exsistit, humanarumq. rerum contemptio. Nec uero illa parua uis naturae est, rationisque, quod unum hoc animal sentit, quid sit ordo, quid sit quod deceat in factis, dictisque, qui modus. itaque eorum ipsorum, quae adspectu sentiuntur, nullum aliud animal pulchritudinem, uenustatem, conuenientiam partium sentit. quam similitudinem natura, ratioq. ab oculis ad animum transferens, multo etiam magis pulchritudinem, constantiam, ordinem in consilijs, factisq. conseruandum putat; cauetque, ne quid indecore, effeminate ue faciat; tum, in omnibus & opinionibus, & factis ne quid libidinose aut faciat, aut cogitet. quibus ex rebus conflatur, & efficitur, id quod quaerimus, honestum; quod etiam si nobilitatum non sit, tamen honestum sit; quodq. uere dicimus, etiam si a nullo laudetur, laudabile esse natura.

EXPLANATIO

PRINCIPIO, *generi animantium omni est a natura tributum, &c.* § Stoicos imitatur, qui initio disputationis prima quaeque a natura ducebant. quod Plutarchus de Chrysippo scriptum reliquit. Idemq. tradit Cicero lib. v. de Finibus. *Principio*: Sic Liuius: Iam primum omnium satis constat. Praeclara autem est scribendi, atque etiam dicendi ratio, cum a genere ad partes, & a partibus ad unum illud, quod propositum nobis est, oratio deducitur. VT *se, uitam, corpusq. tueatur*, § Taurus apud Agell. lib. 2. cap. 5. Natura, inquit, omnium rerum, quae nos genuit, induit nobis, inoleuitq. in ipsis statim principijs, quibus nati sumus, amorem nostri, & caritatem, ita prorsus, ut nihil quidquam esset carius, pensiusq. nobis, quam nosmetipsi. *Se*, totum est. *Vitam*, idest animam, quae est uitae caussa. *Tueatur*: uim ui repellat. hinc bruta, dentibus, cornibus, unguibus, testis, crustis, squamis, spinis, & id genus alijs rebus armata, & munita sunt, ut aut uim propulsare, aut quomodocumque se tueri queant, alia minus, alia magis. Vnde illud Phocylidis: Οπλον ἑκάστῳ νέμεθεός. Raro eiusdem generis animantes mutuo se deuorant, aut laedunt, nisi irritatae. quod Plinius tradit lib. VII. & Iuuenalis Sat. XV. Solus homo homini inimicus. QVAE *nocitura uideantur*; § Plin. lib. IIX. cap. 4. Nimirum haec est natura rerum, haec potentia eius, saeuissimas ferarum, maximasque, quae numquam uidissent, quod debeant timere, statim intelligere, cur sit timendum. OMNIAQVE, *quae sint ad uiuendum necessaria*, § Plut. πότερα τῶν ζώων φρονιμώτερα, τὰ χερσαῖα, ἢ τὰ ἔνυδρα. & in Gryllo, siue περὶ τοῦ τὰ ἄλογα λόγῳ χρῆσθαι. CONIVNCTIONIS *appetitus*, § Aristoteles: φυσικώτατον ἐστὶ τὸ γεννᾶν ἑαυτῷ ὅμοιον: Procreare sui similem, est maxime secundum naturam. Plato in Conuiuio, partum, fetumq. ex congressu uiri, & mulieris prouenientem, diuinum opus appellat. ET *cura quaedam eorum, quae procreata sunt*. § scilicet, nutriendi. Vide Phauorinum apud Agell. lib. XII. cap. 1. Macrobium lib. v. cap. 11. & Plut. in lib. de liberis educandis. SED *inter hominem, & belluam hoc maxime interest, quod haec tantum, quantum sensu mouetur, ad id solum, quod adest, quodq. praesens est, se accommodat*, § Videtur Aristotelem imitatus in eo loco Pol. I. καὶ ὁ κοινωνὸν λόγου τοσοῦτον, ὅσον αἰσθάνεσθαι. *Sensu mouetur*: Prouerbium: Ἐκ τοῦ ἰσορᾶν γίγνεται ἀνθρώποις τὸ ἐρᾶν: Amor ex adspectu nascitur mortalibus. HOMO *autem, qui rationis est particeps, per quam consequentia cernit, & caussas rerum uidet, earumq. progressus, & quasi antecessiones non ignorat, & similitudines comparat, rebusq. praesentibus adiungit, atque annectit futuras*; § hoc plane totum sumpsit ex Polybij lib. VI. Τοῦ γὰρ γένους τῶν ἀνθρώπων, inquit, ταύτῃ διαφέροντος τῶν ἄλλων ζώων, ἢ μόνοις αὐτοῖς μάτεσι νοῦν, καὶ λογισμοῦ, φανερὸν ὡς οὐκ εἰκὸς παρατρέχειν αὐτοὺς τὴν προκειμένην διαφοράν, καθάπερ ἐπὶ τῶν ἄλλων ζώων, ἀλλ' ἐπισημαίνεσθαι τὸ γινόμενον, καὶ δυσαρεστεῖσθαι τοῖς παροῦσι, προορωμένους τὸ μέλλον, καὶ συλλογιζομένους, καὶ τὸ παραπλήσιον ἑκάστοις αὐτῶν συγκρίσει. Quibus tamen in uerbis suspicor esse mendum: nec Perottus interpres locum recte uertit: qui mihi uidetur ex Cicerone posse corrigi, aut egregie saltem intelligi. Quinctilianus lib. II. cap. 1. Atque adeo naturalis est homini ratio, ut, sicut aues ad uolatum, equi ad cursum, ad saeuitiem ferae gignuntur; ita nobis propria est agitatio mentis, atque sollertia, unde origo animi caelestis creditur. hebetes vero, & indociles non magis secundum naturam eduntur, quam prodigiosa corpora, & monstris insignia. Vide Cic. I. de Leg. Lactant. de opificio hominis, cap. 2. eundem Quinct. lib. cap. 17. Senecam lib. x. Epist. qui ait, Rationem hominis esse propriam, cetera illi cum animalibus communia esse. In quo forte Aristotelem sequitur, I. de hist. anim. Phocylides:

Οπλον τοι λόγος ἀνδρὶ τυμώτερός ἐστι σιδήρου.

Idest: Ratio, & oratio sunt arma hominis, acutiora ferro.

Euripides:

Βραχὺ τοι σθένος ἀνέρος: ἀλλὰ ποικιλίαις πραπίδων
Δαμᾶ φῦλα πόντου, χθονίων τ' ἐανὰ παιδεύματα.

Idest: Exiguae quidem sunt hominis uires: sed ingenij sollertia

Domat

Domat marinas belluas, & uarios terrestrium animalium fetus.

PRINCIPIA, *& causſas rerum uidet*, ℈ gloſſema ſuſpicor fuiſſe, Principia: nec eſt in antiquis libris, nec requiritur a ſententia: quodq. ualde me mouit, librum habeo ueterem, in quo ſcriptum eſt, ſupra uerbum Cauſſas, Ideſt principia. Vt iam, niſi fallor, de loci ſinceritate dubitatio nulla relinquatur. EARVMQ. *progreſſus, & quaſi anteceſſiones non ignorat*, ℈ earum rerum, non, earum cauſſarum, interpretor. homo enim rationis ope intelligit, quo modo res & progrediuntur, & quaſi antecedunt. Addidit autem Cicero, Quaſi, quia proprie res non antecedunt, ſed uidentur antecedere, cognitis earum cauſsis, ex quibus ipſae res oriuntur, & in quibus ineſſe quodam modo uidentur. Progreſſus, non, Praegreſſus, & ſententia poſtulat, iam a nobis explicata, & eo libentius retineo, quia teſtimonio comprobatur meorum omnium ueterum librorum. ET *ſimilitudines comparat:* ℈ ne deſciſcere uidear ab antiquitate, quam ſequi me profiteor, addidi copulam: cum in ueteribus cunctis exemplaribus uel ea ipſa ſit, uel, Sed: quod minime placet. REBVS Q. *praeſentibus adiungit, atque annectit futuras*, ℈ Homerus de Calchante:

Ὅς γ' ἤδει τὰ τ' ἐόντα, τὰ τ' ἐσσόμενα πρό τ' ἐόντα.

Ex quo Virgilius, de Proteo:

— norat,

Quae ſint, quae fuerint, quae poſt uentura trahantur.

VT *hominum coetus & celebrari inter ſe, & ſibi oboedire uelit;* ℈ quis non intelligit, ciuitates deſcribi? coetus enim multorum hominum, legibus utentium, Ciuitas eſt. Verbum, *Celebrari*, frequentiam congregatae multitudinis oſtendit: *Oboedire*, leges: quae niſi ſint, coetus ille hominum nemini oboediat; ſed ex libidine ſua, temere ferarum more uiuat. *Celebrari* autem, pro Coire. ex quo, Celebris locus, & Deſertus, opponuntur. SVPPEDITENT ℈ ſunt, qui legant, Suppetitent: ut ſit frequentatiuum a Suppeto. CETERISQVE, *quos caros habeat*, ℈ In eam ſententiam Euripides in tragoediae, quae Ηρακλεῖδαι inſcribitur, exordio:

Πάλαι πόθ' ἑστὶ τοῦτό μοι δεδογμένον,
Ὡς ὁ δίκαιος τοῖς πέλας πεφυκ' ἀνήρ.
Οὗ δ' εἰς τὸ κέρδος λῆμ' ἔχων ἀνειμένον,
Πόλει τ' ἄχρηστος, κἀ σωσαλλάσσειν ἄπτυς,
Αὐτῷ δ' ἄριστος. &c.

Ideſt: Iam olim in ea ſententiam fui, Virum bonum alijs eſſe natum. Cuius uero animus pecuniae inhiat, is & Reip. eſt inutilis, & ad commercia difficilis, & ſibi ipſi uero optimus. EXSVSCITAT ℈ a ſomno ignauiae. Sic Virg. Ge. 1. de Ioue:

— curis acuens mortalia corda
Nec torpere graui paſſus ſua regna ueterno,
Vt uarias uſus meditando extunderet artes.

HOMINIS *eſt propria ueri inquiſitio, atque inueſtigatio.* ℈ metaphora, a uenatoribus, qui e ueſtigijs luſtra ferarum indagant. unde illud apud Comicum: Pedum uiſa eſt uia. Natura enim habet quaedam ſenſibus obuia, e quibus concludit ratio, quae ſenſus perſpicere nullo modo poteſt. Inde Ouidius erecto ſtatu corporis humani colligit homini res caeleſtes eſſe propoſitas, Metam. 1.

Pronaq. cum ſpectent animalia cetera terram,
Os homini ſublime dedit, caelumq. uidere
Iuſsit, & erectos ad ſidera tollere uultus.

Et Salluſtius in Catilinae prooemio: Omnes homines, qui ſeſe ſtudent praeſtare ceteribus animalibus, ſumma opera niti decet, ne uitam ſilentio tranſeant, ueluti pecora, quae Natura prona, atque uentri oboedientia, finxit. Cicero pro Milone ex humana mente ratiocinatur, Mundi uniuerſitatem diuina quadam mente gubernari. eius haec ſunt: Neque in his corporibus, atque in hac imbecillitate noſtra, ineſt quiddam, quod uigeat, & ſentiat: & non eſt in hoc tanto naturae, & tam praeclaro motu. Cic. de Leg. l. 1. & de Nat. de. l. 2. Naturam, inquit, nos celſos, & rectos conſtituiſſe, ut deorum cognitionem, caelum intuentes, capere poſſemus. Et Plato in Cratylo. ID *eſſe naturae hominis aptiſſimum.* ℈ natura enim omnes homines ſcire deſiderant. Prouerbium eſt, Veritatis ſimplex oratio. Mendacia, & ſimulationem Euripides inſectatur, Andromacha:

Ὦ πᾶσιν ἀνθρώποισιν ἔχθιστοι βροτῶν
Σπάρτης ἔνοικοι, δόλια βουλεύματα,
Ψευδῶν ἄνακτες, μυχανορράφοι κακῶν,
Ελικτά, κοὐδὲν ὑγιές, ἀλλὰ πάντα πέριξ
Φρονοῦντες: ἀδίκως εὐτυχεῖτ' ἂν ἑλλάδα.

Ideſt: O Spartani, omnibus mortalibus inimiciſsimi, doloſi conſultores, mendaciorum reges, callidi malorum concinnatores, ſine ullo candore, perplexis, & intricatis animis: iniuria felices eſtis in Graecia. VERI *uidendi cupiditati* ℈ Videndi, participium praeſentis paſsiui eſt, Linacro. APPETITIO *quaedam principatus;* ℈ hinc Caeſar in paruulo opidulo primus, quam Romae ſecundus, eſſe malebat. Hinc illud:

Πηλεὺς μὲν ᾧ παιδὶ γέρων ἐπέτελλ' ἀχιλλῆι,
Αἰὲν ἀριστεύειν, καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων.

Ideſt: Peleus grandaeuus nato mandabat Achilli,

Fortia

Fortia facta gerens alios superaret ut omnes.
Et apud Lucanum:
-- Caesar non ferre priorem,
Pompeius ue parem uoluit. —

VT *nemini parere animus* § Aristoteles IV. Politic. c. II. EX *quo animi magnitudo exsistit, humanarumq. rerum contemptio.* § proxime dixit, Vt nemini parere animus bene informatus a natura uelit, nisi praeripienti, aut docenti, aut utilitatis caussa iuste, & legitime imperanti. Quae uerba satis ostendunt, sermonem de uirtute subiungi. Est autem uirtus, Animi magnitudo, humanarumq. rerum contemptio. non, Humanarumq. rerum contentio; ut alij malunt. Ego, praeter sententiam, satis, ut arbitror, perspicuam, ueteres etiam libros, consentientes in, Contemptio, secutus sum. EORVM *ipsorum, quae adspectu sentiuntur,* § cum oculorum sensu bruta quoque utantur, ordinem tamen in sensilibus non agnoscunt. Gustum, Tactumq. Aristoteles ἀκολάστους, hoc est intemperantes, dixit; Gellius, belluinos, quod ex ipsis immodica uoluptas capiatur. Reliquos, Visum, Auditum, & Olfactum homini soli tribuunt. AB *oculis ad animum* § Inde Plato ἄνθρωπον non tam παρὰ τὸ ἄνω τρέπειν τὸν ὤπα, hoc est, a uultu sursum conuerso, quam παρὰ τὸ ἀναθρεῖν ἃ ὄπωπεν, a rebus, quas uiderit, considerandis dictum putat. Menander:

Ὡς χαρίεν ἐστ' ἄνθρωπος ἂν ἄνθρωπος ᾖ.

Quam suauis res est homo, si sit homo.

INDECORE, § contra modestiam, siue temperantiam. EFFEMINATE VE § molliter: mulierum more: contra uiri decorum. nam Mulierem dictam, quasi Mollem aerem, ab animi mollitie, Grāmatici aiunt: Graeci uero Virum, Ἀέρα, dicunt, quasi ἄνω ἄερα. LIBIDINOSE § excluſa ratione. NOBILITATVM § hoc explanatur proxime sequentibus uerbis. *Nobilitatum:* multorum sermonibus, & admiratione celebratum.

CICERO

FORMAM *quidem ipsam, Marce fili, & tamquam faciem honesti uides: quae si oculis cerneretur, mirabiles amores (ut ait Plato) excitaret sapientiae. Sed omne, quod honestum est, id quattuor partium oritur ex aliqua: aut enim in perspicientia ueri, sollertiaq. uersatur; aut in hominum societate tuenda, tribuendo suum cuique, & rerum contractarum fide; aut in animi excelsi, atque inuicti magnitudine, ac robore; aut in omnium, quae fiunt, quaeq. dicuntur, ordine, & modo, in quo inest modestia, & temperantia. quae quattuor quamquam inter se colligata, atque implicita sunt: tamen ex singulis certa officiorum genera nascuntur: uelut ex ea parte, quae prima descripta est, in qua sapientiam, & prudentiam ponimus, inest indagatio, atque inuentio ueri: eiusq. uirtutis hoc munus est proprium. ut enim quisque maxime perspicit, quid in re quaque uerissimum sit, quiq. & acutissime, & celerrime potest & uidere, & explicare rationem, is prudentissimus, & sapientissimus rite haberi solet. quocirca huic, quasi materia, quam tractet, & in qua uersetur, subiecta est ueritas. reliquis autem tribus uirtutibus necessitates propositae sunt ad eas res parandas, tuendasque, quibus actio uitae continetur; ut societas hominum, coniunctioq. seruetur; & animi excellentia, magnitudoq. cum in augendis opibus, utilitatibusq. & sibi, & suis comparandis, tum multo magis in his ipsis despiciendis eluceat. Ordo autem, & constantia, & moderatio, & ea, quae sunt his similia, uersantur in eo genere, ad quod adhibenda est actio quaedam, non solum mentis agitatio. his enim rebus, quae tractantur in uita, modum quendam adhibentes, & ordinem, honestatem, & decus conseruabimus.*

EXPLANATIO

FORMAM *quidem ipsam,* § Homines ait habere semina quaedam, & uirtutis igniculos a natura datos, ex quibus conflatur honestum, quod est secundum naturam, & diuiditur in quattuor partes, Prudentiam, Iustitiam, Fortitudinem, Temperantiam: quae sunt magnae, & uerae uirtutes, quod ex ratione oriantur: quia nihil in homine diuinius. De his ergo disputat, quos appellat fontes omnium officiorum. Sed prius de officijs, i. operationibus studiosis, quae ab ipsa Prudentia oriuntur; inde a Iustitia, & Fortitudine; postremo a Temperantia: ubi declarat, quid sit illud decorum, quod ubique seruandum est. demum, propositis duobus honestis, utrum sit honestius. VT *ait Plato,* § in Phaedro. MIRABILES *amores excitaret sapientiae.* § inde natum adagium: Ἐκ τοῦ ὁρᾶν γίγνεται τὸ ἐρᾶν. Quod Graecorum scriptis celebre est. Sui, pro Sapientiae, reponendum quidam putarunt; ex Platone, cuius haec sunt: Ὄψις ἡμῖν ὀξυτάτη ἰὼν διὰ τοῦ σώματος ἔρχεται διαθήσεων, ἣ φρόνησις οὐχ ὁρᾶται. δεινοὺς γὰρ ἔνηρεν ἔρωτας, εἴτι τοιοῦτον ἕτερον ἐναργὲς εἴδωλον παρεῖχετο εἰς ὄψιν ἰόν. Cicero etiam lib. II. de Fin. Quam illa, inquit, ardentes amores excitaret sui, si uideretur. Sed, si retineas, Sapientiae, ita explana: *Sapientiae:* fons enim, unde manat sapientia, honestum est. COLLIGATA, § unam enim uirtutem qui possidet, reliquas item possidere dicitur. quod Aristotelici, teste Laertio, negant. SVBIECTA *est ueritas.* § quae animae tantum oculis cernitur, ut ait Plato. RELIQVIS *autem tribus uirtutibus* § Aristoteles Prudentiam omittit. nec enim uere separata quaedam uirtus est, sed communicatur omnibus uirtutibus. PARANDAS, *tuendasque,* § non enim minor uirtus est, quam quaerere, parta tueri. Demosthenes Olynth. I. Διόπερ πολλάκις χαλεπώτερον εἶναι δοκεῖ τὸ φυλάττειν τ' ἀγαθὰ, τοῦ κτήσασθαι. Sallust. Cat. Virtus, atque sapientia, maior in illis fuit, qui ex paucis opibus tantum imperium fecere, quam in nobis, qui ea, bene parta,

uix

uix retinemus. Et', Iugurtha: Maius dedecus est, parta amittere, quam omnino non parauisse. Et, in concione Marij: Nobilitatem certe peperisse, quam acceptam corrupisse', melius est. Thucydides quoque lib. 2. in concione Periclis 2. Αἶσχιον, ἔχοντας ἀφαιρεθῆναι, ἢ κλωμένους ἀτυχῆσαι. Demosthenes tamen Olynth. II. & ibi Vlpianus, falsum hoc ait esse: Πολὺ ῥᾷον ἔχοντας φυλάττειν, ἢ κλῆσασθαι πάντα πεφυκε. QVIBVS *actionitae continetur*; ξ recte Aristoteles: Ἀδύνατον ἢ μὴ ῥᾴδιον τὰ καλὰ πράττειν ἀχορήγητον ὄντα. Inde Orator: Δεῖ δὴ χρημάτων, ᾧ ἄνευ τούτων οὐδὲν εἶναι γενέσθαι τῶν δεόντων; Opus est pecunia; & sine ea nihil fieri potest ex ijs, quae sunt necessaria. *Actio uitae*: ὁ πρακτικὸς βίος. Et haec est Prudentia. SOCIETAS *hominum*, ξ Iustitia. ANIMI *excellentia*, ξ Fortitudo. ORDO *autem*, ξ Temperantia.

CICERO

EX quattuor autem locis, in quos honesti naturam, uimq. diuisimus, primus ille, qui in ueri cognitione consistit, maxime naturam attingit humanam. omnes enim trahimur, & ducimur ad cognitionis, & scientiae cupiditatem, in qua excellere pulchrum putamus; labi autem, errare, nescire, & decipi, & malum, & turpe ducimus. In hoc genere & naturali, & honesto duo uitia uitanda sunt: unum, ne incognita pro cognitis habeamus, hisq. temere assentiamus: quod uitium effugere qui uolet, (omnes autem uelle debebunt) adhibebit ad considerandas res & tempus, & diligentiam. alterum est uitium, quod quidam nimis magnum studium, multamq. operam in res obscuras, atque difficiles conferunt, easdemq. non necessarias, quibus uitijs declinatis, quod in rebus honestis, & cognitione dignis operae, curaeq. ponetur, id iure laudabitur: ut in astrologia C. Sulpicium, audiuimus; in geometria Sex. Pompeium ipsi cognouimus; multos in dialectica; plures in iure ciuili. quae omnes artes in ueri inuestigatione uersantur: cuius studio a rebus agendis abduci, contra officium est. uirtutis enim laus omnis in actione consistit: a qua tamen saepe fit intermissio, multiq. dantur ad studia reditus: tum agitatio mentis, quae nunquam acquieuit, potest nos in studijs cogitationis, & sine opera nostra, continere. omnis autem cogitatio, motusq. animi aut in consilijs capiendis de rebus honestis, & pertinentibus ad bene, beateq. uiuendum, aut in studijs scientiae, cognitionisq. uersabitur. Ac de primo quidem officij fonte diximus.

EXPLANATIO

NATVRAM *humanam*. ξ quae potissimum in excellentia mentis est posita. Cic. de Fin. l. v. Homo e corpore, animoq. constat: cum primae sint animi partes; secundae corporis. Sallust. Cat. Nostra omnis uis in animo, & corpore, sita est. animi imperio, corporis seruitio magis utimur. II. de rep. ordin. Corpus animo obaedit. Ideo Plato in Clitophonte uocat Τὸ μὲν ἄρχον, τὸ δὲ ἀρχόμενον. TRAHIMVR, *& ducimur ad cognitionis, & scientiae cupiditatem*, ξ Sophocles, animam iam agens, amicis colloquentibus aures praebuit: semper aliquid addiscendum ratus. *Trahimur*: quasi ui, etiam inuiti. *Ducimur*: natura enim nos cogit: cognitionis uero suauitas maxime delectat. Inde Minographus: Ducunt uolentem fata, nolentem trahunt. ET *malum, & turpe* ξ ut ad damnum accedat infamia. IN *hoc genere & naturali, & honesto* ξ Duo, inquit Cicero, sunt hominum genera, utrumque reprehendendum; unum duabus caussis, alterum una tantum. nam, qui & in rebus obscuris, nec necessarijs elaborant, & nimium elaborant, dupliciter peccant; qui uero optimo iudicio ducti, res deligunt & honestas, & cognitione dignas, in quibus suum studium ponant, in eo laudem quidem assequuntur: quod si earum rerum studio ita tenea tur, ut debitam patriae opem, ubi tempus postulat, non praebeant, aut amicos deserant, aut rem familiarem negligant; in hoc turpiter se gerunt. omnino enim in uita colendum est officium: officium autem deserere scientiae caussa, turpe est. Quare ita praeclarum est, in ueri inuestigatione uersari, ut rerum actione penitus omittatur: si quidem tanti esse nihil debet, ut ab officio nos abducat. Non igitur studium in huiusmodi artibus, sed nimium studium uituperatur; obscuris uero, nec necessarijs in artibus omnino studium omne reprehenditur. VNVM, *ne incognita pro cognitis habeamus*, ξ quo uitio laborant adolescentes. ET *tempus*, ξ Minographus: Ad paenitendum properat, cito qui iudicat. Isocrates: Βουλεύου μὲν ῥᾳδέως, ἐπιτέλει δὲ ταχέως τὰ δύξαντα. Vide, quae collegimus ad locum Sallustij, Catilina, Prius, quam incipias, consulto; &, ubi consulueris, mature facto opus est. Nazianzenus quoque: Σύμβουλος οὐδεὶς ἐστι βελτίων χρόνου: Nullus melior consiliarius tempore. ET *diligentiam*. ξ quod maxime efficitur per dialecticam, & rhetoricā. Dialectica namque oculos humanos, in barbarico coeno defossos, sensim attollit, atque abstergit, ut in iudicando acutius cernant. uide Plat. VII. de Rep. ALITERVM *est uitium*. ξ sic Neoptolemus apud Ennium, degustandum ex philosophia ait, non in eam ingurgitandum. quod ait Agell. l. v. c. 16. & c. superiore, philosophandū paucis, nam omnino haud placet. Vide apud eundem Agell. l. x. c. 22. quaedam ex Gorgia Platonico. IN *astrologia C. Sulpicium*, ξ hic tribunus mil. cons. Aemilio Paullo contra Macedones bellum gerente, sua astrologia mirandum in modum profuit, quia praedixit lunae defectionem, qua Romani solebant perturbari; tum uero, ab eo moniti, nihil timuerunt; contra, Macedones ita sunt consternati metu, ut facile uicti sint. Liuius lib. XLIV. Plut. in Paullo Aemilio. De eo meminit Cic. de Sen. Val. l. IIX. cap. II. Plin. lib. 2. cap. 12. Quinctil. lib. 1. cap. 17. IN *Geometria Sex. Pompeium*, ξ patruum Cn. Pompeij Magni: iuris ciuilis, geometricae, ac Stoicarum rerum scientia praestantem. CVIVS *studio a rebus gerendis abduci, contra officium est*. ξ Ita Archimedes, periclitante ciuitate, suis ipse pulueribus intentus fuit. VIRTVTIS *enim laus omnis in actione consistit*: ξ Idem Cicero: Fructus ingenij, & uirtutis tum maxime percipitur, cum in proximum quemque confertur. Quid, (ait Nazianzenus) manibus alligatis,

gatis, linguam armare? Vide Lactantium lib. III, cap. 16. AD *studia reditus*: § Seneca: Tam diu discendum est, quam diu nescias: &, si prouerbio credimus, quam diu uiuas. Idem paullo asperius Mentiri dicit eos, qui turba negotiorum fieri dicunt, ut liberalia studia non sequantur. Simulant (ait) occupationes, & augent, & ipsi se occupant. TVM *agitatio mentis potest nos in studijs cogitationis continere*. § inuitus ab eruditis hominibus dissentio. Idem tamen specto, quid suscepti muneris ratio postulet. postulat enim certe, ut maiorem ueritatis, publiciq. commodi, quam cuiusuis alius rei, rationem habeam. Hic omnes libri ueteres, ne litterae quidem unius uarietate, habent, Cogitationis. haec est prima ratio, cur mihi, Cognitionis, quod alij pro Cogitationis reponunt, placere nullo modo possit. At interdum in ueteribus libris mendum deprehenditur. Esto: quid tum agimus? sententiam perpendimus; & ex ea de mutatione, aut retinenda uetere lectione, consilium capimus. Sententiam igitur uideamus. Confert Cicero uirtutis actionem cum cogitatione. Summa, inquit, laus est, idq. in primis hominem decet, in rebus gerendis uersari: cum praesertim ipsa uirtutis actio perpetua non sit, sed ab ea liceat interdum ad studia diuertere, unde cognitio manat: aut agitatione, motuq. quondam mentem, animumq. exercere. Quemadmodum autem studia cognitionem pariunt: sic agitationis, motusq. mentis, & animi Cicero fructum ostendit. is porro duplex est. aut enim agitatione illa mentis consequimur, ut recta consilia capiamus, quibus omnis uitae ratio conformetur: aut, uerum inuestigantes, occultarum rerum scientiam adipiscimur. Ergo prima est uirtutis actio; sequuntur studia cognitionis; postrema est agitatio mentis, quae non ad unam cognitionem refertur, sed tum in consilijs, ad bene, beateq. uiuendum pertinentibus, uersatur; tum etiam quaerendo inuenit ea, quae scitu digna sunt. itaque non omnino scientia, cognitioneq. caret. Nec uero dubitari potest, quin his uerbis, Omnis autem cogitatio, motusq. animi; ipsa mentis agitatio significetur: quae si ad studia tantum cognitionis attineret; non subiungeret Cicero duplicem cogitationis fructum, prudentiam, & cognitionem. Haec est huius loci uera, & germana sententia. quam nemini antea displicuisse, ideo possum conijcere, quod nemo aut locum mutauit, aut aliter est interpretatus. Vnus dissensit, quod nollem. eius enim studijs, gloriaeq. uehementer faueo. Cic. Fam. lib. VI. ep. 1. ad Torquatum: Est tuum, sic agitare animo, ut adhibeas in consilium cogitationum tuarum &c. *Sine opera nostra*, § quae nos ab actione abducit. Operam autem intelligit, cum scribimus, disputamus, audimus. CONSILIIS *capiendis* § quod est praecipue maturae aetatis munus. uide Arist. in 2. Magn. moralium.

CICERO

DE *tribus autem reliquis, latissime patet ea ratio, qua societas hominum inter ipsos, & uitae quasi communitas continetur. cuius partes duae sunt; iustitia, in qua uirtutis splendor est maximus, ex qua boni uiri nominantur; & huic coniuncta beneficentia, quam eãdem uel benignitatem, uel liberalitatem appellare licet. Sed iustitiae primum munus est, ut ne cui quis noceat, nisi lacessitus iniuria; deinde, ut communibus pro communibus utatur, priuatis autem ut suis. sunt autem priuata nulla natura, sed aut ueteri occupatione, ut qui quondam in uacua uenerunt; aut uictoria, ut qui bello potiti sunt; aut lege, aut pactione, condicione, sorte. ex quo fit, ut ager Arpinas Arpinatum dicatur, Tusculanus Tusculanorum. similisq. est priuatarum possessionum descriptio. ex quo, quia suum cuiusque fit eorum, quae natura fuerant communia; quod cuique obtigit, id quisque teneat. eo si quis sibi plus appetet, uiolabit ius humanae societatis. sed quoniam, ut praeclare scriptum est a Platone, non nobis solum nati sumus, ortusq. nostri partem patria, partem parentes uindicant, partem amici; atque placet Stoicis, quae in terris gignuntur, ad usum hominum omnia creari, homines autem hominum caussa esse generatos, ut ipsi inter se alij alius prodesse possent: in hoc naturam debemus ducem sequi, & communes utilitates in medium afferre, mutatione officiorum, dando, accipiendo, tum artibus, tum opera, tum facultatibus deuincire hominum inter homines societatem. Fundamentum autem iustitiae est Fides, id est dictorum, conuentorumq. constantia, & ueritas. ex quo, quamquam hoc uidebitur fortasse cuipiam durius, tamen audeamus imitari Stoicos, qui studiose exquirunt, unde uerba sint ducta, credamusque, quia fiat quod dictum est, appellatam Fidē. Sed iniustitiae duo genera sunt; unum eorum, qui inse runt; alterum eorum, qui ab ijs, quibus infertur, si possint, non propulsant iniuriam. nam, qui iniuste impetum in quempiam facit, aut ira, aut aliqua perturbatione incitatus; is quasi manus uidetur inferre socio: qui autem non defendit, nec obsistit, si potest, iniuriae, tam est in uitio, quam si parentes, aut amicos, aut patriam deserat. Atque illae quidem iniuriae, quae nocendi caussa de industria inferuntur, saepe a metu proficiscuntur, cum is, qui alteri nocere cogitat, timet, ne, nisi id alteri fecerit, ipse aliquo afficiatur incommodo. maximam autem partem ad iniuriam faciendam aggrediuntur, ut adipiscantur ea, quae concupierunt: in quo uitio latissime patet auaritia. expetuntur autem diuitiae tum ad usus uitae necessarios, tum ad perfruendas uoluptates. in quibus autem maior est animus, in his pecuniae cupiditas spectat ad opes, & ad gratificandi facultatem: ut nuper M. Crassus negabat ullam satis magnam pecuniam esse ei, qui in rep. princeps uellet esse, qui suis fructibus exercitum alere non posset. Delectant etiam magnifici apparatus, uitaeq. cultus cum elegantia, & copia. quibus rebus effectum est, ut infinita pecuniae cupiditas esset. Nec uero rei familiaris amplificatio nemini nocens, uituperanda est; sed fugienda semper iniuria. Maxime autem adducuntur plerique, ut eos iustitiae capiat obliuio, cum in imperiorum, honorum, gloriaeue cupiditatem inciderint. quod enim est apud Ennium,*

Nulla sancta societas, nec fides regni est,

id latius patet. nam, quidquid eiusmodi est, in quo non possint plures excellere, in eo plerumque fit tanta contentio, ut difficillimum sit sanctam seruare societatem. declarauit id modo tempestas C. Caesaris, qui omnia iura diuina, & humana peruertit propter eum, quem sibi ipse

opinionis errore finxerat, principatum. est autem in hoc genere molestum, quod in maximis animis, splendidissimis ingenijs plerumque exsistunt honoris, imperij, potentiae, gloriae cupiditates. quo magis cauēdum est, ne quid in eo genere peccetur. Sed in omni iniustitia permultum interest, utrum perturbatione aliqua animi, quae plerumque brevis est, & ad tempus, an consulto, & cogitato fiat iniuria. leviora enim sunt ea, quae repentino aliquo motu accidunt, quam ea, quae meditata, & praeparata inferuntur. Ac de inferenda quidem iniuria satis dictum est.

EXPLANATIO

SOCIETAS *hominum inter ipsos, & uitae quasi communitas continetur.* § illustrant hunc locum, quae sunt de Fin. l. v. In omni, inquit, honesto nihil est tam illustre, nec quod latius pateat, quam coniunctio inter homines hominum, & quasi quaedam societas, & communicatio utilitatum, & ipsa caritas generis humani: quae nata a primo satu, quo a procreatoribus nati diliguntur, & tota domus coniugio, & stirpe coniungitur, serpit sensim foras cognationibus primum, tum affinitatibus, deinde amicitijs, post uicinitatibus, tum ciuibus, & ijs, qui publice socij, atque amici sunt, deinde totius complexu gentis humanae. quae animi affectio suum cuique tribuens, atque hanc, quam dico, societatem coniunctionis humanae munifice, & aeque tuens, Iustitia dicitur. cui adiunctae sunt pietas, bonitas, liberalitas, benignitas, comitas, quaeq. sunt generis eiusdem. Atque haec ita Iustitiae propria sunt, ut sunt uirtutum reliquarum communia. nam, cum sic hominis natura generata sit, ut habeat quiddam innatum quasi ciuile, atque populare, quod Graeci πολιτικὸν uocant: quidquid aget quaeque uirtus, id a communitate, & ea, quam exposui, caritate, atque societate humana non abhorrebit: uicissimq. iustitia, ut ipsa se fundet usu in ceteras uirtutes, sic illas expetet. VIRTVTIS *splendor* § Aristot. v. Eth. ad Nicom. Η δικαιοσυνὴ κρατίστη τῶν ἀρετῶν, οὔθ' ἕσπερος οὔθ' ἑῷος οὕτω θαυμαστός. Excelsiorem hanc uocant D. Ambr. Beneficentiam uero splendidiorem. BENEFICENTIA, § Beneficientia, alij scribunt. QVAM *eandem* § pronomen pro aduerbio usurpatum esse, notauit Valla, & Linacer, & alij. NISI *lacessitus iniuria;* § uim enim ui repellere licere, ait Modestinus lib. 3. ff. de Iustitia, & iure: insidiari autem non licere. Videndus Agellius lib. VI. cap. 14. Furem nocturnum, Spoliatorem, & Vim inferentem impune occidi posse, scripsit Plato. SVNT *autem priuata nulla natura*, § idest, primo ortu. nam natura in medium omnia protulit. uide paullo post. VT *qui bello potiti sunt;* § bellum gerentes. Alij legunt: Aut bello, ut qui uictoria potiti sunt. fortasse non male. ARPINAS, *Tusculanus* § exemplo utitur familiari. nam Arpini Cicero natus; in Tusculano uero uillam habuit magnificam. DESCRIPTIO. § id est, distributio. Legendum autem hoc loco, Discriptio. IVS *humanae societatis.* § Ius humanum Liuio dicitur. VT *praeclare scriptum est a Platone,* § in epistola ad Architam Tarentinum. sunt autem haec uerba Platonis: Αλλὰ κἀκεῖνο δεῖ σε ἐνθυμεῖσθαι. ὅτι ἕκαστος ἡμῶν οὐχ αὑτῷ μόνον γέγονεν, ἀλλὰ ταῖς γενέσεως ἡμῶν τὸ μὲν τι ἡ πατρὶς μερίζεται. τὸ δέ τι οἱ γεννήσαντες, τὸ δὲ οἱ λοιποὶ φίλοι. De Fin. I. idem ait. Inde Adagium, Homo homini deus. Seneca: Alijs uiuere oportet, qui sibi uiuere uelit. Tusc. I. Quae est, ait, in hominum genere natura melior, quam eorum, qui se natos ad homines seruandos arbitrantur. PARTEM *patria, partem parentes uindicant, partem amici;* § hoc totum, ita ut a Platone scriptum est, reliqui. ipse enim Cicero Platonem hoc in loco a se conuerti fatetur. At ueteres libri duas uoces inducunt, Partem parentes. At ego historiam ipsam, & Platonis uerba, sequi malo, quam fluxam, incertamq. librariorum fidem. cum praesertim facile potuerit error nasci ex uoce Partē, ter repetita. Quod saepe contingit in similibus locis. Libro etiam de Fin. II. Non sibi, inquit, se soli natum meminerit, sed patriae, sed suis. Nec dubitandum, quin uno uerbo Suis, parentes primum, deinde amicos complexus sit. ATQVE, *ut placet Stoicis,* § particulam Vt abundare, ut inferiorum uerborum ordo consistat, opinor. in eaq. opinione confirmor, auctoritate duorum meorum ueterum librorum. Chrysippum huius sententiae auctorem facit Cicero de Fin. III. Vide & de nat. de. II. MVTATIONE *officiorum,* § sic quattuordecim mei ueteres libri, & unus Tertij. & recte. nam illud, Communes utilitates in medium afferre, nihil aliud significat, quam ut officium pro officio reddatur: ego illud, quo tu indiges; tu, quo indigere me uides. ita fit permutatio quaedam, humanae uitae necessaria, & secundum naturam, quam debemus ducem sequi. TVM *artibus, tum opera,* § Plato, Τὸ τὰ αὑτοῦ πράττειν. FVNDAMENTVM *autem iustitiae est Fides.* § beneuolentiae fidem hominem homini mansuetum, & mitem reddere, ait Plutarchus. DICTORVM, *conuentorumq. constantia,* § Agell. lib. XX. cap. I. Hanc fidem maiores nostri, non modo in officiorum uicibus, sed in negotiorum contractibus sanxerunt, maximeq. in pecuniae mutuaticiae usu, atque commercio. AVDEAMVS *imitari Stoicos,* § Augustinus in Dialectic. ait, Ciceronem nimium Stoicos irridere, in uocum originibus inquirendis. CREDAMVSQVE, *quia fiat, quod dictum est, appellatam Fidem.* § idem ait ad Tironem, lib. XVI. ep. 12. Tu musis nostris para, ut operas reddas, nostra ad diem dictam fient. docui enim te, Fides ἔτυμον quod haberet. Et lib. IV. de rep. apud Nonium: Fides nomen ipsum mihi uidetur habere, cum fit, quod dicitur. SED *iniustitiae duo genera sunt;* § Platonis est haec diuisio, lib. V. de Leg. AVT *ira,* § hinc Sallustius in Caesaris oratione, Odiū, amicitiam, iram, atque misericordiam a consultoribus expellit. NEC *obstitit, si potest, iniuriae,* § id etiā ait Vlpianus l. Cornelia de falsis. SI *parentes, aut amicos, aut patriam deserat.* § Caes. VI. Bell. Gall. ait, qui milites secuti non essent, eos in desertorum, ac proditorum numero duci. Plutarchus in Agesilao ait ijs matrimonio a Lacedaemonijs interdici, omniumq. contumelijs exponi. Verbum Socios, hic alij admiscent; Amicos, delentes. contra librorum ueterum omnium fidem. Hoc autem dictum est e Stoicorum

senten-

sententia. qui aiebant, omnia peccata paria esse. Parad. III. & de Fin. lib. IV. ATQVE *illae quidem iniuriae*, § Aristoteles lib. V. cap. 3. Pol. Διὰ δὲ φόβον τοσαύτην οὐτε ἀδικοῦσιν, οὐτε ἀδικοῦσι μὴ δῶσι δίκην, οἱ μέλλοντες ἀδικεῖσθαι, βουλόμενοι φθάσαι πρὶν ἀδικηθῆναι. MAXIMAM *autem partem ad iniuriam faciendam aggrediuntur nonnulli, ut adipiscantur ea, quae concupierunt.* § Maximam partem, ualet, Plerique homines. Vt apud Caesarem, lib. IV. Bell. Gall. Maximam partem lacte, & casco uiuunt. Contraria igitur uidentur, Maximam partem, &, Nonnulli. non enim eadem in sententia significari possunt & multi, & pauci. quare nulla dubitatio est, quin sequi debeamus eos libros, a quibus abest, Nonnulli. Graeci, Ως δ' ἐπιτο πλεῖσον, ὡς ἐπὶπαν δὲ, ὡς τὰ πολλὰ δὲ. VT *adipiscantur ea, quae concupierunt:* apud Liuium Tullia maritum, Tarquinius, & uxorem & Seruium socerum, regni cupiditate, necant. IN *quo uitio latissime patet auaritia.* § auri sacra fames, ait Poeta. EXPETVNTVR *autem diuitiae* § Arist. lib. I. Pol. c. 6. Οσοι δὲ καὶ τοῦ ζῆν ἐπιβάλλονται, τὸ πρὸς τὰς ἀπολαύσεις τὰς σωματικὰς ζητοῦσι. SPECTAT *ad opes, & ad gratificãdi facultatem:* § Opes dicũtur, non diuitiae, sed honores, auctoritates, & potestates, quae ex diuitijs nascuntur: quibus egenos adiuuamus. Diuitiae autem ad usum humanum pertinent. Hanc differentiam ponit Cicero in Laelio, ubi ita est: Diuitiae, ut utare; opes, ut colare. QVI *suis fructibus exercitum alere non posset.* § Exercitus populi Romani, quattuor legiones erant, binae singulis consulibus attributae: in singulis autem legionibus, extremis reip. temporibus, peditum sex millia fuere: quod Plutarchus in uita Ciceronis, epistolae ad Atticum, & alia praeterea ueterum testimonia declarant. nam Africani minoris aetate non amplius quattuor millibus ducentis peditibus in legione fuisse, ideſt, uelites mille ducentos, hastatos totidem, principes totidem, triarios sexcentos, Africani comes Polybius perspicue docet. Quo igitur tempore in quattuor legionibus uigintiquattuor millia peditum fuere, tunc menstruum stipendium totius exercitus fuit, centum & octo scutatorum millia. singulis enim diebus denarium pro stipendio singulos pedites accepisse, auctor est Tacitus lib. I. & Plinius lib. XXXIII. cap. 3. Quod si addatur equitum stipendium, qui erant in singulis legionibus trecenti, haud paullo maior summa fiet. Nec centurionum par stipendium cum priuato pedite fuisse, uerum aliquanto amplius, uerisimile est. Haec ideo collegi, ut M. Crassi pateat immensa cupiditas opum; qui, cum Romanorum ditissimus esset, sibi tamen diues non esse uideretur: quando ali suis fructibus non posse populi R. exercitum non intelligeret. quod ei Cicero in Paradoxis quoque obijcit. Multi, inquit, ex te audierunt, cum diceres, neminem esse diuitem, nisi qui exercitum alere posset suis fructibus: quod populus R. tantis uectigalibus iampridem uix potest. ergo, hoc proposito, num quam eris diues ante quam tibi ex tuis possessionibus tantum reficiatur, ut ex eo tueri VI. legiones, & magna equitum, ac peditum auxilia possis. Quo loco, IV. legiones, qui erat integer exercitus populi Romani, non, VI, legendum omnino crediderim. Exercitum in Crassi uita Plutarchus quoque nominat. Plinius lib. XXXIII. cap. 10. hoc dictum ad unam legionem restringit, utpote qui non eodem in Crassum, quo Cicero, flagrabat odio. M. Crassus, inquit, negabat locupletem esse, nisi qui reditu annuo legionem tueri posset. in agris suis H-S uicies centena millia possedit. NVLLA *sancta societas, nec fides regni est,* § Lucanus lib. I.

Nulla fides regni sociis, omnisq. potestas
Impatiens consortis erit. —

Cuius rei exempla sunt, Romulus, & Remus; Romulus, & Tatius; Triumuiri, M. Crassus, C. Iulius Caesar, & Cn. Pompeius; Lepidus, Antonius, Augustus. Idem Lucanus subdit hoc exemplum:

Fraterno primi maduerunt sanguine muri.

DECLARAVIT *id modo tempestas C. Caesaris,* § in quibusdam antiquis libris, Temeritas C. Caesaris: uerum, Tempestas, malim, quasi turbo, & procella: quo respicit, apteq. refertur uerbum infra positum, Peruertit. est enim nimis lene uerbum, Temeritas, in eum, qui omnia iura diuina, & humana peruertit: cum sit immanitas potius appellanda, quam temeritas: ut infra, in eundem Caesarem: Quo detestabilior est eorum immanitas, qui lacerauerunt omni scelere patriam. *C. Caesaris:* qui, teste Plutarcho, malebat in paruo opidulo primus esse, quam Romae secundus. hinc illud Lucani lib. I.

Nec quemquam iam ferre potest, Caesar ue priorem,
Pompeius ue parem.

IVRA *diuina,* § aerarium inuadendo, ingentem auri uim e Capitolio furando, templa diuum donis referta expilando. HVMANA § patriae arma inferendo, libertatem reip. opprimendo, societatem, & regna pretio uendendo, urbes ad deditionem paratas diripiendo. OPINIONIS *errore* § putauit enim se beatum fore oppressa rep. quod secus accidit. IN *maximis animis, &c.* § Plutarchus in Demetrio ex Platone, Ὅτι καὶ κακίας μεγάλας ὥσπερ ἀρετὰς αἱ μεγάλαι φύσεις ἐνφέρουσι. Ideſt: Vitia magna, ut & uirtutes, ex magnis animis proficiscuntur. CONSVLTO, *& cogitato* § capto consilio, & cura adhibita.

CICERO

PRAETERMITTENDAE *autem defensionis, deserendiq. officij plures solent esse caussae. nam aut inimicitias, aut laborem, aut sumptus suscipere nolunt; aut ēt negligētia, pigritia, inertia, aut suis studijs, quibusdamue occupationibus sic impediuntur, ut eos, quos tutari debeant, desertos esse patiantur. itaque uidendum est, ne non satis sit id, quod apud Platonem est in philosophos dictum; quod in ueri inuestigatione uersentur,*

quodq. ea, quae plerique uehementer expetunt, de quibus inter se digladiari solent, contemnant, & pro nihilo ducant, propterea iustos esse. nam, cum alterum iustitiae genus assequuntur, inferenda ne cui noceant iniuria; in alterum incidunt. discendi enim studio impediti, quos tueri debent, deserunt. itaque eos ne ad Remp. quidem accessuros putat, nisi coactos. aequius autem erat id uoluntate fieri. nam hoc ipsum ita iustum est, quod recte fit, si est uoluntarium. Sunt etiam, qui, aut studio rei familiaris tuendae, aut odio quodam hominum, suum se negotium agere dicant; ne facere cuiquam uideantur iniuriam. qui, dum altero iniustitiae genere uacant, in alterum incurrunt: deserunt enim uitae societatem, quia nihil conferunt in eam studij, nihil operae, nihil facultatum. Quoniam igitur, duobus generibus iniustitiae propositis, adiunximus causas utriusque generis, easq. res ante constituimus, quibus iustitia continetur; facile, quod cuiusque temporis officium sit, potermus; nisi nosmet-ipsos ualde amabimus, iudicare. est enim difficilis cura rerum alienarum. quamquam Terentianus ille Chremes humani nihil a se alienum putat. sed tamen, quia magis ea percipimus, atque sentimus, quae nobis ipsis aut prospera, aut aduersa eueniunt, quam illa, quae ceteris, quae quasi longo interuallo interiecto uidemus; aliter de illis, ac de nobis, iudicamus. quo circa bene praecipiunt, qui uetant quidquam agere, quod dubites, aequum sit, an iniquum. aequitas enim lucet ipsa per se; dubitatio autem cogitationem significat iniuriae. sed incidunt saepe tempora, cum ea, quae maxime uidentur digna esse iusto homine, eoque, quem uirum bonum dicimus, communtantur, fiuntq. contraria; ut, non reddere depositum, etiam ne furioso promissum facere, quaeq. pertinent ad ueritatē, & ad fidem, ea migrare interdum, & non seruare, sit iustum. referri enim decet ad ea, quae proposui in principio, fundamenta iustitiae, primum, ut ne cui noceatur; deinde, ut communi utilitati seruiatur. ea cum tempore commutantur, commutatur officium, ut non semper sit idem. potest enim accidere promissum aliquod, & conuentum, ut id effici sit inutile uel ei, cui promissum sit; uel ei, qui promiserit. nam, si, ut in fabulis est, Neptunus, quod Theseo promiserat, non secisset; Theseus filio Hippolito non esset orbatus. ex tribus enim optatis, ut scribitur, hoc erat tertium, quod de Hippolyti interitu iratus optauit. quo impetrato, in maximos luctus incidit. nec promissa igitur seruanda sunt ea, quae sint ijs, quibus promiseris, inutilia: nec, si tibi plus ea noceant, quam illi prosint, cui quidem promiseris, contra officium est, maius damnum anteponi minori: ut, si constitueris te cuipiam aduocatum in rem praesentem esse uenturum, atque interim graniter aegrotare filius coeperit, non sit contra officium, non facere, quod dixeris; magisq. ille, cui promissum sit, ab officio discedat, si se destitutum queratur. Iam, illis promissis non standum esse, quis non uidet, quae coactus quis metu, aut deceptus dolo promiserit? quae quidem pleraque iure praetorio liberantur, nonnulla legibus. Exsistunt etiam iniuriae saepe calumnia quadam, & nimis callida, & malitiosa iuris interpretatione: ex quo illud, Summum ius, summa iniuria, factum est iam tritum sermone prouerbium. quo in genere & in rep. multa peccantur: ut ille, qui, cum triginta dierum essent cum hoste pactae indutiae, noctu populabatur agros, quod dierum essent pactae, non noctium indutiae. nec noster quidem probandus est, si uerum est, Q. Fabium Labeonem, seu quem alium, (nihil enim praeter auditum habeo) arbitrum Nolanis, & Neapolitanis, de finibus agri a senatu datum, cum ad locum uenissent, cum utrisque separatim locutum, ne cupide quid agerent, nec appeterent, atque ut regredi, quam progredi, mallent: id cum utrique fecissent, aliquantum agri in medio relictum est: itaque illorum fines, sicut ipsi dixerant, terminauit: in medio relictum quod erat, populo R. adiudicauit. decipere hoc quidem, non iudicare, est. quocirca in omni re fugienda est talis sollertia. Sunt autem quaedam officia etiam aduersus eos seruanda, a quibus iniuriam acceperis. est enim ulciscendi, & puniendi modus: atque haud scio, an satis sit, eum, qui lacessierit, iniuriae suae paenitere, ut & ipse ne quid tale posthac, & ceteri sint ad iniuriam tardiores. Atque in rep. maxime conseruanda sunt iura belli. nam, cum sint duo genera decertandi, unum per disceptationem, alterum per uim; cumq. illud proprium sit hominis, hoc beluarum: confugiendum est ad posterius, si uti non licet superiore. quare suscipienda quidem bella sunt ob eam causam, ut sine iniuria in pace uiuatur: parta autem uictoria, conseruandi sunt ij, qui non crudeles in bello, nec immanes fuerunt: ut maiores nostri Tusculanos, Aequos, Volscos, Sabinos, Hernicos in ciuitatem etiam acceperunt: at Carthaginem, & Numantiam funditus sustulerunt: nollem, Corinthum: sed credo illos secutos opportunitatem loci maxime, ne posset aliquando ad bellum faciendum locus ipse adportari. Mea quidem sententia, paci, quae nihil habitura sit insidiarum, semper est consulendum. in quo si mihi obtemperatum esset, si non optimam, ad aliquam remp. quae nunc nulla est, haberemus. Et cum ijs, quos ut deuiceris, consulendum est: tum ij, qui, armis positis, ad imperatorum fidem confugiunt, quamuis murum aries percusserit, recipiendi sunt. in quo tantopere apud nostros iustitia culta est, ut ij, qui ciuitates, aut nationes deuictas bello in fidem recepissent, earum patroni essent more maiorum. ac belli quidem aequitas sanctissime fetiali populi R. iure perscripta est: ex quo intelligi potest, nullum bellum esse iustum, nisi quod aut rebus repetitis geratur, aut denunciatum ante sit, & indictum. Pompilius imperator tenebat prouinciam, in cuius exercitu Catonis filius tiro militabat. cum autem Pompilio uideretur unam dimittere legionem, Catonis quoque filium, qui in eadem legione militabat, dimisit: sed, cum, amore pugnandi, in exercitu remansisset, Cato ad Pompilium scripsit, ut, si eum pateretur in exercitu remanere, secundo eum obligaret militiae sacramento; quia, priore amisso, iure pugnare cum hostibus non poterat. adeo summa erat obseruatio in bello mouendo. Marci quidem Catonis senis est epistola ad Marcum filium, in qua scribit, se audisse eum missum factum esse a consule, cum in Macedonia bello Persico miles esset. monet igitur, ut caueat, ne proelium ineat: negat enim ius esse, qui miles non sit, pugnare cum hoste. Equidem illud etiam animaduerto, quod, qui proprio nomine perduellis esset, is hostis uocaretur, lenitate uerbi tristitiam rei mitigante. hostis enim apud maiores nostros is dicebatur, quem nunc peregrinum dicimus. indicant duodecim tabulae, Aut status dies cum hoste: itemque, Aduersus hostem aeterna auctoritas. quid ad hanc mansuetudinem addi potest, eum, quicum bella geras, tam molli nomine appellare? quamquam id

nomen

nomen durius efficit iam uetuſtas: a peregrino enim receſſit, & proprie in eo, qui contra ferret arma, remanſit. Cum uero de imperio decertatur, belloq. quaeritur gloria, cauſſas omnino ſubeſſe tamen oportet eaſdem, quas dixi paullo ante iuſtas cauſſas eſſe bellorum. ſed ea bella, quibus imperij gloria propoſita eſt, minus acerbe gerenda ſunt. ut enim, cum ciuiliter contendimus, aliter, ſi eſt inimicus, aliter, ſi competitor; cum altero certamen honoris, & dignitatis eſt, cum altero capitis, & famae: ſic cum Celtiberis, cum Cimbris bellum, ut cum inimicis, gerebatur, uter eſſet, non uter imperaret; cum Latinis, Sabinis, Samnitibus, Poenis, Pyrrho de imperio dimicabatur. Poeni foedifragi, crudelis Hannibal, reliqui iuſtiores. Pyrrhi quidem de captiuis reddendis illa praeclara ſententia eſt:

Nec mi aurum poſco, nec mi pretium dederitis:
Nec cauponantes bellum, ſed belligerantes,
Ferro, non auro, uitam cernamus utrique.
Voſne uelit, an me regnare hera, quidue ferat ſors,
Virtute experiamur. & hoc ſimul accipe dictum:
Quorum uirtuti belli fortuna pepercit,
Eorundem me libertati parcere certum eſt.
Dono: ducite: doq. uolentibus cum magnis dijs.

Regalis ſane, & digna Aeacidarum genere ſententia. Atque etiam, ſi quid ſinguli, temporibus adducti, hoſti promiſerint, eſt in eo ipſo fides ſeruanda: ut primo Punico bello Regulus, captus a Poenis, cum de captiuis commutandis Romam miſſus eſſet, iuraſſetq. ſe rediturum, primum, ut uenit, captiuos reddendos in ſenatu non cenſuit: deinde, cum retineretur a propinquis, & ab amicis, ad ſupplicium redire maluit, quam fidem hoſti datam fallere. Ac de bellicis quidem officijs ſatis dictum eſt.

EXPLANATIO

INIMICITIAS, § quas ſuſtinere, graue eſt, ſi inopem contra potentem defendas. LABOREM, § ſine quo nil confici poteſt. SVMPTVS § qui admodum neceſſarij ſunt & in publica re, & in priuata. VIDENDVM *eſt*, § modeſte diſſentit a Platone, Philoſophorum ſententiam in ſexto de rep. comprobante. uide Cic. lib. III. de Fin. IN *philoſophos dictum*; § In, cum laude. Sic locutus in Bruto, III. de Diuin. & I. de Legibus. DISCENDI *ſtudio impediti quos tueri debent, deſerunt* § Beneficentia igitur doctrinae anteponenda. Huiuſmodi philoſophos, qui in ueri tantum inueſtigatione uerſantur, reprehendit Lactantius lib. I. cap. 16. Epictetus apud Agellium lib. XVII. cap. 19. Ἄνευ τοῦ πράττειν, μέχρι τοῦ λέγειν. Epictetus autem ipſe, teſte eodem Agellio lib. XV. cap. XI. urbe eiectus. Et Cicero ad Varronem, Fam. lib. IX. Quis, inquit, hoc non dederit nobis, ut, cum opera noſtra patria ſiue non poſſit uti, ſiue nolit, ad eam uitam reuertamur, quam multi docti homines fortaſſe non recte, ſed tamen multi etiam reip. praeferendam putauerunt. STVDIO *rei familiaris tuendae*, § quod laudabile eſſe, non dubium eſt. pater enim, procreandis, educandiſq. liberis, reip. ſeminaria parat: ſeque, & ſuos honeſta aliqua arte exercendo alit. ODIO *quodam hominum*, § μισανθρωπία. NE *facere cuiquam uideantur iniuriam*. § cum tamen faciant: quia uitae ſocietatem deſerunt. IN *alterum incurrunt*: § quod ſtultorum eſt proprium. NISI *noſmetipſos ualde amabimus*, § quae φιλαυτία eſt. Inde Pindarus:

τὸ οἰκεῖον πιέζει, ἀλλοτρίων δ' οὐ μέλει.

Ideſt: Propria premunt, aliena non mouent.

DIFFICILIS *cura* § moleſta. TERENTIANVS *ille Chremes* § in comoedia Heautontimorumeno. Scribit autem D. Auguſtinus, cum Romae in theatro hic uerſus recitaretur, uniuerſum populum acclamaſſe. ALITER *de illis, ac de nobis, iudicamus*. § minus illis conſulere ſtudemus, quam nobis. QVOD *dubites*, § huc pertinet prouerbium illud, apud Senecam: Quod dubites, ne feceris. AEQVITAS *lucet ipſa per ſe*, § Ariſt. lib. II. Rhet. hoc illuſtrat exemplo Sapphus, & Alcaei. NON *reddere depoſitum*, § hoc, & quod de furioſo ſubiungitur, ad illud, infra poſitum, refero, Sit iuſtum. particulam enim, Non, quae eſt in pleriſque antiquis libris, (nam a duobus abeſt, tribus autem alijs eſt addita) num quam ſuſtulerim. ea uero ſi retinetur: non poteſt haec ſententiae pars cum ſuperioribus coniungi. ſiquidem, non reddere depoſitum, & promiſſum non facere, numeranda non uidentur inter ea, quae iuſto digna ſunt homine. quare infra referantur: ut dicatur, iuſtum eſſe nonnumquam, depoſitum non reddere, nec promiſſum facere. Illud autem, Etiam ne furioſo, licet aperte corruptum, mutare tamen non audeo: opem libri ueteris exſpectabo: (nam omnes mei conſentiunt cum impreſſa lectione, uno excepto, in quo pro Furioſo, Furioſe legitur) interea placet relinquere, in quo aliorum exerceantur ingenia. ſententia quidem ſatis patet. ſed ipſa uerba aut abundant, aut certe mendo non uacant. non enim haerere cum eo debent, Promiſſum facere, ſed cum eo, Non reddere depoſitum. nam libro quoque III. loquitur Cicero, non de promiſſo furioſo non faciendo, ſed de depoſito furioſo non reddendo. cum enim, exemplis aliquot adductis, ſatis probaſſe, pacta, & promiſſa non eſſe ſeruanda, ſibi uideretur: haec ſubiunxit: Ergo & promiſſa non facienda nonnumquam, neque ſemper depoſita reddenda ſunt. ſi gladium quis apud te ſanae mentis depoſuerit, repetat inſaniens; reddere peccatum ſit; non reddere, officium. EA *migrare interdum, & non ſeruare, ſit iuſtum*. § Migrare, antique dixit; pro, mutare. Sic & in decem meis ueteribus libris, & in uno Tertij, & in ijs, quos primi olim impreſſores fideliter ex antiquis deſcriptos, nulla adhibita coniectura, ediderunt, legi animaduerto. Huius autem uerbi uim primus olim Pater meus indicauit, in eo loco lib. III. de Fin. Qui id conſeruaret, cum iuſtum; qui migraret, iniuſtum fore. Quod quia durius uiſum iri ſuſpicabatur, confirmauit duobus exemplis: uno, lib. III. de Leg. Quod quis earum rerum migraſſit, noxiae poena par eſto. Altero, lib. I. de Diu. Ne communia iura migrare uideatur. ſic enim legit ex antiquis libris, non, Communi iure. NE *cui noceatur*; § noceretur enim furioſo. ſi ei redderetur gladius depoſitus. COMMVNI *utilitati ſeruiatur*. § nam, ſi Phoebus Phaetonti promiſſum negaſſet,

NOE

non tantum factum fuisset orbis incendium. uide Ouidium Metam. 2. VT *infabulis est*, § Cic. de nat. de. III. Vide Ouid. Metam. XV. Plutarchum, Hyginum cap. 47. & 250. Virg. lib. VII. & Pind. od. 3. Pyth. & Plutarchum in Theseo. Plato lib. III. de Leg. Καὶ ὅταν γε ὁ πατὴρ ὢν γέρων, ἢ καὶ σφόδρα νεανίας, μὴ δὲν τῶν καλῶν καὶ τῶν δικαίων γινώσκων, ἔυχηται μάλα προθύμως ἐνπαθύμαοῖν ἀδελφοῖς ὧν τοῖς γενομένοις θησεῖ πρὸς τὸν δυσυχῶς τελευτήσαντα ἱππόλυτον. IRATVS § quod ab ea Phaedram coniugem de interitu appellatam crederet, cum id a Phaedra, quae se ab Hippolyto reiectam iniquissime ferret, fictum crimen esset. NEC *promissa igitur seruanda sunt ea, quae sint ijs, quibus promiseris inutilia*: § duo mei ueteres libri: Nec promissa igitur seruanda sunt ijs, quibus promiseris, inutilia si sint. IN *rem praesentem* § in iudicium. Verba Iurisconsultorum. AVT *deceptus dolo*, § decem mei ueteres libri, & unus Tertij, Quae deceptus dolo. unus omittit Aut, &, Quae. *Metu: Dolo*: De metu, Octauius; de dolo, Aquillius praetores leges primi tulerunt. CALVMNIA *quadam*, § quae fit uel falsa accusatione, uel praua interpretatione scripti, aut legis. SVMMVM *ius, summa iniuria*. § ex Terentij Heautontimorumeno: apud quem, Summum ius, summa malitia. apud Columellam de re rust. Summum ius, summa crux. Iurisconsulti appellant ius strictum: Aristoteles, ἀκριβοδίκαιον, id est ius exactius, duriusque. QVO *ingenere & in rep. multa peccantur*, § miror, hunc locum mendosum a quibusdam haberi. Mei omnes libri cum uulgatis consentiunt: sententia patet: &, quod alijs usum est durius, unde orta est mutandi uoluntas, id usitatum esse, exemplis probemus. De nat. de. l. I. Empedocles multa peccans. Pro Murena: Non multa peccas. Et paullo post: Nihil peccare. Tacitus quoque, Magna peccare, dixit. Est enim, Multa, pro, in multis rebus: ut, Non multa peccas; pro, non multis in rebus a te peccatur: Multa peccantur in rep. pro, Multis in rebus peccatur in rep. Sic enim conuerto: &, opinor, recte. NOCTV § Ephorus apud Strabonem Thracium commentum dicit aduersus Boeotos. uide Prouerbium, Θρᾴκια παρέυρεσῖς. Cleomenes Lacedaemonius, cum Argiuis septem dierum indutias pactus, tertia nocte fidem fefellit. Plut in Apophthegm. Laconicis. Q. FABIVM *Labeonem, seu quem alium*, § simile quid narrat Valer. lib. VII. cap. 3. qui ait, eum, cum regem Antiochum superasset, & ex foedere icto dimidiam partem nauium accipere deberet, medias omnes secuisse, ut eum tota classe priuaret. HAVD *scio, an satis sit*, § idest, parum abest, quin existimem satis esse. VT *& ipse ne quid tale posthac*. § ex meis antiquis libris, unus habet, Audeat; unus, Committat; unus, Faciat, & in spatio, quod uersus dirimit, explanandi caussa, Committat; quattuor, Faciat; unus pro Posthac, habet, Poscat: uerbum scilicet addere uoluit, qui uerbo sententiam carere cognouerat: sex, & unus Tertij, Posthac, nullo adhibito uerbo. Quae uarietas aperte declarat, quodcumque uerbum addatur, siue, Faciat; siue, Audeat; siue, Committat, ut erat in peruulgatis, glossemata esse omnia: cum per se, sine uerbo, sententia consistat. CVM *sint duo genera decertandi, &c.* § Isocrates: Πολλῶν, ait, κακῶν τῇ φύσει τῶν ἀνθρώπων ὑπαρχόντων, αὐτοὶ πλείω τῶν ἀναγκαίων προσεξευρήκαμεν, πολέμους, καὶ στάσεις ἡμῖν αὐτοῖς ἐμποιήσαντες. Idest. Ad multa mala, quibus natura hominum obnoxia est, nos plura quoque necessarijs cogitauimus, addentes bella, seditionesque. HOC *belluarum*: § imitatus forsan est Hesiodum I. de re rust. ibi:

Τὸν δὲ γὰρ ἀνθρώποισι, &c.

PARTA *uictoria*, § Augustin. lib. I. de Ciu. Dei negat de Romanis uere dici,

Parcere subiectis, & debellare superbos:

VT *maiores nostri* § amplificandae magis urbis gratia, si uerum dicere uelimus, quam humanitate adducti. TVSCVLANOS, *Aequos, Volscos, Sabinos, Hernicos* § Tusculani donati ciuitate sunt anno CCCLXXV. Liu. lib. VI. Plut. in Camillo, Valer. lib. VII. cap. 3. Sabini, Romanis iuncti, unam ciuitatem ex duabus fecerunt, & omnia sua Romam transtulerunt. Liu. l. I. Dionys. lib. 2. Plut. in Romulo, Florus lib. I. cap. I. Hernici a Q. Marcio in deditionem accepti, anno CDXLIIX. Contra Aequos, Volscosque, saepe bellatum lego: nusquam in ciuitatem receptos. Florus lib. I. peruicacissimos, & quotidianos hostes appellat. CARTHAGINEM, *& Numantiam* § utramque Scipio Aemilianus euertit. or. in Rullum. Pro Murena duos terrores imperij Romani nominat. Vide & de Senectute. Carthaginem aemulam Romani imperij dicit Liuius. CORINTHVM: § quam Mummius euertit: de quo uide lib. 2. elogium. Velleius, Plin. lib. XXXIV. cap. 2. epit. Liu. lib. LII. Oros. lib. IV. cap. 3. Eutropius lib. IV. cap. 3. Ea incensa, nomen aeri Corinthio inditum. Horatius Bimarem, ideſt, διθάλασσον dicit, in Isthmo sitam: qui hinc Ionio mari alluitur, inde Aegaeo. SECVTOS §: in euertenda Corintho. OPPORTVNITATEM *loci* § Graeciae compedes propter Isthmum Philippus iunior dixit, Plut. in Arato. Vel, quod Isthmij Neptuni uestibulum, Pind. Od. 13. Olymp. Vel, quia supercilioſa, Straboni. Vel, quod officina omnium artificum, & commune Europae, Asiaeq. emporium, Straboni, Thucydidi, Orosio. Vel, quod oculus Graeciae, Ciceroni; Achaiae caput, Graeciae decus, inter duo maria, Ionium, & Aegaeum quasi spectacula opposita, Floro. Vel, quod ἄφενος, Homero, ideſt diues. SED *credo illos secutos opportunitatem loci maxime*, § mei omnes ueteres libri pro, Illos, habent, Aliquos. in quorum uno tamen, in spatio, quod uersus dirimit, legitur, Alias, Eos. Vt uidere liceat, unde uarietas orta sit. Aliquos, si placet, sensus erit: Exijs, qui Corinthum euertendam censuerunt, alios alia spectasse, aliquos autem opportunitatem loci maxime. Aliquid secutos, uideo nonnullis placere: quod mihi multo minus placet, quam, Aliquos secutos: nec tamen eorum iudicio meum antepono. cum ijs facit Tertij liber. PACI, *quae nihil habitura sit insidiarum*, § nam Plato inane esse pacis nomen in terris dicit. Inde Isocrates: Νῦν οὐ διαλυόμεθα, ἀλλ' ἀναβαλλόμεθα τοὺς πολέμους, καιρὸν ἀναμένοντες καθ' ὃν ἀνηκεστόντι διαλυόμεθ' ἀλλήλους. Idest: Nunc bella non componimus, sed in id tempus differimus, dum alios alij extremis cladibus afficiamus. SI

mihi

mihi obtemperatum esset, } a Pompeio, & Caesare: nam Cicero utrique pacis auctor fuit, crebro ad Caesarem scribendo, Pompeium crebro rogando, & utrumque mitigando, & placando. quod Plutarchus scriptum reliquit. Id in multis quoque eius epistolis legimus. QVAE *nunc nulla est*, } nam ciuilitatem animam esse ciuitatis, scripsit Isocrates. ea si non est, ciuitas nulla est. QVAMVIS *murum aries percusserit*, } σωεκδοχικῶς: species pro genere: ideſt, quamuis quiddam interceſſerit hoſtile. Arietem inuenere prius Carthaginienſes, cum caſtellum apud Gades captum demoliri conati ſunt. ſignum manibus ſuſtentantes, murum uerberabant. Tertullianus de Toga, Carthaginienſes ſui inuenti admiratores dicit, nouum, & extraneum fuiſſe ratos, cum Romani aduerſus ſe uterentur. EARVM *patroni essent*. } ut Siculorum Marcelli, Allobrogum Fabij. ideſt, eos & in ſenatu, & in iudicijs defenderent, eorumq. curam haberent. FETIALI *iure* } Fetiales, foederum, pacis, belli, indutiarum, oratorum iudices ſunt. Cic. de Leg. lib. 1. A Numa Pompilio inſtitutos, ſcribit Plut. in Numa. De ijs, idem Plut. in Camillo, & Probl. LXII. Dionyſ. lib. 2. Agell. lib. XVI. cap. 4. Seru. in Aen. X. Varro Fetialem ait dici a Fide, & Faciendo. Dionyſius ait eos dici poſſe εἰρηνοδίκους. REBVS *repetitis* } Plin. lib. XXII. cap. 2. DENVNCIATVM, *& indictum*. } nempe legatis uiolatis, quod nomen apud omnes nationes ſanctum, inuiolatumq. ſemper fuiſſe, ſcribit Caeſar de bello Gall. lib. III. Vnde Corinthijs bellum illatum, ob legationis ius uiolatum. oratio pro lege Manilia, Aſconius, Strabo lib. IIX. Tarentinis eadem cauſſa bellum illatum. Valerius Max. lib. 2. cap. 2. & epit. Liu. lib. XII. ubi etiam agitur de legatis Romanorum, uiolatis a Gallis Senonibus. Vide & Plinium lib. XXXIV. cap. 6. de legatis Romanis interfectis. Vel aliqua alia iuſta de cauſſa. CATONIS *filius* } hunc militaſſe cum Paullo Aemilio, auctor eſt Plutarchus in Catone cenſorio: itaque recte legendum hic opinabatur Pater, non, Pompilius, ſed, Paullus Aemilius: qui Perſen, Macedoniae regem, deuicit: cum quo militaſſe Catonis filium, infra cognoſcitur, & ex Phil. VIII. in extremo. DIMISIT: } miſsionum cauſſae tres: Honeſta, tempore militiae impleto, ut hic: Cauſſaria, aliquo uel animi, uel corporis uitio: Ignominioſa, propter delictum. Vide tit. de re militari, in Pandectis. MILITIAE *sacramento*; } cuius formulam uide apud Agellium lib. XVI. cap. 4. & Liu. lib. 2. Victor . . . reuertar ex acie: ſi fallat, Iouem patrem, Gradiuumq. Martem, alioſq. iuratus inuocat deos. ADEO *summa erat obseruatio in bello mouendo*. } mei omnes libri cum impreſſa lectione faciunt. Octauius tamen Pantagathus legendum putabat, Adeo ſancta erat obſeruatio in bello. MARCI *quidem Catonis senis est epistola* } exſtat apud Agellium. Plut. in Catone. BELLO *Persico* } cum Perſe, Philippi filio, ultimo Macedonum rege, geſto, non cum Perſis. Itaque ſunt, qui legant, Bello Perſeo. contra ueteres tamen libri. QVEM *nunc peregrinum dicimus*. } Hoſtis enim, ideſt peregrinus, antiquitus dicebatur, qui in urbe acceptus aequalis erat ciuibus. inde uerbum Hoſtire, pro aequare. & Hoſtimentum, apud Plautum Aſiniaria, pro compenſatione. & Hoſtorium, inſtrumentum, quo menſura, ne quid deſit, aut ſuperſit, aequatur. Inde Ennius, Achille, apud Nonium: Serua ciues: defende hoſtes, cum potes defendere. STATVS *dies* } ideſt, conſtitutus. Sic & in legibus XII. Tabularum, apud Cic. de Legibus. Macr. lib. Sat. 1. cap. 13. Agell. lib. XX. cap. 1. ADVERSVS *hostem* } ideſt, ut ne peregrinus ciuis Romani bona quantumuis diuturno uſu acquirere, & uſucapere poſsit: ſed ius dominij integrum, & inuiolatum perpetuo maneat. AETERNA *auctoritas*. } ideſt, uindicandi poteſtas. IVSTAS *causas bellorum*. } unam, pro patria; alteram, propter fines propagandos. Eas enim recenſet Demoſthenes Olynth. Ισασι γαρ ὁτι νῦν οὐχ' ὑπὲρ δόξης, οὐδὲ μέρους χώρας πολεμοῦσιν: ἀλλ' ὑπὲρ ἀνασάσεως, καὶ ἀνδραποδισμοῦ τῆς πατρίδος. CVM *ciuiliter contendimus*, } ita omnino legendum. itaq. duodecim mei ueteres libri, & unus Tertij. alius, Ciue aliter. alius, Ciuibus. male. Mutationis originem uidere licet in uno meo, in quo, ſupra Ciuiliter, adſcriptum eſt, Ideſt, cum ciue: ab eo, qui explanare uoluit, Ciuiliter. ALITER, *aliter*, } in foro, ad iudices, inimicum accuſamus: in campo Martio, populi comitijs, cum competitore. CERTAMEN *honoris, & dignitatis* } ſi citra iniuriam fiat. quod ait Heſiodus in Ergis, ibi:

Οὐκ ἄρα μοῦνον ἔην ἐρίδων γένος, &c.

SI *est inimicus*, } hinc Iſocrates: Ἐξεστι τοῖς ἐχθροῖς ἐπιθέσθαι τὰς ἀλλήλων ἁμαρτίας. CELTIBERIS, } quorum urbs prima Numantia. contra eos acerrima bella geſſerunt populi R. nomine Cato Cenſorius, Ti. Gracchus, C. Metellus Macedonicus, T. Didius, Fuluius Flaccus. CIMBRIS } a C. Mario, v. conſule, deuictis, anno DCLII. De quo elogium adſcribere placet, quod in antiquo lapide legitur.

C . Marius . Pr . Tr . pl . Q . AVGVR . TR . MIL . EXTRA
Sortem . Bellum . cum . IVGVRTHA . REGE . NVMID
Geſsit . Eum . cepit . et . TRIVMPHANS . IN
Iouis . Aedem . Secundo . Conſulatu . ANTE . CVRRVM . SVVM
Duci . iuſsit . Tertium . CONSVL . APSENS . CREATVS
eſt . Quartum . Conſul . Teut( )NORVM . EXERCITVM
Deleuit . Quinctum . conſul . CIMBROS . FVGAVIT . EX . IEIS . ET
Teutoneis . iterum . TriumpHAVIT . REMP . TVRBATAM
Seditionibus . Tr . Pl . et . Praetor . ui . qui . armati
Capitolium . occupauerant . Sextum . conſul . uindicauit
poſt . LXX . annum . patria . per . arma . ciuilia . pulſus
armis . reſtitutus . Conſul . Septimum . factus . eſt
de . manubieis . Cimbriccis . et . Teutoniceis . Aedem . Honori
et . Virtuti . fecit . ueſte . triumphali . calceis . puniceis

Landesbibliothek Oldenburg

Vide Plut. in Mario, & Sertorio, Florum lib. III. cap. 3. epit. Liu. lib. LXVII. & LXIIX. Appianum in Celtico, Oros. lib. v. cap. 16. Eutropium lib. v. cap. 1. POENI *foedifragi* ¶ Ter fidem fregerunt Poeni. Inde Val. Max. lib. VII. cap. 4.4. Terrarum orbe infamis Punica calliditas. Liuius: Fides Punica religione. Et: Inhumana crudelitas, perfidia pluſquam Punica, nihil ueri, nihil ſancti, nullius dei metus, nullum iuſiurandum, nulla religio. Iulius Capitolinus: Fides Punica. Auſonius Poenam fidem, & Graecam nominat, ad Paullum. Salluſtius quoque Iugurtha: Punica fides. Plautus: Nemo me Poenus Poenior. Et Poenulo: Poenus plane eſt. quid uerbis opu'ſt? CRVDELIS *Hannibal*, ¶ ob condiciones Saguntinis datas. DEDERITIS: ¶ tertia producta: quae corripitur in praeteritis. Virg. VI. Aen.

Egerimus, noſti. &c.

Vbi Seruius: Egerimus: Metri cauſſa corripuit. CAVPONANTES *bellum*, ¶ Aeſchylus Ἑπτὰ ἐπὶ Θήβας, unde Cicero ſumpſit: Καπηλεύειν μάχην. VITAM *cernamus* ¶ ideſt, de uita dimicemus. VTRIQVE. ¶ Vterque, eſt in uno meo uetere libro, & in Seruio, qui hunc Ennij uerſum recitat Aen. XII. VOS *ne uelit, an me &* ¶ ſic Virg. Aen. XI.

Vixet, cui uitam deus, aut ſua dextra dediſſet.

Vbi Seruius: Duplici ratione conſtat uictoria: aut uirtute, aut uoluntate fortunae. HERA, ¶ ideſt, dea. Sic Catullus, de Berecynthia, & Atti:

Procul a mea tuus ſit furor omnis hera domo

Idem, ad Manlium, LXIII.

Hoſtia caeleſtes pacificaſſet heros.

Ideſt, deos. Eos autem dicit Euripides τοὺς εὐραύλους μάκαρας. Ex meis ueteribus libris, quinque, pro Hera, habent, Fortuna domina. in duobus, ſupra Hera, adſcriptum eſt, Ideſt, fortuna. in uno, ſupra, Hera, adſcriptum, Ideſt, domina. Vt ex ijs quoque interpretationem petere liceat. LIBERTATI *parcere certum eſt*. ¶ ideſt, eorum libertati decreui parcere. DONO: *ducite*: ¶ Dono, inquit, uobis captiuos: ducite eos uobiſcum. Ita hunc locum diſtinguendum eſſe, ſententia ipſa contendit. AEACIDARVM *genere* ¶ quos Pindarus celebrat. Iſocratesq. ait neminem eos ſuperaſſe generis nobilitate: procreatos nempe a Ioue inter ſemideos. Aeacum enim Iuppiter genuit, Aeacus Peleum Achillis patrem, Achilles ex Deidamia Neoptolemum, cui Pyrrho quoque nomen fuit. Tharitas deinde, longo interuallo, (nam nomina periere) Alceten, Alcetes Arymban, Arymbas Aeaciden, Aeacides Pyrrhum hunc, regem Epirotarum. Haec Plutarchus. Vide Iuſtinum lib. XVII. & Boccatium lib. XII. *Genere*: ita legendum, non, ut alij, contra ueteres omnes libros, Gente. FIDES *ſeruanda*: ¶ ſic libri duo mei: unus, Obſeruanda: undecim, & unus Tertij, Conſeruanda. AD *ſupplicium redire maluit*, ¶ quod grauiſsimum tulit, inſomnia necatus. Silius lib. VI. epit. Liu. lib. XIIX. Florus lib. 2. cap. 2. de uir. ill. cap. 40. Val. lib. I. cap. I. & lib. 2. cap. 4. Agell. lib. VI. cap. 4. Eutrop. lib. 2. cap. 3. Oroſ. lib. IIX. cap. 4. Vide & Lact. lib. v. cap. 13. Aug. de ciu. D. lib. I. cap. 15. & 24. Cic. Parad. II. & in Piſonem. Horat. Carm. lib. III. od. 5. Senecam de prouidentia, & epiſt. lib. XVI. ep. 99. FIDEM *hoſti datam fallere*. ¶ I. ib. III. Eſt etiam ius bellicum, fidesq. iuriſiurandi ſaepe cum hoſte ſeruanda. Philipp. XIII. Fallere, & Deſerere fidem, dixit. Poſt uerbum, Fallere, in quibuſdam libris leguntur ſequentia, quae ſunt & in duobus meis ueteribus: Secundo autem Punico bello, poſt Cannenſem pugnam, quos decem Hannibal Romam miſit adſtrictos iureiurando, ſe redituros eſſe, niſi de redimendis ijs, qui capti erant, impetraſſent: eos omnes cenſores, quoad quiſque eorum uixit, cum peieraſſent, in aerarijs reliquerunt: nec minus illum, qui iureiurando fraude culpam inierat. cum enim permiſſu Hannibalis exiſſet e caſtris, redijt paullo poſt, quod ſe oblitum neſcio quid diceret. deinde, egreſſus e caſtris, iureiurando ſe ſolutum putabat. & erat uerbis, re non erat. Semper autem in fide, quid ſenſeris, non quid dixeris, cogitandum eſt. Maximum autem exemplum eſt iuſtitiae in hoſtem a maioribus noſtris conſtitutum. cum a Pyrrho perfuga ſenatui eſt pollicitus, ſe uenenum regi daturum, & eum necaturum: ſenatus eum, & C. Fabricius conſul Pyrrho dedit. ita ne hoſtis quidem, & potentis, & bellum ultro inferentis, interitum cum ſcelere approbauit. Haec ſunt, ut dixi, in duobus libris meis, & in quibuſdam impreſsis. Sequitur, Ac de bell. &c.

CICERO

MEMINERIMVS autem, & aduerſus infimos iuſtitiam eſſe ſeruandam. eſt autem infima condicio, & fortuna ſeruorum: quibus, non male praecipiunt, qui ita iubent uti, ut mercenarijs ad operam exigendam, & iuſta praebenda. Cum autem duobus modis, ideſt aut ui, aut fraude, fiat iniuria: fraus quaſi uulpeculae, uis leonis uidetur: utrumque alieniſſimum ab homine eſt; ſed fraus odio digna maiore. Totius autem iniuſtitiae nulla capitalior eſt, quam eorum, qui tum, cum maxime fallunt, id tamen agunt, ut uiri boni eſſe uideantur. De iuſtitia ſatis dictum eſt.

EXPLANATIO

FORTVNA *ſeruorum*: ¶ de ſeruis uide, quae ſcripta ſunt apud Ariſt. IIX. Polit. Macr. Sat. lib. I. cap. II. Senecam Epiſt. lib. VI. ep. 3. Cic. Parad. v. Vide & Adagia. MERCENARIIS ¶ Graeci dicunt θήτας. AD *operam exigendam, & iuſta praebenda*. ¶ ideſt, ut ab ijs opera quidem exigatur, iuſta tamen aeque praebeantur, ut mercenarijs. FRAVS *quaſi uulpeculae, uis leonis uidetur*: ¶ huc ſpectat illud

illud Lysandri dictum: ὅποι ἀν ἡ λεοντῆ μὴ ἐξικνῆται, ἶναν ἀλωπεκῆν χρὴ μεταλαμβάνειν. Ideſt: Quo Leonina pellis penetrare nequit, uulpina aſſumenda. CAPITALIOR § uel, quod caput, & uitam petat; uel, poena capitis magis digna. EORVM, QVI &c. § peccant enim, & contra iuſtitiam, & contra ueritatem. Plato lib. 11. de Rep. Ἑκάτη γὰρ ἀδικία, δοκεῖν δίκαιον εἶναι, μὴ ὄντα. Contra autem dixit Salluſtius, Catilina: Eſſe, quam uideri, bonus malebat. in quo imitatus erat Aeſchylum Ἑπτὰ ἐπὶ Θήβας.

Οὐ γὰρ δοκεῖν ἄριστος, ἀλλ' εἶναι θέλει.

CICERO

DEINCEPS (*ut erat propoſitum*) *de beneficētia, ac liberalitate dicatur. qua quidem nihil eſt naturae hominis accommodatius: ſed habet multas cautiones. uidendum eſt enim, primum, ne obſit benignitas & ijs ipſis, quibus benigne uidebitur fieri, & ceteris: deinde, ne maior benignitas ſit, quam facultas: tum, ut pro dignitate cuique tribuatur: id enim eſt iuſtitiae fundamentum; ad quam haec referenda ſunt omnia. nam, & qui gratificatur cuipiam, quod obſit illi, cui prodeſſe uelle uideantur, non benefici, neque liberales, ſed pernicioſi aſſentatores iudicandi ſunt; &, qui alijs nocent, ut in alios liberales ſint, in eadem ſunt iniuſtitia, ut ſi in ſuam rem aliena conuertant. ſunt autem multi, & quidem cupidi ſplendoris, & gloriae, qui eripiunt ab alijs, quod alijs largiantur: hiq. arbitrantur ſe beneficos in ſuos amicos uſum iri, ſi locupletent eos quacumque ratione. id autem tantum abeſt ab officio, ut nihil magis officio poſſit eſſe contrarium. Videndum eſt igitur, ut ea liberalitate utamur, quae proſit amicis, noceat nemini. quare L. Sullae, & C. Caeſaris pecuniarum translatio a iuſtis dominis ad alienos non debet liberalis uideri. nihil enim eſt liberale, quod non ſit idem iuſtum. Alter locus erat cautionis, ne benignitas maior eſſet, quam facultates: quod, qui benigniores uolunt eſſe, quā res patitur, primum in eo peccant, quod iniurioſi ſunt in proximos: quas enim copias his & ſuppeditari aequius eſt, & relinqui, eas transferunt ad alienos. ineſt autem in tali liberalitate cupiditas rapiendi plerumque, & auferendi per iniuriam, ut ad largiendum ſuppetāt copiae. uidere etiam licet, pleroſque, non tam natura liberales, quam quadam gloria ductos, ut benefici uideantur, facere multa, quae ab oſtentatione proficiſci magis, quam a uoluntate uideantur. talis autem ſimulatio uanitati eſt coniunctior, quam aut liberalitati, aut honeſtati. Tertium eſt propoſitum, ut in beneficentia delectus eſſet dignitatis, in quo & mores eius erunt ſpectandi, in quem beneficium conferetur, & animus erga nos, & communitas, ac ſocietas uitae, & ad noſtras utilitates officia ante collata. Quae ut concurrant omnia, optabile eſt; ſin minus, plures cauſſae, maioresq. ponderis plus habebunt. Quoniam autem uiuitur non cum perfectis hominibus, pleneq. ſapientibus, ſed cum ijs, in quibus, praeclare agitur, ſi ſint ſimulacra uirtutis: etiam hoc intelligendum puto, neminem omnino eſſe negligendum, in quo aliqua ſignificatio uirtutis appareat; colendum autem eſſe ita quemque maxime, ut quiſque maxime uirtutibus his lenioribus erit ornatus, modeſtia, temperantia, ac ipſa, de qua iam multa dicta ſunt, iuſtitia. nam fortis animus, & magnus in homine non perfecto, nec ſapiente ferentior plerumque eſt: illae uero uirtutes bonum uirum uidentur potius attingere. Atque haec in moribus conſiderentur.*

EXPLANATIO

DE BENEFICENTIA, *ac liberalitate* § ſupra: Iuſtitia, &c. & huic coniuncta Beneficētia, quam eandem uel Benignitatem, uel Liberalitatem appellare licet. NIHIL *eſt naturae hominis accommodatius:* § hoc enim eſt humanitatis proprium, quam hominis eſſe, uel nomen ipſum indicat. nempe φιλανθρωπία. HABET *multas cautiones:* § Cicero tres enumerat: quae tamen ſi ſubdiuidantur, plures emergunt. NE *obſit benignitas* § Seneca de Beneficijs, lib. 2. cap. 14. NE *maior benignitas ſit,* § exhaurietur enim fons liberalitatis. ID *enim eſt iuſtitiae fundamentum;* § ſupra dixit Fidem eſſe fundamentum iuſtitiae; hic, Liberalitatem. Vere. nam iuſtitia non poteſt eſſe ſine fide, neque liberalitas ſine iuſtitia. QVOD *obſit illi,* § hinc Inimicorum dona: ἀδῶρα δῶρα. CVI *prodeſſe uelle uideantur,* § uel ob auram popularem, uel quod maiorem remunerationem ſpectent. Iſocrates: τεχνικῶν πολῶντες ἀ δωροῦνται: καὶ οὐ δόσιν, ἀλλ' ἐμπορίαν ποιούμενοι. PERNICIOSI *aſſentatores* § ita ſex mei ueteres libri, & unus Tertij. octo, Pernicioſi, & aſſentatores. QVI *alijs nocent, ut in alios liberales ſint,* § Prouerb. De alieno liberalis. VT *ſi in ſuam rem aliena conuertant.* § cum enim dando egere coeperunt, alienis bonis manus afferre coguntur. lib. 2. SVNT *autem multi,* § qualis Catilina, ſui profuſus, alieni rapax. ABEST *ab officio,* § abeſt Ab, a ſeptem meis ueteribus libris, & uno Tertij, & uetere impreſſo. In eorum uno, Ab ab officio: & ſupra eſt adſcriptum, & additum, Diſtat, deletumq. alterum Ab. Ex quo fortaſſe mendi origo patet. L. SVLLAE, § Sullae proſcriptionem deſignat. Plutarchus in uita, App. lib. 1. Bel. ci. epit. Liu. lib. IX. de uir. ill. cap. 75. Valer. lib. IX. de crudelitate, Oroſius lib. v. cap. 21. Eutrop. lib. v. De ea & Plin. lib. VII. cap. 43. Seneca lib. III. de ira, & decl. 1. Lucanus lib. 2. & D. Aug. de Ciu. Dei, lib. 3. cap. 28. Ipſe Cicero infra, lib. II. C. CAESARIS § Curionem aere alieno leuauit. Suetonius de eius rapacitate plura dicit. Vide & Catullum. Seneca de Conſol. cap. 9. C. Caeſar, quem mihi uidetur natura rerum edidiſſe, ut oſtenderet, quid ſumma uitia in ſumma fortuna poſſent, centies ſeſtertium cenauit uno die: & in hoc omnium adiutus ingenio, uix tamen inuenit, quomodo trium prouinciarum tributum una cena fieret. Summa autem efficit (incredibile dictu) trecenta ſcutatorum millia. IVSTIS *dominis* § qui opes illas uel a maioribus acceperunt, uel propria induſtria ſibi peperere. BENIGNIORES, *quam res patitur,* § monemur, de ſorte, & ſumma nihil decedere oportere: de reditibus, & prouentibus liberales

Landesbibliothek Oldenburg

esse nos posse. IN *proximos*: § parentes, liberos, uxores. SVPPEDITARI § Mimographus: Auarus, nisi cum moritur, recte nihil facit.

RELINQVI § hereditario iure. INEST *autem &c.* § hoc pro Deinde subiunxit: quia dixerat, Primum in eo peccant. QVAE *ab ostentatione* § ut Appius Pulcher, qui sua ambitione Ciliciam exhauserat. Agellius, locum ex Laelio exponens: Beneficum, ait, & Liberalem Cicero appellat, ita ut philosophi appellandum censent, non eum, qui beneficia feneratur, sed qui benigne facit, nulla tacita ratione ad utilitates suas redundante. Aristoteles: Ο ἐλευθεριος δῶσι τοῦ καλοῦ ἕνεκα, καὶ ὀρθῶς, οἷς δεῖ, καὶ ὅσα, καὶ ὅτε, καὶ ἡδέως, καὶ ἀλύπως. Ideſt: Liberalis dabit honesti causſa, & recte, quibus, & quantum oportet: idq. faciet libenter, & absque molestia. SIMVLATIO § proprio utitur uocabulo, quod odium in se contineat. DELECTVS *dignitatis*. § ideſt, ut dignior indigniori anteponatur. IN QVO &c. § quattuor Cicero enumerat, Mores, Amicitiam, Cognationem, & Gratitudinem. OMNIA, § quae spectanda proposuit in liberalitate. PLENEQ. *sapientibus*, § quasi dicat: cum ijs agitur, in quibus ne simulacra quidem sunt uirtutis, nedum ipsa uirtus. IN *quibus, praeclare agitur, si sint simulacra uirtutis*: § sic tres mei ueteres libri, & unus Tertij: undecim, In quibus praeclare non agitur, sed sunt simulacra uirtutis. Vtro modo legas, sensus constat. *Simulacra uirtutis*: εἴδωλα. ideo, ijs qui praediti sunt, non uirtuosi, sed uirtuosorum εἴδωλα quaedam sunt. FERVENTIOR § itaque tunc fortitudo non est uirtus. accedit enim ad temeritatem. Sic Plancus ad Ciceronem, Fam. lib. x. ep. 23. Feruentes latrones dixit: ideſt, incitatos. Vbi tamen quidam libri ueteres habent, Furentibus. Graeci θερμοὺς dicunt. BONVM *unum uidentur potius attingere*. § ad bonum uinum uidentur potius pertinere. Sic locutus de Finibus: Cum pro cessisset paullulum, &, quatenus quodque se attingat, perspicere cupit.

CICERO

DE beneuolentia autem, quam quisque habeat erga nos, primum illud est in officio, ut ei plurimum tribuamus, a quo plurimum diligamur: sed beneuolentiam non adolescentulorum more, ardore quodam amoris, sed stabilitate potius, & constantia iudicemus. Sin erunt merita, ut non ineunda, sed referenda sit gratia: maior quaedam cura adhibenda est. nullum enim officium referenda gratia magis necessarium est. quod si ea, quae acceperis utenda, maiore mensura, si modo possis, iubet reddere Hesiodus: quidnam, beneficio prouocati, facere debemus? an non imitari agros fertiles, qui multo plus afferunt, quam acceperunt? et enim, si in eos, quos speramus nobis profuturos, non dubitamus officia conferre: quales in eos esse debemus, qui iam profuerunt? nam, cum duo genera liberalitatis sint, unum dandi beneficij, alterum reddendi: demus, nec ne, in nostra potestate est; non reddere, uiro bono non licet, si modo id facere possit sine iniuria. Acceptorum autem beneficiorum sunt delectus habendi: nec dubium, quin maximo cuique plurimum debeatur. in quo tamen in primis, quo quisque animo, studio, beneuolentia fecerit, ponderandum est. multi enim multa faciunt temeritate quadam, sine iudicio, uel modo, in omnes, uel repentino quodam, quasi uento, impetu animi incitati. quae beneficia aeque magna non sunt habenda, atque ea, quae iudicio considerate, constanterq. delata sunt. Sed in collocando beneficio, & in referenda gratia, si cetera paria sunt, hoc maxime officij est, ut quisque maxime opis indigeat, ita ei potissimum opitulari. quod contra fit a plerisque. a quo enim plurimum sperant, etiam si ille his non eget, tamen ei potissimum inseruiunt. Optime autem societas hominum, coniunctioq. seruabitur, si, ut quisque erit coniunctissimus, ita in eum benignitatis plurimum conferetur.

EXPLANATIO

ADOLESCENTVLORVM *more*, § quos Terentius ait impense cupere, consulere parum, esseq. leui sententia. Aristoteles Rhet. II. Οἱ νέοι ἐυμετάβολοι, καὶ ἄψικοροι πρὸς τὰς ἐπιθυμίας, καὶ σφόδρα μὲν ἐπιθυμοῦσι, ταχὺ δὲ πάυονται: ὀξεῖαι γὰρ αἱ βουλήσεις, καὶ οὐ μεγάλας, ὥσπερ αἱ τῶν καμνόντων δίψαι, καὶ πεῖναι. Vide & in Laelio. ARDORE *quodam amoris*, § nam huiusmodi ardore facile amor incenditur, & deflagrat: ut ignis e stipula. Atqui diligendi leuissimae causſae sunt adolescentulis, compotatio, ludus, deambulatio. leuissimae item offensarum, uerbum paullo asperius dictum. STABILITATE, *& constantia* § quae non potest esse, nisi in recto iudicio. & iudicium maturiorem aetatem requirit. INEVNDA § concilianda. Seneca autem referendae, & reddendae gratiae differentiam hanc ponit: ut referant, qui ultro, quod debent, afferunt; reddant, qui reposcuntur, qui inuiti, ubilibet, uel etiam per alium reddant. NVLLVM *enim officium referenda gratia magis necessarium est*. § fatentur hoc omnes: pauci factis expri munt. Isocratis haec sunt: Οἶμαί σε οὐκ ἀγνοεῖν, ὃν τρόπον οἱ θεοὶ τὰ τῶν ἀνθρώπων διοικοῦσιν. οὐ γὰρ αὐτόχειρες, οὔτε μετὰ τῶν ἀγαθῶν, οὔτε τῶν κακῶν γίνονται τῶν σωζόντων αὐτοῖς: ἀλλ' ἑκάστοις τοιαύτην ἔννοιαν ἐμποιοῦσιν, ὥστε δι' ἀλλήλων ὑμῖν ἑκάτερα παραγίνεσθαι τούτων. Ideſt: Puto te non ignorare, quo modo dei humana administrent. non enim ipsi coram, uel prosperis, uel aduersis rebus, se conspiciendos hominibus praebent, aut manibus contrectandos, sed eam mentem dant singulis, ut uel cladibus ultro citroq. se se afficiant, uel communes utilitates in medium afferant, mutatione officiorum. MAIORE *mensura*, § hoc idem uide expressum concinne in prooemio libri de claris orat. Seneca ingratum eum dicit, qui beneficium reddit sine usura. HESIODVS: § in lib. Εργα, καὶ ἡμέραι: cuius hi sunt uersus:

Εὖ μὲν μετρεῖσθαι παρὰ γείτονος, εὖ δ' ἀποδοῦναι,
Αὐτῷ τῷ μέτρῳ, καὶ λωΐον, εἴκε δυνήαι.

AN

AN *imitari*? sic omnes ueteres libri. AFFERVNT,? sic octo libri ueteres mei. quattuor, & unus Tertij, Efferunt. non male. duo, Offerunt. male, Gratitudinem, in oratione pro Cn. Plancio, ait non solum uirtutum maximam, sed etiam matrem omnium reliquarum. Ingratos uero Xenophon ita persequitur: Οἱ Πέρσαι οἴονται τοὺς ἀχαρίστους καὶ περὶ θεοὺς ἧττον μέλειν ἀμελῶς ἔχειν, καὶ περὶ γονέας, καὶ πατρίδα, καὶ φίλους. ἔπεσθαι δὲ δοκεῖ μάλιστα τῇ ἀχαριστίᾳ ἡ ἀναισχυντία. καὶ γὰρ αὕτη μεγίστη δοκεῖ εἶναι ἐπὶ πάντα τὰ αἰσχρὰ ἡγεμών. Idest: Persae Ingratos censent etiam deorum immortalium, & parentum, & patriae, & amicorum esse maxime negligentes. atque etiam impudentia cum primis animi ingrati comes, atque assecla esse uidetur, dux, atque auctor omnis turpitudinis. DVO *genera*? utrumque solius sapientis. Seneca. SI *modo id facere possit sine iniuria*.? reddere enim beneficium ita debet, ne quid iniuriae committat. DELECTVS *habendi*:? certus scilicet modus seruandus. QVO *quisque animo, studio, beneuolentia fecerit*,? Isocrates ad Demonicum: Μὴ δὲ τὰς χάριτας ἀχαρίστως. χαριζόμενος, ὅσπερ πάσχουσιν οἱ πολλοὶ ποιοῦντες μὲν, ἀηδῶς δὲ τοῖς φίλοις ὑπουργοῦντες. Quibus haec respondere uidentur: Ne ipsis quidem Gratijs citra gratiam feceris gratum: id quod non parum multi sane faciunt, iniucunde amicis seruientes. Homerus quoque:

Χαρίτων γὰρ θυμὸς ἄρισος.

Studio: alacritate. ἂν προθύμως, ἂν αὐτεπάγγελτος, καὶ μὴ ἀηδῶς χαρίζηται, ait Isocrates. MODO,? duo mei ueteres libri, & unus Tertij, Morbo. Vt alludatur ad illud Poetae Graeci:

Νόσον ἔχεις: χάρεις δίδους.

VEL *repentino quodam, quasi uento, impetu animi incitati*.? Sunt, qui legant, uel distinguant potius: Vel repentino, quodam quasi uento, impetu animi incitati. CONSTANTER? ut non paeniteat. SI *cetera paria sunt*,? Sint, quattuor mei ueteres libri. SI *cetera paria sunt*: inter eos scilicet, quibus benefaciendum est. *Paria*: idest, si par sit amicitia, uirtus, necessitudo, officia ante collata: si nulla ex caussis, concurrentibus ceteris, plus ponderis habeat. ETIAM *si ille his non eget*,? sic undecim mei ueteres libri, & unus Tertij: duo, Etiam si ille his non egeat. unus, Etiam si ille non egeat. Vt fortasse illud, His, prius scriptum fuerit, Is, & fuerit glossema ad τὸ Ille. INSERVIVNT.? quae mercatura potius, quam liberalitas, appellanda. SOCIETAS *hominum, coniunctioq*.? haec eadem coniungit supra.

CICERO

SED, *quae natura principia sint communitatis, & societatis humanae, repetendum altius uidetur. est enim primum, quod cernitur in uniuersi generis humani societate. eius autem uinculum est ratio, & oratio, quae docendo, discendo, communicando, disceptando, iudicando, conciliat inter se homines, coniungitq. naturali quadam societate. neque ullare longius abfumus a natura ferarum: in quibus ineſſe fortitudinem saepe dicimus, ut in equis, in leonibus, iustitiam, aequitatem, bonitatem non dicimus. sunt enim rationis, & orationis expertes. ac latissime quidem patens hominibus inter ipsos, omnibus inter omnes societas haec est. in qua omnium rerum, quas ad communem usum hominum natura genuit, est seruanda communitas, ut, quae descripta sunt legibus, & iure ciuili, haec ita teneantur, ut sit constitutum; e quibus ipsis cetera sic obseruentur, ut in Graecorum prouerbio est, amicorum omnia esse communia. omnia autem communia hominum uidentur ea, quae sunt generis eiusdem, quod, ab Ennio positum in una re, transferri per multas potest:*

Vt homo, qui erranti comiter monstrat uiam,
Quasi lumen de suo lumine accendat, facit,
Nihilo minus ut ipsi luceat, cum illi accenderit.

Vna enim ex re satis praecipitur, ut, quidquid sine detrimento possit commodari, id tribuatur cuique, uel ignoto. ex quo sunt illa communia, non prohibere aqua profluente; pati, ab igne ignem capere, si quis uelit; consilium fidele deliberanti dare. quae sunt ijs utilia, qui accipiunt, danti non molesta. quare & his utendum est, & semper aliquid ad communem utilitatem afferendum. Sed, quoniam copiae paruae singulorum sunt; eorum autem, qui his egeant, infinita est multitudo: uulgaris liberalitas referenda est ad illum Ennij finem; Nihilo minus ut ipsi luceat: ut facultas sit, qua in nostros simus liberales. Gradus autem plures sunt societatis hominum. ut enim ab illa discedatur infinita, propior est eiusdem gentis, nationis, linguae, qua maxime homines coniunguntur: interius etiam est, eiusdem esse ciuitatis. multa sunt enim ciuibus inter se communia, forum, fana, porticus, uiae, leges, iura, iudicia, suffragia, consuetudines praeterea, & familiaritates, multaeq. eum multis res, rationesq. contractae. Artior uero colligatio est, societas propinquorum: ab illa enim immensa societate humani generis, in exiguum, angustumq. concluditur. nam, cum sit hoc natura commune omnium animantium, ut habeant libidinem procreandi; prima societas in ipso est coniugio, proxima in liberis, deinde una domus, communia omnia. id autem est principium urbis, & quasi seminarium reip. Sequuntur fratrum coniunctiones, post consobrinorum, sobrinorumque: qui, cum una domo iam capi non possint, in alias domos, tamquam in colonias, exeunt. Sequuntur connubia, & affinitates: ex quibus etiam plures propinqui. quae propagatio, & soboles, origo est rerump. sanguinis autem coniunctio, & beneuolentia deuincit caritate homines. magnum est enim, eadem habere monumenta maiorum, eisdem uti sacris, sepulcra habere communia. Sed omnium societatum nulla praestantior est, nulla firmior, quam cum uiri boni, moribus similes, sunt familiaritate coniuncti. illud enim honestum, quod saepe diximus, etiam si in alio cernimus, tamen nos mouet, atque illi, in quo id ineſſe uidetur, amicos facit. &, quamquam omnis uirtus nos ad se allicit, facitque, ut diligamus, in quibus ipsa ineſſe uideatur: tamen iustitia, & liberalitas id maxime efficit. nihil autem est amabilius, nec copulantius, quam morum similitudo bonorum. in quib. enim eadem studia sunt, eaedemq. uoluntates, in his fit, ut aeque quisq. altero delectetur, ac se ipso: efficiturq. id, quod Pythagoras ultimū in amicitia, putauit, ut unus fiat ex pluribus. Magna ēt illa communitas est, quae conficitur ex beneficijs ultro citroq. datis, acceptisque. quae

Landesbibliothek Oldenburg

mutua, & grata dum sunt, inter quos ea sunt, firma deuinciuntur societate. Sed, cum omnia ratione, animoq. lustraueris, omnium societatum nulla est grauior, nulla carior, quam ea, quae cum rep. est unicuique nostrum. cari sunt parentes, cari liberi, propinqui, familiares: sed omnes omnium caritates patria una complexa est: pro qua quis bonus dubitet mortem oppetere, si ei sit profuturus? quo est detestabilior istorum immanitas, qui laeerarunt omni scelere patriam, & in ea sunditus delenda occupati & sunt, & fuerunt. Sed, si contentio quaedam, & comparatio fiat, quibus plurimum tribuendum sit offi cij: principes sunt patria, & parentes; quorum beneficijs maxime obligati sumus; proximi liberi, totaq. domus, quae spectat in nos solos, neque aliud ullum potest habere perfugium; deinceps bene conuenientes propinqui, quibus communis etiam plerumque fortuna est. quamobrem necessaria uitae praesidia debentur ijs maxime, quos ante dixi: uita autem, victusq. communis, consilia, sermones, cohortationes, consolationes, interdum etiam obiurgationes, in amicis uigent maxime; estq. ea iucundissima amicitia, quam similitudo morum coniungauit.

EXPLANATIO

RATIO, *& oratio,* § utrumque λόγος. λέγω enim omnino homo a brutis differt. Plato in epitaphio, & Aristoteles Polit. I. DOCENDO, *discendo,* § hominis proprium est docere, ac discere. doctrinam enim mens docentis effundit, disciplinam mens discentis haurit. patres autem liberos docent, dominus familiam, magister discipulos, uir prudens imperitos. COMMVNICANDO, § impartiendo necessaria, uel consilia conferendo. DISCEPTANDO, § accusando, defendendo. quae sequitur Iudicare. FORTITVDINEM, § si uires, & animum spectemus. quae tamen fortitudo proprie non est, rationis expers, & prudentiae. AMICORVM *omnia esse communia.* § Arist. Pol. 2. Δὶ ἀρετὴν δ' ἔσαι πρὸς τὸ χρῆσθαι κατὰ τὴν παροιμίαν, Κοινὰ τὰ φίλων. Vndecim mei libri, & unus Tertij, Amicorum esse communia omnia. Tres, Amicorum esse omnia cõmunia. GENERIS *eiusdem,* § Eius, emẽdaui, ex ueteribus libris decem, & uno Tertij. in uno, Huius. TRANSFERRI *per multas potest:* § ita unus meus liber. unus, In multas partes potest. unus, In multa potest. quinque, In multas potest: sex, & unus Tertij, In permultas potest. VT *homo, &c.* § abest, Vt, a sex antiquis libris, & sane recte abest, uersu etiam non solum permittente, sed etiam suadente. ERRANTI *monstrat uiam,* § lib. III. Quid est aliud, erranti uiam non monstrare, &c. COMITER § hoc ipsum attingit in oratione pro Balbo. NIHILOMINVS *ut ipsi luceat,* § sic quattuor libri mei. duo, & Tertij, Nihilominus ipsi luceat. AQVA *profluente;* § sic Petrus Nannius, ex antiquis libris, emendauit quo ego natus sum anno. quem alij postea sunt secuti: melius, quam, ut antea, Aquam profluentem. Sic & liber Tertij. VVLGARIS *liberalitas* § quae omnibus impertitur. AB *illa discedatur infinita,* § societate: qua omnibus omnes ratione, & oratione coniunguntur. Sic est in decem meis libris, & uno Tertij. LINGVAE, *qua maxime homines coniunguntur:* § nam Sermo est instrumentum societatis. INTERIVS § alij, Interior. cum quibus duo mei faciunt. utrumque recte. sed illud maiorem consensum librorum habet. NAM, *cum sit hoc natura commune omnium animantium, ut habeant libidinem procreandi; prima societas in ipso est coniugio. &c.* § Ex Arist. I. Pol. Ἀνάγκη δὲ πρῶτον συνδιάζεσθαι τοὺς ἄνευ ἀλλήλων μὴ δυναμένους εἶναι, οἷον θῆλυ μὲν καὶ ἄρρεν, τῆς γενέσεως ἕνεκεν. &c. Et Oecon. I. Κοινωνία γὰρ φύσει τῷ θήλει, καὶ τὸ ἄρρεν: μάλιστα ἔστιν. COMMVNIA *omnia.* § Charondas, ὁμοσίπνους appellat, i. eadem ara utentes; uel ὁμοσίτους, i. conuictores, Epimenides, ὁμοκάπους, i. eodem praesepi communicates; uel, ὁμοκάπνους, i. eodem fumo utentes. ID *autem est principium urbis, & quasi seminarium reip.* § urbs enim ex domibus, resp. e ciuibus constat. CONSOBRINORVM, *sobrinorumque:* § prolis propagationem intelligit. IN *alias domos, tamquam in colonias, exeunt.* § Arist. Pol. I. Μάλιστα δὲ κατὰ φύσιν ἔοικεν ἡ κώμη ἀποικία οἰκίας εἶναι, οὓς καλοῦσί τινὲς ὁμογάλακτας, παῖδάς τε καὶ παίδων παῖδας. Et paullo infra: Ὥσε καὶ αἱ ἀποικίαι διὰ τὴν συγγένειαν. Et Plato VI. de Leg. Οἷον εἰς ἀποικίαν ἀπικνουμένους αὐτούς. MONVMENTA *maiorum,* § dicta, quod nos alicuius rei commoneant. Graeci, μνημεῖα appellant. Nempe, statuas, trophaea, & maiorum imagines, quae posteros uirtutis uitae admoneant. Vide, quae de imaginibus maiorum diximus ad Sallustium. Cicero in Bruto: Ipsae familiae sua quasi ornamenta, & monumenta seruabant, & ad usum, si quis eiusdem generis occidisset, & ad memoriam laudum domesticarum, & ad illustrandam nobilitatem suam. EISDEM *uti sacris,* § erant enim & publica ciuitatis, & priuata cuiusque familiae sacra, quae tradebantur heredibus. Sacra enim, ex Festo, aut domestica sunt, aut peregrina, aut publica, aut priuata. De priuatis legitur in lege XII. tabularum, apud Cic. de Leg. II. Sacrorum societatem nominat & Plinius in Panegyrico. Vide & in Adagijs, Sine sacris hereditas. Vel, *Sacris:* ideest, res opulentissima. sic saepe apud Plautum. SEPVLCRA *habere communia.* § de sepulcris, uarioq. sepeliendi ritu consulendum censeo Lilium Gregorium Gyraldum, qui totam hanc materiem doctissime tractauit. SED *omnium societatum &c.* § uide dialogum de Amicitia. COPVLANTIVS, § ita legendum. itaq. Pater ante plures annos in nostris libris edi iussit. itaq. est in uno meo. ID, *quod Pythagoras ultimum in amicitia putauit,* § sic legit Nonius hunc locum, & interpretatur, Vltimus, i. primus. citatq. Virgilium,

Tu sanguinis ultimus auctor.

Liuius quoque lib. I. Tarquinius, maledicta ab ultima stirpe orsus. Cornelius Nepos in Attici uita stirpem ultimam dixit. Cicero de Fin. III. Summum bonum, quod ultimum appellant, in animo ponere. Et V. Homini id est in bonis ultimum, secundum naturam uiuere. Vnus ex meis libris, Id, quod Pythagoras iussit in amicitia. Male, sed unde tamen (ex uarietate) eliciatur uera lectio. Hoc autem alij tradiderunt. nam Pythagoras nihil scripsit. VT *unus fiat ex pluribus.* § Aristoteles φίλον, definit, μίαν ψυχὴν

δύο σώμασιν ἐνοικοῦσαν: ideſt, unam animam in duobus corporibus habens. MVTVA, ξ ideſt, ne alter tantummodo det, alter accipiat. PATRIA *una* ξ cuius amorem omnibus rebus praeferendum eſſe, omnes fatentur. de qua Horatius:

Dulce, decorumq. eſt, pro patria mori.

Sophocles quoque in Antigona naui patriam comparat, qua incolumi, fractaque, ſalui ſunt, periclitanturq. nauigantes:

Τούτῳ γιγνώσκων, ὅτι
Ηδ' ἐστὶν ἡ σώζουσα, χ) ταύτης ἔπι
Πλέοντες ὀρθοῖς τοὺς φίλους ποιούμεθα.

SI *ei ſit pro futurus?* ξ ut Decij, Codrus, & alij. QVI *lacerarunt omni ſcelere patriam*, ξ cum dixit, Lacerarunt, Caeſarem iam mortuum notat: cum uero ſubiungit, In ea funditus delenda occupati & ſunt, & fuerunt, M. Antonium carpit, qui, poſt obitum Caeſaris, conſul cum eſſet, omnem ſuam poteſtatem ad opprimendam rurſus libertatem contulit: quod ei denique, facta cum Octauio, & Lepido conſpiratione, ſucceſsit. PATRIA, *& parentes*; ξ uide in Laelio, & Auguſtinum de doctrina Chriſtiana. Has autem uirtutes Iſocrates in Euagora oſtendit, & Ioſephus in Dauid, Antiq. Iud. lib. VII. circa finem. COMMVNIS *fortuna* ξ in rebus ſecundis, aduerſisque. INTERDVM *obiurgationes*, ξ prouerbium, Amicorum eſt mutuo admonere. Cuiuſmodi eſt apud Terentium Demea, & Micio.

CICERO

SED, *in his omnibus officijs tribuendis, uidendum erit, quid cuique maxime neceſſe ſit, et quid quiſque nobiſcum, uel ſine nobis, aut poſſit conſequi, aut non poſſit. ita non ijdem erunt neceſſitudinum gradus, qui & temporum. ſuntq. officia, quae alijs magis, quam alijs, debeantur: ut, uicinum citius adiuueris in frugibus percipiendis, quam aut fratrem, aut familiarem: at, ſi lis in iudicio ſit, propinquum potius, & amicum, quam uicinũ defenderis. Haec igitur, & talia circumſpicienda ſunt in omni officio: & conſuetudo, exercitatioq. capienda, ut boni rationatores officiorum eſſe poſſimus, & addendo, deducendoq. uidere, quae reliqui ſumma fiat; ex quo, quantum cuique debeatur, intelligas. Sed, ut nec medici, nec imperatores, nec oratores, quamuis artis praecepta perceperint, quidquam magna laude dignum ſine uſu, & exercitatione conſequi poßunt: ſic officij conſeruandi praecepta traduntur illa quidem, ut faciamus ipſi; ſed rei magnitudo uſum quoque, exercitationemq. deſiderat. Atque ab ijs rebus, quae ſunt in iure ſocietatis humanae, quemadmodum ducatur honeſtum, ex quo aptum eſt officium, ſatis fere diximus. Intelligendum eſt autem, cum propoſita ſint genera quattuor, e quibus honeſtas, officiumq. manaret, ſplendidiſſimum uideri, quod animo magno, elatoque, humanasq res deſpiciente factum ſit. itaque in probris maxime in promptu eſt, ſi quid tale dici poteſt:*

Vos etenim, iuuenes, animum geritis muliebrem,
Illa uirago uiri: & ſi quid huiuſmodi:
Salmaci da ſpolia ſine ſudore, & ſanguine.

Contraq. in laudibus; quae magno animo, & fortiter, excellenterq. geſta ſunt, ea neſcio quo modo quaſi pleniore ore laudamus. hinc rhetorum campus de Marathone, Salamine, Plataeis, Thermopylis, Leuctris, Stratocle.: hinc noſter Cocles, hinc Decij, hinc Cn. & P. Scipiones, hinc M. Marcellus, innumerabilesq. alij: maximeq. ipſe populus R. animi magnitudine excellit. Declaratur autem ſtudium bellicae gloriae, quod ſtatuas quoque uidemus ornatu fere militari. Sed ea animi elatio, quae cernitur in periculis, & laboribus, ſi iuſtitia uacat, pugnatq. non pro ſalute communi, ſed pro ſuis commodis, iniuitio eſt. non enim modo id uirtutis non eſt, ſed potius immanitatis, omnem humanitatem repellentis. itaque probe definitur a Stoicis fortitudo, cum eam uirtutem eſſe dicunt propugnantem pro aequitate. quocirca nemo, qui fortitudinis gloriam conſecutus eſt, inſidijs, & malitia laudem eſt adeptus. nihil enim honeſtum eſſe poteſt, quod iuſtitia uacat. praeclarum igitur Platonis illud: Non ſolum, inquit, ſcientia, quae eſt remota a iuſtitia, callliditas potius, quam ſapientia, eſt appellanda; uerum etiam animus, paratus ad periculum, ſi ſua cupiditate, non utilitate communi, impellitur, audaciae potius nomen habeat, quam fortitudinis. itaque uiros fortes, magnanimos, eoſdem bonos, & ſimplices, ueritatis amicos, minimeq. fallaces eſſe uolumus. quae ſunt ex media laude iuſtitiae. Sed illud odioſum eſt, quod in hac elatione, & magnitudine animi facillime pertinacia, & nimia cupiditas principatus innaſcitur. ut enim apud Platonem eſt, omnem morem Lacedaemoniorum inflammatum eſſe cupiditate uincendi: ſic, ut quiſque animal magnitudine maxime excellit, ita maxime uult princeps omnium eſſe, uel potius ſolus eſſe. difficile autem eſt, cum praeſtare omnibus concupieris, ſeruare aequitatem, quae eſt iuſtitiae maxime propria. ex quo fit, ut neque diſceptatione uinci ſe, nec ullo publico, ac legitimo iure patiantur. exſiſtuntq. in rep. plerumque largitores, & factioſi, ut opes quammaximas conſequantur, & ſint ui potius ſuperiores, quam iuſtitia pares. ſed, quo difficilius, hoc praeclarius. nullum enim eſt tempus, quod iuſtitia uacare debeat. fortes igitur, & magnanimi ſunt habendi, non qui faciunt, ſed qui propulſant iniuriam. uera autem, & ſapiens animi magnitudo honeſtum illud, quod maxime natura ſequitur, in factis poſitum, non in gloria iudicat, principemq. eſſe mauult, quam uideri. etenim, qui ex errore imperitae multitudinis pendet, hic in magnis uiris non eſt habendus. Facillime autem ad res iniuſtas impellitur, ut quiſque eſt altiſſimo animo, & gloriae cupido. qui locus eſt ſane lubricus: quod uix inuenitur, qui, laboribus ſuſceptis, periculisq. aditis, non, quaſi mercedem rerum geſtarum, deſideret gloriam.

EXPLA-

EXPLANATIO

QVI *& temporum*. § habenda temporis ratio interdum maior est, quam necessitudinis. VICINVM *citius adiueueris* § Terentius Vicinitatem propinquam amicitiae partem existimat. Hesiodus quoque in Ergis, commoditates boni uicini enumerans, ait, si ipsius opera opus quis habeat, abiectis proprijs negotijs, ei incunctanter eum affuturum:

Εἰ γάρ τοι κ᾽ χρῆμ᾽ ἐγγώριον ἀλλογένηται·
Γίτονες ἄζωσοι ἔκοιεν, ζώσαντο δὲ πηοί.

SILIS *in iudicio sit*, § Archidemides cognatum Lacheten aduocatum sibi rogat, apud Terentium Eunucho. BONI *ratiocinatores* § arithmetici, qui officiorum datorum, acceptorumq. inire rectam rationem possint. DEDVCENDO Q. § deminuendo. sic ad Att. Detrahere de summa, dixit: & pro Rabirio, Decessionem de summa trahere. SED, *ut nec medici, nec imperatores, nec oratores &c.* § Arist. Pol. lib. 1. cap. 7. Πάντα δὲ τοιαῦτα τὴν μὲν θεωρίαν ἐλεύθερον ἔχει, τὴν δὲ ἐμπειρίαν ἀναγκαίαν. Oratorem autem uidetur imperatori anteponere in prooemio lib. 1. de Oratore. ANIMO *magno, elatoque*, § Fortitudinis descriptio, & laus. *Magno*: magnas res appetente. *Elato*: non humili, & abiecto, sed alte spectanti. nam Elatum in bonam partem accipiendum est. HVMANAS Q. *res despiciente*, § fortuitas, & externas, fortunaeq. ludibria. IN *probris maxime in promptu est*, § imitatus Ciceronem Plutarchus in lib. de pueris educandis: Ὀνείδη πρόχειρα τοῖς ἐλέγχειν, κ᾽ λοιδορεῖσθαι βουλομένοις. &c. ANIMVM *geritis muliebrem*, § sic locutus Parad. 1. Gere animum laude dignum. SALMACI *da spolia* § feminae nomen uiro tribuit, probri caussa. Strabo lib. XIV. Καὶ ἡ Σαλμακὶς κρήνη διαβεβλημένη οὐκ οἶδ᾽ ὁπόθεν, ὡς μαλακίζουσα τοὺς πίνοντας ἀπ᾽ αὐτῆς. Sunt, qui legant, Salmacida. Vide & Lutatium in Ouidij Metam. IV. Hos autem uersus alij putant Ennij esse. Ego insculptos statuae equestri fuisse puto. quod ex Seneca mihi uideor posse elicere: cuius haec sunt in libro de Consolatione: Equestri insidens statuae in Sacra uia celeberrimo loco Cloelia, exprobrat iuuenibus nostris puluinum adscendentibus, in ea illos urbe sic ingredi, in qua etiam feminas equo donauimus. De statua autem Plin. lib. XXXIV. cap. 6. Videndus Liuius lib. 2. Dionys. lib. V. Plutarchus in Poblicola, & de clar. mul. cap. 14. Eutrop. lib. 1. Valer. lib. III. cap. 2. de uir. ill. cap. 13. Florus lib. 1. cap. X. & Virg. lib. IIX. & Silius lib. X. RHETORVM *campus* § rhetorum campi, poetarum siluae. MARATHONE, &c. § Victores, Milciades, Themistocles, Aristides, Leonidas, Epaminondas. In historijs autem his describendis quae alij collegerunt, non grauabor adscribere. *Marathone*: non tam propter Marathonium Taurum a Theseo ibi confectum, de quo Plut. in Theseo, Strabo lib. IX. Pausanias in Att. Ouidius lib. IIX. quam propter insignem Milciadis contra Persas in Marathonis, ciuitatis Atticae, campo uictoriam: in qua Herod. lib. IIX. ex Persis sex millia trecenta, ex Athenienssibus centum tantummodo & nonagintaduos cecidisse scribit. Iustinus lib. II. uero memorat, Athenienses decem millibus ciuium, & mille Plataeensibus auxiliarijs aduersus sexcẽta millia hostium in campos Marathonios egressos fuisse. Quod quidem Milciadis trophaeum Themistocli, aemulationis ardore concitato, somnium adimebat: auctoribus Valerio lib. IIX. cap. 15. Plutarcho in Themistocle, & Apophthegm. Graecorum. Eusebius in Chronicis hanc uictoriam Olymp. LXXII. factam fuisse scribit: Agellius ab V. C. CCLX. aut nõ multo amplius. quae tempora non male conueniunt sexto die mensis Σκιροφοριῶνος, qui nobis Augustus est, Plut. in Camillo. Scribunt hoc, praeter citatos, Orosius lib. II. cap. 8. Otho Phrysingensis lib. 2. cap. 16. Meminit praeterea Thucyd. lib. 1. Plutarchus uero in Camillo, Aristide, & Flaminio, & de sero a numine uindicatis. Plato in Gorgia, Valerius de Ingratis, tam huius quam sequentium aliquot meminerunt.

Salamine: Insula obiecta Atticae continenti, suburbana fere, Solino: ut Cos, Ceos, Sunium olim Athenienssibus, Lacedaemoniorum sententia, eo quod inde Aiace Telamonio duce cum Athenienssibus ad Ilium profecti sint. Eam autem Solon uelut hostilem arcem ex propinquo saluti Athenienssium imminentem recuperauerat. In sinu Salaminico Themistocles, Athenienssium dux, totius tum Graeciae imperator, rem feliciter contra Xerxen, quem fraude in proelium nauale illexerat, gessit. ob quam uictoriam Salaminenses gratulaturi simulacra posuerunt, teste Isocrate. Agellius quattuor annis ante Coriolani uexationem haec gesta scribit. Historiam referunt Plut. in Themistocle, Herod. lib. IIX. Iustinus lib. 2 Oros. lib. 2. cap. 9. Meminit Isoc. tum alibi, tum in Panegyrico, & Panathenaico, Plato, & Valerius locis supra citatis. De hoc plura inferius lib. III. Boccatius de clar. mul. cap. 55. de Artemisia. *Plataeis*: Plataeae, arum; uel, ut Poeta singulariter protulit, Πλάταια, Bocotiae urbs, a latitudine dicta, uel quod latis usi sint remis, uel quod procul a lacubus sita sit, a Thebis LXX. stadijs ad fluuium Asotum, ea uia, quae Athenas ducit. Hinc celeberrima Pausaniae, totius Graeciae ducis, de Mardonio Persa uictoria, quam ibi Aristidis auxilio uicit, cognomen acquisiuit. Ibidem Iouis Liberatoris templum est, & gymnicum certamen in eaeforum honorem constitutum, & trophaea pro uniuersa Graecia contra uim Asiae posita. Historiam scribunt Herod. lib. IX. Plutarchus in Aristide, Oros. lib. 2. cap. II. Iustinus lib. 2. Meminerunt Thucydides lib. 2. Plutarchus in Cimone, & Isocrates in Plataico: qua oratione post aliquot annos ab Athenienssibus contra Thebanos Plataeensibus auxilia petit. *Thermopylis*: Thermopylae, angustus (qua Oetae montis cacumen attollitur) uiatoribus ex Thessalia, & a litore Locros petentibus transitus est, ad quem murus erat a Phocensibus Thessalorum metu aedificatus, & in eo πυλαὶ, idest portae transitum praebebant. & quia iuxta in ipsis faucibus θερμαὶ essent, uel, ut Herodotus habet, θερμὰ λουτρὰ, Thermopylae locus est appellatus. Thermae sacrae erant Herculi, cui ara supra exstructa locum religione complebat. ex Strabone, Herodoto, & Liuio.

uio. Vbi Leonides, Lacedaemoniorum dux, contra Xerxen innumero exercitu instructum, deficientibus socijs, parua ciuium manu, deuotione facta, fortissime occubuit. Historiam scribunt Herod. lib. IIX. Iustinus lib. 2. Orosius lib. 2. cap. 9. Meminerunt Valer. lib. III. cap. de fortitudine, Seneca lib. epist. x. in fine, Agellius lib. III. cap. 7. Liuius lib. xxxvi. Plutarchus in Pelopida, item in Parallelo VII. item in Apophthegmatis Laconicis, Isocrates in Panegyrico, & Panathenaico. *Leuctris*: oracula, uocesq. deorum Lacedaemonios saepe monuerant, ut sibi a Leuctrica ira cauerent. Sed (quemadmodum oracula animos ambiguos tenent) de loco cauendo nemini certo constabat, cum apud Megalem, Arcadiae ciuitatem, eo nomine locus esset, & in Laconia iuxta mare opidum: ubi Epaminondas, Thebanorum dux, Lacedaemonios Graeciae imperio, quod semper affectauerant, ita exsuit, ut spem una amiserint. Refertur historia a Iustino lib. VI. Orosio lib. III. cap. I. Othone Phrysingensi lib. 2. cap. 24. Meminerunt Valerius Max. lib. III. cap. de fortitudine, Cicero lib. II. de Fin. & Fam. lib. v. ep. 12. Isocrates in Panegyrico, & Philippico, Polybius lib. 2. Plutarchus in Coriolano, Agesilao, Pelopida, & Artaxerxe, item in Apophthegm. Laconicis, & Graecis; item in Eroticis: Diodorus Siculus de gestis Philippi, Agellius lib. XVII. cap. 21. Xenophon sub finem VII. Ελληνικῶν attingit: neque enim is ad finem historiam perduxit. *Leuctris*: quibus uicere Thebani Spartanos, Epaminonda duce: unde principatum Graeciae sunt adepti. *Stratocle*: uel, Strato; uel, Stratoque, reponendum. Locus est, ut Maratho, & reliqua superiora, Athenienſium uictoria nobilitatus. Thucydides lib. 2. Alij aliter. quos ut sequar, historia non patitur. & ueteres libri ab opinione nostra parum dissentiunt. Cum haec scripsissem, Sabellicum iampridem idem sensisse, ex aliorum Scholijs didici. Sane tantum abest, ut moleste feram, posteriorem fuisse me in ueritate cognoscenda, ut etiam uehementer gaudeam, opinionem meam doctissimi hominis testimonio comprobari. Libri ueteres mei, quinque habent, Stratocle: duo, Stertocle: unus, Sterthocle: unus, Statrocles: unus, Stertocles: unus, Stercocle: unus, Stertotecle: unus, Siscocles: unus, Terocle: Tertij, Stercocles. Ioannes Brodaeus legit Cytherisque, contra omnium librorum fidem. aitq. insulam esse, in qua tuenda singularis Athenienſium uirtus enituit. ex Plutarcho, cuius haec citat: Καὶ τὰς περὶ Κυθηρα, καὶ Μεγαρα, καὶ Κόρινθον ἀνδραγαθίας νικίου. HINC *noster Cocles*, § enumerat, qui mortis discrimen forte animo adierint. HINC *noster Cocles*: absunt haec ab omnibus, quos umquam uiderim, ueteribus libris. Vt ex repetitione illa, Stratocle, factum fortasse sit, Noster Cocles. Quod tamen si retineamus, eius historiā scribunt Liuius lib. 2. Dionys. Halic. lib. VI. Florus lib. I. cap. 10. Plutarchus in Publicola, de uir. ill. cap. II. Eutropius lib. I. cap. II. De eo etiam mē tionem facit Valer. lib. III. cap. de fortitudine, Cicero Parad. I. Plut. Parallelo XVI. Seneca Epist. lib. XXI. ep. I. Virg. in IIX. Silius in X. Aug. de Ciu. D. lib. 2. cap. 8. Plin. lib. xxxvi. cap. 15. Agellius lib. IV. cap. 5. DECII, § pater, & filius, alter anno ab v. C. CDXV. alter anno CDXLIIX. Liuius, Florus, Valer. lib. v. cap. de pietate erga patriam, de uir. ill. cap. 27. Orosius lib. III. cap. 21. Meminit & Cicero de diu. lib. I. Tusc. I. & alibi, & Aug. de ciu. D. lib. v. cap. 18. CN. *& P. Scipiones*, § duo illa fulmina belli: &, Belligeri (ut Silius uocat) Mauortia pectora fratres. quorum Publius, maioris Africani pater fuit; Cnaeus uero, Scipionis Nasicae, uiri totius senatus censura optimi, bello Punico II. in Hispaniam missi. in quo Publium uulneratum filius praetextatus protexit. Cuius mentionem fecit Seneca de beneficijs III. cap. 32. Valerius de pietate filiorum erga parentes. Cnaeus, re feliciter gesta, Magonem cepit. Liuius li. XXI. Hasdrubalem uicerunt, & Hispaniam suam fecerunt, lib. XXIII. Post res per octo annos feliciter gestas, prope cum totis exercitibus caesi, tristem exitum tulerunt, lib. XXV. Historiam praeterea scribunt Appianus in Libyco, Florus lib. II. cap. 6. Orosius lib. IV. cap. 17. Eutropius lib. III. cap. 5. Otho Phrysingensis lib. 2. Scipionis in Hispaniam missorum meminit Polybius lib. III. interfectorum Silius lib. XIII. & XV. Interiere anno eodem, quo Syracusae a Marcello captae sunt: hoc est, ab v. C. DXLII. M. MARCELLVS, § M. Claudius Marcellus anno DXXXIX. praetor ad Nolam aduersus Hannibalem prospere pugnauit. Anno sequenti consul in Sicilia, quae prope tota ad Poenos defecerat, Syracusas obsedit. An. DXLII. ingentem se uirum gerens, expugnat. Liuius lib. XXIII. XXIV. XXV. Res a Marcello gestas leges praeterea apud Plutarchum in eius uita, apud Florum lib. 2. cap. 6. de uir. ill. cap. 45. Silium lib. XII. apud Valer. lib. I. cap. I. lib. II, cap. 3. lib. III. cap. 2. lib. IV. cap. I. lib. IV. cap. I. lib. III. cap. 7. de Archimede, item apud Plinium lib. VII. cap. 25. ORNATV *fere militari*. § raro togato. uide Plinium lib. XXXIV. PRO *suis commodis*, § ut contra Philippum Demosthenes, contra M. Antonium Cicero. AEQVITATE. § quae commune commodum, non priuatum, spectat. hinc Agesilaus, fortitudine non opus esse, si omnes iusti essemus. NIHIL *enim honestum esse potest, quod iustitia uacat*. § Arist. Eth. lib. III. cap. 7. & Pol. lib. v. cap. 10. PLATONIS *illud*: § in Epitaphio: Πᾶσα τε ἐπισύμη χωριζομένη δικαιοσύνης, καὶ τῆς ἄλλης ἀρετῆς, πανουργία, οὐ σοφία φαίνεται. PARATVS *ad periculum*, § quod fortitudinis principium uidetur. SVA *cupiditate*, § iniusta. SIMPLICES, *ueritatis amicos*, § antiqui libri sex, & unus Tertij, Simplicis ueritatis amicos. quo modo Euripides:

Ἁπλοῦς ὁ μῦθος τῆς ἀληθείας ἔφυ.

Simplicemq. ueritatis orationem esse, adagium monet. INNASCITVR, § sic Iuuenalis:

Neglectis urenda filix innascitur agris.

APVD *Platonem est*, § in Lachete, siue περὶ ἀνδρείας: τοῖς Λακεδαιμονίοις οὐδὲν ἄλλο μέλει ἐντῷ βίῳ, ἢ τοῦτο ζητεῖν, καὶ ἐπιτηδεύειν, ὅτι ἂν μαθόντες, καὶ ἐπιτηδεύσαντες, οἷοί τ' ὦσι πλεονεκτεῖν τῶν ἄλλων περὶ τὸν πόλεμον. OMNEM *morem* § ita omnes ueteres libri. ex quibus unus supra, Morem, habet, Ideſt naturam. Illud, μελει επιτηδευειν curae est studere, Cicero uertit, Morem. PRINCEPS *omnium esse*, § qualis ab Agamemnone Achilles depingitur, Il. a.

Αλλ'

Αλλ' ὅδ' ἀνὴρ ἐθέλει περὶ πάντων ἔμμεναι ἄλλων,
Πάντων μὲν κρατίειν ἐθέλει, πάντεσσι δ' ἀνάσσειν,
Πᾶσι δὲ σημαίνειν.

VEL *potius solus esse*. § Homerus ὀδ.μ.

Οἷος πέπνυται, τοὶ δὲ σκιαὶ ἀΐσσουσιν.

Ideſt: Hic ſapit unus, ut umbra fugax uolat altera turba.

AEQVITATEM, § ita omnes libri ueteres. OPES *quammaximas* § potentiam, non diuitias. VI *superiores*, § Octauij tribunus, qui, cum peteret, ut conſulatus Octauio immatura aetate daretur, idq. non impetraret, proferens gladium, dixit: Si uos non dabitis, hic dabit. QVO *difficilius, hoc praeclarius*. § Graecis, δύσκολα τὰ καλά. IN *factis poſitum*, § ad illud pertinet, ὅτι τὸ καλὸν δι' αὐτὸ αἱρετόν. ut & illud Poetae:

Ipſa quidem uirtus pretium ſibi.

PRINCIPEMQ. *ſe eſſe mauult, quam uideri*. § tunc enim recte uiues, cum ſtudes eſſe, quod audis. Huc facit Salluſtianum illud, ex Aeſchylo, ſupra a nobis notatum: Eſſe, quam uideri, bonus malebat. Ita Ariſtoteles Polit. 1. Τὸ δυνάμενον τῇ διανοίᾳ προορᾶν, ἄρχον φύσει, καὶ δεσπόζον φύσει: τὸ δὲ δυναμενον τῷ σώματι ταῦτα ποιεῖν, ἀρχόμενον, καὶ φύσει δοῦλον. Ideſt: Id, quod animo proſpicere poteſt, princeps natura eſt, & dominus. quod uero ea poteſt corpore conſequi, ſubiectum, & natura ſeruum. QVI *ex errore imperitae multitudinis pendet*, § ex quo facile errat. itaque uirtus ipſa per ſe, non uulgi laude, aeſtimanda. Seneca: Numquam tam bene cum rebus humanis agitur, ut meliora pluribus placeant. VT *quiſque eſt altiſsimo animo, & gloriae cupido*. § tredecim antiqui libri, & unus Tertij, Cupiditate. in eorum tamen uno, in margine, Cupido. alius, Cupidus. Vt uel, Cupido, uel Cupidus, ſit legendum, procul dubio. DESIDERET *gloriam*. § quam ſaepe, neglecta aequitate, appetimus.

CICERO

OMNINO *fortis animus, & magnus duabus rebus maxime cernitur: quarum una in rerum externarum deſpicientia ponitur, cum perſuaſum ſit, nihil hominem, niſi quod honeſtum, decorumq. ſit, aut admirari, aut optare, aut expetere oportere, nulliq. neque homini, neque perturbationi animi, nec fortunae ſuccumbere. altera eſt res, ut, cum ita ſis affectus animo, ut ſupra dixi, res geras magnas illas quidem, & maxime utiles, ſed ut uehementer arduas, plenasq. laborum, & periculorum, tum cauſſa uitae, tum multarum rerum, quae ad uitam pertinent. Harum rerum duarum ſplendor omnis, & amplitudo eſt, addo etiam utilitatem, in poſteriore; cauſſa autem, & ratio efficiens magnos uiros, eſt in priore. in eo enim eſt illud, quod excellentes animos, & humana contemnentes facit. id autem ipſum cernitur in duobus, ſi & ſolum id, quod honeſtum ſit, bonum iudices; & ab omni animi perturbatione liber ſis. nam & ea, quae eximia pleriſque, & praeclara uidentur, parua ducere, eaq. ratione ſtabili, firmaq. contemnere; fortis animi, magniq. dicendum eſt: & ea, quae uidentur acerba, quae multa, & uaria in hominum uita, fortunaq. uerſantur, ita ferre, ut nihil a ſtatu naturae diſcedas, nihil a dignitate ſapientis, robuſti animi eſt, magnaeq. conſtantiae. Non eſt autem conſentaneum, qui metu non frangatur, eum frangi cupiditate; nec, qui inuictum ſe a labore praeſtiterit, uinci a uoluptate. quamobrem & haec uitanda ſunt, & pecuniae fugienda cupiditas. nihil enim eſt tam anguſti animi, tamq. parui, quam amare diuitias: nihil honeſtius, magnificentiusque, quam pecuniam contemnere, ſi non habeas; ſi habeas, ad beneficentiam, liberalitatemq. conferre. Cauenda eſt etiam gloriae cupiditas, ut ſupra dixi. eripit enim libertatem, pro qua magnanimis uiris omnis debet eſſe contentio. Nec uero imperia expetenda, ac potius non accipienda interdum, aut deponenda nonnumquam. Vacandum autem eſt omni animi perturbatione, tum cupiditate, & metu, tum etiã aegritudine, & uoluptate animi, & iracundia, ut tranquillitas animi adſit, & ſecuritas, quae afferat tum conſtantiam, tum etiam dignitatem. Multi autem & ſunt, & fuerunt, qui, eam, quem dico, tranquillitatem expetentes, a negotijs publicis ſe remouerunt, ad otiumq. perfugerunt. in his & nobiliſſimi philoſophi, longeq. principes, & quidam homines ſeueri, & graues nec populi, nec principum mores ferre potuerunt: uixeruntq. non nulli in agris, delectati re ſua familiari. his idem propoſitum fuit, quod & regibus, ut ne qua re egerent, ne cui parerent, libertate uterentur, cuius proprium eſt, ſic uiuere, ut uelis.*

EXPLANATIO

NVLLI *neque homini, neq. perturbationi animi, nec fortunae ſuccumbere*. § ideſt, nullius hominis metu ab honeſtate deficere, uel gratia inflecti: non ad iram procliuem eſſe: non cuiuſquam opes pertimeſcere. TVM *cauſſa uitae*, § non inani aliquo ſtudio. DICENDVM *eſt*: § ita eſt in duodecim antiquis meis. duo, & Tertij, Ducendum eſt: quorum unus ſupra habet adſcriptum, Ideſt, Iudicandum. QVAE *uidentur acerba*, § re autem uera non ſunt. STATV *naturae* § humanae. NON *eſt autem conſentaneum*, § concludit, qui fortis ſit, eundem eſſe temperantem. LABORE § aegritudine. VITANDA *ſunt*, § duodecim mei libri, Videnda. utrumque recte. Sunt, abeſt, ab octo libris. CAVENDA *eſt etiam gloriae cupiditas*, § quam tum maxime amittimus, cum maxime affectamus. Liuius: Nonnumquam contemptus honor loco eſt maximi honoris. LIBERTATEM, § tamquam quae ſit maxime popularis, oratio pro Cluentio. PRO *qua omnis debet eſſe contentio*. § unde Leges fundamentum

tum libertatis appellantur in oratione pro Cluentio. AVT *deponenda nonnumquam*. § ut Sulla dictaturam. ex quo illum postea C. Caesar, litteras nescisse, cauillatus est, dictator ipse perpetuus. Tarquinius quoque Collatinus, Bruti, primi consulis, collega, ut ciuitatem metu exoneraret, non tantum consulatu se abdicauit, sed etiam, suis omnibus Lauinium translatis, ciuitate cessit. VOLVPTATE *animi*, § citatur ex uetere poeta, Fam. lib. 2. ep. 9.

Ego uoluptatem animi nimiam.

CONSTANTIAM, § perseuerantiam, hoc est in re cum ratione considerata stabilem permansionem. DIGNITATEM. § auctoritatem honestam. IN. HIS § in his fuit Pomponius Atticus. QVOD *& regibus*, § uocabulo magnificentissimo eorum institutum ornat. CVIVS *proprium est, sic uiuere, ut uelis*. § Arist. Pol. v. Ελεύθερον δὲ καὶ ἴσον, τοῦτ', τι ἂν βούληταί τις ποιεῖν, ὥστε ζῆν, ἐν ταῖς τοιαύταις δημοκρατίαις ἕκαστος ὡς βούλεται.

CICERO

QVARE, *cum hoc commune sit potentiae cupidorum cum ijs, quos dixi, otiosis: alteri se adipisci id posse arbitrantur, si opes magnas habeāt; alteri, si contenti sint & suo, & paruo. in quo quidem neutrorum omnino contemnenda est sententia: sed & facilior, & tutior, & minus alijs grauis, aut molesta uita est otiosorum: fructuosior autem hominum generi, & ad claritatem, amplitudinemq. aptior eorum, qui se ad remp. & ad magnas res gerendas accommodauerunt. quapropter & his forsitan concedendum sit remp. non capessentibus, qui, excellenti ingenio, doctrinae sese dediderunt; & ijs, qui, aut ualetudinis imbecillitate, aut aliqua grauiore causa impediti, a rep. recesserunt, cum eius administrandae potestatem alijs, laudemq. concederent. quibus autem talis nulla est causa, si despicere se dicant ea, quae plerique admirentur, imperia, & magistratus, his non modo non laudi, uerum etiam uitio dandum puto. quorum iudicium in eo, quod gloriam contemnant, & pro nihilo putent, difficile factu est non probare: sed uidentur labores, & molestias tum offensionum, tum repulsarum, quasi quandam ignominiam, timere, & infamiam. sunt enim, qui in rebus contrarijs parum sibi constent; uoluptatem seuerissime contemnant, in dolore sint molliores; gloriam negligant, frangantur infamia: atque ea quidem non satis constanter. Sed ijs, qui habent a natura adiumenta rerum gerendarum, abiecta omni cunctatione, adipiscendi magistratus sunt, & gerenda resp. est. nec enim aliter aut regi ciuitas, aut declarari animi magnitudo potest. Capessentibus autem remp. nihil minus, quam philosophis, haud scio an magis etiam, & magnificentia, & despicientia adhibenda est rerum humanarum, & quam saepe dico, tranquillitas animi, atque securitas: si quidem nec anxij futuri sunt, & cum grauitate, constantiaq. uicturi. quae eo faciliora sunt philosophis, quo minus patent multa in eorum uita, quae fortuna feriat; & quo minus multis rebus egent; & quia, si quid aduersi eueniat, tam grauiter cadere non possunt. quocirca non sine causa maiores motus animorum concitantur: maioraq. efficienda remp. gerentibus, quam quietis. quo magis his & magnitudo animi est adhibenda, & uacuitas ab angoribus. Ad rem gerendam autem qui accedit, caueat, ne id modo consideret, quam illa res honesta sit; sed etiam, ut habeat efficiendi facultatem. in quo ipso cōsiderandum est, ne aut temere desperet, propter ignauiam; aut nimis confidat, propter cupiditatem. in omnib. autem negotijs prius, quam aggrediare, adhibēda est praeparatio diligens.*

EXPLANATIO

SI *opes magnas habeant*, § qui enim opes possidet, se ipsarum praesidio omnia posse credit. FRVCTVOSIOR *autem hominum generi* § ergo praestantior. non enim nobis tantum ipsis nati sumus. REMP. *non capessentibus*, § pro, si non capessant. Graeco more dictum. VALETVDINIS *imbecillitate*, § ut maioris Africani filius. AVT *aliqua grauiore causa* § cum, alicuius metu, libere sententiam dicere non licet. QVIBVS *autem talis nulla est causa*, § unde Aristoteles: Δεῖ βουλόμενον καὶ μὴ βουλόμενον ἄρχειν τὸν ἄξιον. Idest: Imperio dignum, uelit, nolit, imperare oportet. Plato quoque de Leg. 1. Bonos ait ad magistratum suscipiendum uel praemijs inuitandos, uel poena cogendos. GLORIAM *contemnant*, § non enim amanda gloria, sed id, unde oritur gloria, honestum, & uirtus. OFFENSIONVM, § idest, cum res ex animi sententia non succedit. uel, quod magistratum bona fide gerenti multorum simultates, & odia suscipienda sint. QVASI *quandam ignominiam*, § cum ignominiae non tam sint, quam solidae gloriae, materies. neque enim Camillus periclitanti patriae tam praesenti auxilio esse poterat, nisi prius inuidia in exsulium fuisset actus. PARVM *sibi constent*; § medij terminos transilientes. nam stulti, dum uitia uitant, in contraria currunt. VOLVPTATEM *seuerissime contemnant, in dolore sint molliores*; § utrumque fortitudinis est, nec dolore, nec uoluptate uinci. GLORIAM *negligant, frangantur infamia*: § facilius enim rebus commodis caremus, quam incommodas sustinemus. QVI *habent a natura adiumenta rerum gerendarum*, § Τοὺς δυναμένους ἀρίστους ἄρχειν, Aristnt. Polit. lib. 2. cap. 9. unde sumpsit hanc sententiam Cicero. *Adiumenta*: prosperam ualetudinem, prudentiam, eloquentiam, dexteritatem, constantiam, & adeo tandem animum excelsum, patientemq. laborum, & molestiarum. quae sunt a natura; mutuantur autem fortasse quiddam ab arte, & institutione: a fortuna autem, nobilitatem, amicos, honestas occasiones, & rectam uoluntatem, qua fit, ut publicum priuato praeferatur. ANIMI *magnitudo* § quae non in otiosa uita, sed in rebus gerendis perspicitur. CAPESSENTIBVS *autem*

Landesbibliothek Oldenburg

remp. nihilo minus, quam phil. &c. § delirare homines doctos uideo in huius loci interpretatione. aiunt enim constructionem paullo duriorem esse: esseq. datiuos pro ablatiuis positos. hac sententia: Cum ij, qui remp. capessunt, nihil minus sint, quam philosophi: tamen ἀπάθεια non minus illis necessaria est, quam philosophis. Falluntur ipsi, quod uideo, legentes, Nihil minus, pro, Nihilo minus: quod legitur in uno meo uetere libro. Haec enim est sententia: Philosophi magnificentiam, & despicientiam rerum humanarum adhibent. capessentes uero remp. nihilo minus, quam philosophi, & fortasse magis etiam, adhibere debent. Quid clarius? SIQVIDEM *nec anxij &c.* § si magnificentiam, & despicientiam rerum humanarum adhibebunt, nec anxij erunt, & cum grauitate, constantiaq. uiuent. FACILIORA *sunt philosophis*, § unde Plato Polit. v. eam demum felicem ciuitatis administrationem fore tradit, si aut philosophi imperent, aut principes philosophentur. Et, in Phaedone, soli philosopho ueram prudentiam, & fortitudinem, uerissima reip. administrandae adminicula tribuit. GRAVITER *cadere* § nam multi

— tolluntur in altum,

Vt lapsu grauiore ruant. QVOCIRCA *non sine caussa &c.* § supra dixit: Quae cura excusat etiam animos, maioresq. ad rem gerendam facit. MAIORAQ. *efficienda remp. gerentibus, quam quietis.* § Sic est in quattuor meis. octo, & unus Tertij, Maioraq. efficiendi. unus, Maioreq. cura efficienda. alius, Maiorq. cura efficiendi. Est, qui reponat, ex uetere libro, Maiora efficiendi, sine copula. EFFICIENDI *facultatem.* § Cicero Fam. lib. 1. Plato, inquit, iubet tantum in rep. contendere, quantum probare tuis ciuibus possis. IN *omnibus autem negotijs, prius, quam aggrediare, adhibenda est praeparatio diligens.* § hoc idem & Sallustius dixit, in prooemio Catilinae; Prius, quam incipias, consulto; &, ubi consulueris, mature facto opus est. & Demosthenes in prooemijs Demigoricis, & in oratione de pace: & Isocrates in oratione πρὸς Δημόνικον: & Aristot. Moral. Eud. v. & Nicom. v 1. & Diog. Laert. in Biante. Aemilius Probus: Neque acutius ullius imperatoris cogitatum, neque celerius factum usquam legimus. Turpilius Boethuntibus, apud Nonium: Quaeso cogita, ac delibera.

CICERO

SED *cum plerique arbitrentur res bellicas maiores esse, quam urbanas; minuenda est haec opinio. multi enim bella saepe quaesiuerunt, propter gloriae cupiditatem: atque in magnis animis, ingenijsq. id plerumque contingit, eoq. magis, si sunt ad rem militarem apti, & cupidi bellorum gerendorum. uere autem si uolumus iudicare, multae res exstiterunt urbanae maiores, clariores, quam bellicae. quamuis enim Themistocles iure laudetur, & sit eius nomen, quam Solonis, illustrius; citeturq. Salamis clarissimae testis uictoriae, quae anteponatur consilio Solonis, ei, quo primum constituit Areopagitas: non minus praeclarum hoc, quam illud, iudicandum est. illud enim semel profuit; hoc semper proderit ciuitati: hoc consilio leges Athenienſium, hoc maiorum institutа seruantur. & Themistocles quidem nihil dixerit, in quo ipse Areopagum adiuuerit: at ille adiuuit Themistoclem. est enim bellum gestum consilio senatus eius, qui a Solone erat constitutus. Licet eadem de Pausania, Lysandroq. dicere. quorum rebus gestis quamquam imperium Lacedaemoniorum dilatatum putatur: tamen ne minima quidem ex parte Lycurgi legibus, & disciplinae conferendi sunt: quin etiam ob has ipsas caussas & paratiores habuerunt exercitus, & fortiores. Mihi quidem neque, pueris nobis, M. Scaurus C. Mario, neque, cum uersaremur in rep. Q. Catulus Cn. Pompeio cedere uidebatur. parua enim sunt foris arma, nisi est consilium domi. nec plus Africanus, singularis & uir, & imperator, in exscindenda Numantia reip. profuit, quam eodem tempore P. Nasica priuatus, cum Ti. Gracchum interemit. quamquam haec quidem res non solum ex domestica est ratione: attingit enim & bellicam, quoniam ui, manuq. confecta est. sed tamen id ipsum gestum est consilio urbano, sine exercitu. Illud autem optimum est, in quo, inuadi solere ab improbis, & inuidis, me audio:*

Cedant arma togae: concedat laurea linguae.

Vt enim alios omittam, nobis remp. gubernantibus, non ne togae arma cesserе? neque enim in rep. periculum fuit grauius umquam, nec maius otium. ita consilijs, diligentiaq. nostra celeriter de manibus audacissimorum ciuium delapsa arma ipsa ceciderunt. quae res igitur gesta est umquam in bello tanta? quis triumphus conferendus? Licet enim, Marce fili, apud te gloriari, ad quem & hereditas huius gloriae, & factorum imitatio pertinet, mihi quidem certe, uir abundans bellicis laudibus, Cn. Pompeius, multis audientibus, hoc tribuit, ut diceret, frustra se tertium triumphum deportaturum fuisse, nisi meo in remp. beneficio, ubi triumpharet, esset habiturus. Sunt ergo domesticae fortitudines non inferiores militaribus: in quibus plus etiam, quam in his, operae, studijq. ponendum est. omnino enim illud honestum, quod in animo excelso, magnificoq. quaerimus, animi efficitur, non corporis uiribus. exercendum tamen est corpus, & ita afficiendum, ut oboedire consilio, rationiq. possit in exsequendis negotijs, & in labore tolerando. honestum autem id, quod exquirimus, totum est positum in animi cura, & cogitatione. in quo non minorem utilitatem afferunt, qui togati reip. praesunt, quam qui bella gerunt. itaque eorum consilio saepe aut non suscepta, aut confecta bella sunt, non numquam etiam illata, ut M. Catonis consilio bellum tertium Punicum: in quo etiam mortui ualuit auctoritas. quare expetenda quidem magis est decernendi ratio, quam decertandi fortitudo: sed cauendum, ne id bellandi magis fuga, quam utilitatis ratione, faciamus. Bellum autem ita suscipiatur, ut nihil aliud, nisi pax quaesita uideatur. Fortis uero animi, & constantis est, non perturbari in rebus asperis, nec tumultuã tem dẽ gradu deiici, ut dicitur; sed praesentis animi uti consilio, nec a ratione discedere. quamquam hoc animi, illud etiam ingenij magni est, praecipere cogitatione futura, & aliquanto ante constituere, quid accidere possit in utramque partem; & quid agendum sit, cum quid euenerit; nec committere aliquid, ut aliquando dicendum sit, Non putaram. haec sunt opera magni animi, & excelsi,

& pru-

Landesbibliothek Oldenburg

& prudentia, consilioq. fidetis. temere autem in acie uersari, & manu cum hoste confligere, immane quiddam, & belluarum simile est. sed, cum tempus est, necessitasq. postulat, decertandum manu est, & mors seruituti, turpitudiniq. anteponenda.

EXPLANATIO

MINVENDA *est haec opinio*. § non tollenda. Tempus autem hoc dijudicat. modo enim bellicae excellunt, modo urbanae. Pro Murena bellicas urbanis praefert. Turnus, & Drances introducuntur a Virgilio lib. XI. Est & contentio, de Achillis armis, Vlyssis, & Aiacis, apud Ouidium. Homerus quoque IL. I. ait Phoenicem a Peleo patre Achilli iuueni comitem esse datum, ut illum efficeret μύθων τε ῥητῆρ' ἔμεναι, πρηκτῆρα τε ἔργων. Vulgo bellicae praeferuntur. de quo rationem reddit Arist. in Probl. sect. 27. probl. 5. ARIOPAGITAS: § senatus Ariopagitarum populo praeerat: cuius auctoritatem Ephialtes, & Pericles in populi gratiam imminuerunt. Arist. Pol. 2. Τὴν μὲν ἐν Ἀρειοπάγῳ βουλὴν Ἐφιάλτης ἐκόλουσε, καὶ Περικλῆς: τὰ δὲ δικαστήρια μισθοφόρα κατέστησε Περικλῆς: καὶ τοῦτον δὴ τὸν τρόπον ἕκαστος τῶν δημαγωγῶν πρόηγαγεν, αὔξων εἰς τὴν νῦν δημοκρατίαν. Restituta postea est a Cimone Periclis temporibus. Plutarchus. SEMEL § Persis Graecia pulsis, ac trucidatis. AT *ille adiuuit Themistoclem*. § hoc relinquo, in magna librorum uarietate: nam nec muto libenter, quod apertam sententiam habet: & quinque antiquos libros congruere cum sententia uideo. Placet tamen uarietatem adscribere. Vnus: At ille potuit uere dicere se ad uictum Themistoclem. Vnus: At ille uero se adiuuit Themistoclem. Vnus: At ille uerum esse se adiutum Themistoclem. Vnus: At ille uere a se ad iudicium Themistoclem. Vnus: At ille uere a se adiutum Themistoclem. Vnus: At ille dicit uere se adiutum Themistoclem. Vnus: At ille uere adiuuit Themistoclem. Vnus: At ille se adiutum Themistoclem. Tertij, & alius: At ille uere se adiutum Themistoclem. Sunt, qui impressae lectionis se auctores falso faciant. cum antea legeretur, At ille uere a se dixerit adiutum Themistoclem. CONSTITVTVS. § Arist. l. 2. Pol. Solonem, ait, cum alia' sustulisset instituta Athenienſium, Ariopagum, ut populare consilium, probasse. quo spectat hoc uerbum, Constitutus, pro confirmatus, non, Institutus, ut alij. PAVSANIA, § Cleombroti filio. LYSANDRO Q. § qui & Athenienses uicit, & de Antiocho trophaea statuit. Plutarchus, & Thucydides. *Pausania, Lysandroque*: utrique praestitit Agesilaus: sed ab illis dilatatum magis imperium est. LYCVRGI *legibus*, § Xenophon in Lacedaemoniorum rep. Plut. in eius uita, & Agide, & in Apophthegm. Iustinus lib. III. Valerius lib. I. cap. 3. Isocrates in Panathenaico, Lucianus de astrologia, Cyrillus contra Iulianum lib. 3. Dicitur Rhadamanti, & Minois in Creta legibus a Thalete musico edoctus. Opinio est, eum ciriter Agrippae tempora floruisse, quo tempore Pharnaces Medus Sardanapalum imperio, & uita priuauit. teste Velleio. Sublatae sunt eius leges, & disciplina, postquam DCCC. annis steterunt, anno ab V. C. DLXV. Vixit ann. XXCV. Lucianus in Macrobijs. De eo Oraculum illud legitur:

Ἥκεις, ὦ Λυκόεργε, ἐμὸν ποτὶ πίονα νηόν,
Ζηνὶ φίλος καὶ πᾶσιν ὀλύμπια δώματ' ἔχουσι·
Δίζω ἢ σε θεὸν μανθεύσομαι ἠὲ καὶ ἄνδρα:
Ἀλλ' ἔσι καὶ μᾶλλον θεὸν ἔλπομαι, ὦ Λυκόεργε.

LACEDAEMONIORVM § ita legitur in sex meis: octo, & Tertij, Lacedaemonijs. OB *has ipsas causas* § Isocrates in Panegyrico, maiorum honestam disciplinam in caussa fuisse ait, cur Athenienses ea uirtute essent, ut fortiter barbaros profligare possent. PARATIORES § non reijcio uerbum usitatum, quod est in decem meis libris. Respicit autem ad ordinem militiae, quo saepe uictoriam Spartani sunt adepti. Alij legunt, Parentiores: cum quibus faciunt tres mei, & Tertij. non reprehendo. nec tamen mutare quidquam uolui. unus, Promptiores. PVERIS *nobis*, § natus Cicero anno ab V. C. DCXLIIX. M. SCAVRVS § huic Cicero ad Lentulum summam grauitatem, & constantiam tribuit. In Bruto, in eius oratione sapientis hominis, & recti grauitatem summam, & naturalem quandam fuisse auctoritatem, non ut caussam, sed ut testimonium dicere putares, cum pro reo diceret. Huius grauitatis exemplum est apud Valerium lib. 3. cap. de fiducia sui. Consul fuit cum Ser. Sulpicio Galba, an. DCXLVI. inq. eo consulatu leges de sumptibus, & libertinorum suffragijs tulit. de uir. ill. Tantumq. auctoritate ualuit, ut Opimium contra Gracchum, Marium contra Glauciam, & Saturninum priuato consilio armaret. Nec tamen bellica gloria caruit: ut qui de Liguribus consul triumphauit. *C. Mario*, § de eo Plutarchus, de uir. ill. cap. 67. Sall. in Iug. Oros. lib. V. cap. 16. Florus lib. 3. cap. 3. epit. Liu. Appianus in Celtico, Velleius lib. 2. Eutrop. lib. IV. cap. ult. lib. V. cap. 1. Otho Phrysingensis lib. 2. cap. 44. Vide & Plut. in Sulla, & Apophthegm. Laconicis, & Parall. cap. 37. Val. lib. 2. cap. 1. & 5. & lib. III. cap. 2. & lib. IIX. cap. 16. Plin. lib. XVII. cap. 1. Quinctil. in declamatione pro milite Mariano. Q. CATVLVS § Plut. in Pompeio, epit. Liu. Florus lib. 3. cap. ult. Velleius lib. 2. App. 1. Bell. ci. Oros. lib. 2. cap. 25. Eutropius lib. V. & VI. Valerius lib. 2. cap. 3. Legitur & apud Sallustium ex I. historiarum, Lepidi Consulis ad Imp. R. oratio, ut arma sumantur contra Sullam dict. atque L. Philippi in senatu, ut Lepido, bellum mouenti, resistant. CN. POMPEIO § rerum gestarum magnitudine praestanti. qui, ut ait Cicero, plura bella gesit, quam alij legerant. Ad quem scribens Cicero, Fam. lib. V. eum Scipioni in re militari confert. De eo multa Cicero in orationibus, pro lege Manilia, & pro Murena. Est & eius epistola apud eundem Sallustium, ad senatum, ex III. historiarum, quo sua praeclare facta commemorat. PARVA *enim sunt foris arma*, § sic est in

duodecim meis. duo,& Tertij, Parui. quod magis probo. parui enim sunt foris arma. AFRICANVS, § minor, Paulli filius. ET *uir, & imperator*, § belli, domique. IN *exscindenda Numantia* § anno ab v. C. DCXXI. Epit. Liu. lib. LIX. Florus lib. 2. cap. 18. de uir. ill. Oros. lib. v. cap. 6. Eutrop. lib. IV. cap. 7. Otho Phrysing. lib. 2. cap 43. Vide & Aug. de ciu. D. lib. 3. cap. 21. Velleium lib. II. Val. Max. lib. II. cap. 2. lib. III. cap. 2. lib. VII. cap. 6. Plutarchum in Mario. P. NASICA § Cn. Scipionis filius, Africani minoris patruelis, uir optimus ob hoc ipsum a senatu iudicatus. Plut. in Gracchis, App. lib. I. Bel. ci. de uir. ill. cap. 64. Oros. lib. v cap. 7. Valerius lib. III. cap. de fortitudine, Velleius lib. 2. Sallust in Iugurtha, in oratione C. Memmij, Aug. lib. III cap. 24. de ciu. D. PRIVATVS, § ideſt, nullum habens publicum munus. Cicero in Rhet. In fortuna quaeritur, priuatus ne, an cum potestate, sit. Plautus Capt. Hic qualis imperator? nunc priuatus est. TI. GRACCHVM § tribunum pl. pernicioſas reip. leges ferētem. IMPROBIS, § M. Antonio. INVIDIS § L. Pisone. CEDANT *arma togae* : § hunc uersum διὰ τὸ ὁμοιόπτωτον deridēt multi. Plutarchus Ciceronem in poetica ualuisse dicit. CONCEDAT *laurea linguae*. § sic recitat Quinctilianus lib. III. cap. I. qui ait, In caminibus utinam pepercissēt, quae non desierunt carpere maligni. duo mei, Laudi. Tertij, supra Laudi, habet, Linguae. *Togae*: pacis studio. *Laurea*: triūphus. Plin. lib. xv. cap. 30. Quinctilianus: Supplicationes, qui maximus honor uictoribus bello ducibus dabatur, in toga meruit. Idem Plinius: Quo te, M. Tulli, piaculo taceam? quoue maxime excellentem insigni praedicem? quo potius, quam uniuersi populi, & illius gentis amplissimo testimonio, & in tota uita tua, & ad consulatum tantis operibus electis? te dicente, legem agrariam, hoc est alimenta sua, abdicauerunt tribus: te suadente, Roscio theatralis seditionis auctori leges ignouerunt, notasq. sedes ignominiae discrimine aequo animo tulerunt: te orante, proscriptorum liberos honores petere puduit. tuum Catilina fugit ingenium: tu M. Antonium proscripsisti. Salue, primus omnium Parens patriae appellate, primus in toga triumphum, linguaeq. lauream merite, & facundiae litterarum Latinarum parens: atque, ut dicta tor Caesar, hostis quondam tuus, de te scripsit, omnium triumphorum Lauream adepte maiorem, quanto plus est ingenij Romani terminos in tantum promouisse, quam imperij. NEC *maius otium*. § coniuratione oppressa. antea, Odium. Primus Pater reposuit, Otium. quod confirmari uideo a libro Tertij, & alio meo. HEREDITAS *huius gloriae*, § Fam. lib. II. ad M. Coelium: Filio meo, quem tibi carum esse gaudeo, si erit ulla resp. satis amplum patrimonium relinquam, memoriam nominis mei. &c. O hominem gloriae nimis cupidum. TERTIVM *triumphum* § Mithridate, & Tigrane uictis. Plutarchus. EXERCENDVM *corpus*, § ratione uictus, & gymnastica. OBOEDIRE *consilio*, § Sallust. Animi imperio, corporis seruitio magis utimur. IN *exsequendis negotijs*, § Isocrates: Γύμναζε σε αυτὸς πόνοις ἐκουσίοις ὅπως ἂν δικαίως καὶ τοὺς ἀκουσίους ὑπομένειν. MORTVI *ualuit auctoritas*. § cum actum est, Catone iam mortuo, de Carthagine euertenda. QVARE *expetenda quidem magis est decernendi ratio, quam decertandi fortitudo*: § lepide opponuntur, Decernendi ratio, Decertandi fortitudo. & sententia comprobatur antiquorum omnium librorum, qui apud me sunt, auctoritate. quo magis miror in emendato loco mutationem quaeri. VT *nihil aliud, nisi pax quaesita uideatur*: § in oratione ad C. Caesarem, de rep. ordinanda: Sapientes pacis causſa bellum gerunt; laborem spe otij sustentant. nisi illam firmam efficis, uinci, an uicisse, quid retulit? Plato de Legib. I. Οὐτ' ἂν νομοθέτης ἀκριβὴς, εἰ μὲ χάριν εἰρήνης τὰ πολέμου νομοθετοῖ μᾶλλον, ἢ τῶν πολεμικῶν ἕνεκα τὰ τῆς εἰρήνης. Pittacus monebat, incruentas uictorias quaerendas esse. FORTIS *uero animi*, § sic omnes ueteres libri. Aristoteles: Μεγαλοψυχίας ἐστὶ φέρειν εὐτυχίαν, καὶ ἀτυχίαν: Magnanimi est, ferre bonam, malamq. fortunam. TVMVLTVANTEM *de gradu deiici*, § animo consternari, ac ueluti a statu mentis dimoueri. Vide Adagia. Metaphora, ab athletis, & militibus: qua utitur & in Partitionibus: In omnibus causſis tres sunt gradus, ex quibus unus aliquis capiendus est, si plures non queas, ad resistendum. nam aut ita consistendum est, ut, quod obijcitur, factum neges. &c. *Tumultuantem*: tumultu perterritum, perturbatum, θορυβούμενον. PRAESENTIS *animi uti consilio*, § sic septem libri mei: a quibus non discrepat sententia. hoc enim dicitur, Animus, qui adest, quemq. metus, & perturbatio non abstulit, cogitat, & considerat ea, quibus optatum rei exitum consequatur. Absentis autem animi quae cogitatio, quod consilium esse potest? Ad Att. Vbi, inquies, animus ille tuus? adest, & idem est. Quattuor mei libri, & unus Tertij: Praesenti animo uti, & consilio. Vnus: Praesentis animi est uti & consilio. Vnus: Praestantis animi uti consilio. Vnus: Praestanti animo uti consilio. Sunt, qui reponant, Niti, pro Vti, contra ueteres omnes libros. NON *putaram*. § sic Demosthenes oratione tertia in Philippum: Καὶ μὴν ἐκεῖνόγε αἰσχρὸν ὕστερον πότ' εἰπεῖν συμβάντος τινός. τὶς γὰρ ἂν ᾠήθη ταῦτα γενέσθαι. Ideſt: Enimuero turpe illud est, ubi quid iam euenit, tum dicere, quis nam haec euentura putasset? Valerius Max. lib. VII. cap. 2. 2. Scipio Africanus turpe esse aiebat, in re militari dicere, Non putaram. Seneca lib. 2. de Ira, cap. 31. Turpissimam aiebat Fabius imperatori excusationem esse, Non putaui. Plutarchus tribuit Iphicrati. Isocrates autem dixit: Προνοεῖν χρὴ, καὶ οὐ μετανοεῖν τὸν ἄνδρα τὸν σοφόν. Ideſt: Viri sapientis est, ante, non post, factum sapere. BELLVARVM *simile est*. § uiribus, non ratione, utentium. MORS *seruituti, turpitudiniq. anteponenda*. § Cicero Fam. lib. x. ad Plancum. Plato quoque lib. VI. de Legibus: τελευτῶν δὲ καὶ πόλεως ἐὰν ἀνάσατον ἀνάγκη φαίνεται γίγνεσθαι, πρὶν ἐθέλειν δουλεύειν ὑπομείναντα ζυγὸν ἄρχεσθαι χειρόνων, ἢ λείπειν φυγῇ τὴν πόλιν.

CICE-

CICERO

De euertendis autem, diripiendisq. urbibus ualde illud considerandum est, ne quid temere, ne quid crudeliter fiat. idq. est uiri magnanimi, rebus agitatis punire sontes, multitudinem conseruare, in omni fortuna recta atque honesta retinere. ut enim sunt, quemadmodum supra dixi, qui urbanis rebus bellicas anteponunt: sic reperias multos, quibus periculosa, & calida consilia quietis cogitationibus splendidiora, & maiora uideantur. numquam omnino periculi fuga committendum est, ut imbelles, timidiq. uideamur: sed fugiendum etiam illud, ne offeramus nos periculis sine caussa. quo nihil potest esse stultius. quapropter in adeundis periculis consuetudo imitanda medicorum est, qui leuiter aegrotantes leuiter curant; grauioribus autem morbis periculosas curationes, & ancipites adhibere coguntur. quare, in tranquillo tempestatem aduersam optare, dementis est; subuenire autem tempestati quauis ratione, sapientis; eoq. magis, si plus adipiscare re explicata boni, quam addubitata mali. Periculosae autem rerum actiones partim ijs sunt, qui eas suscipiunt; partim reip. Itemq. alij de uita, alij de gloria, & beneuolentia ciuium in discrimen uocantur. promptiores igitur debemus esse ad nostra pericula, quam ad communia, dimicareq. paratius de honore, & gloria, quam de ceteris commodis. inuenti autem multi sunt, qui non modo pecuniam, sed uitam etiam profundere pro patria parati essent; ijdem gloriae iacturam ne minimam quidem facere uellent, ne rep. quidem postulante: ut Callicratidas, qui, cum Lacedaemoniorum dux esset Peloponnesiaco bello, multaq. fecisset egregie, uertit ad extremum omnia, cum consilio non paruit eorum, qui classem ab Arginusis remouendam, nec cum Atheniensibus dimicandum putabant. quibus ille respondit; Lacedaemonios, classe illa amissa, aliam parare posse; se fugere sine suo dedecore non posse. atque haec quidem Lacedaemonijs plaga mediocris fuit, illa pestifera, qua, cum Cleombrotus, inuidiã timens, temere cum Epaminonda conflixisset, Lacedaemoniorum opes corruerunt. Quanto Q. Maximus melius: de quo Ennius:

Vnus homo nobis cunctando restituit rem:
Non ponebat enim rumores ante salutem.
Ergo postq. magisq. uiri nunc gloria claret.

Quod genus peccandi uitandum est etiam in rebus urbanis. sunt enim, qui, quod sentiunt, etiam si optimum sit, tamen, inuidiae metu, non audent dicere.

EXPLANATIO

De *euertendis, &c.* ¶ Galli illud dictum in Romanos uictos superbum est, Victis nil, nisi dolor. Ceterum nil magis uictorem decet, quam clementia. Vnde Anchisae umbra apud Virg. in VI. Aeneam filium disciplinam futurae reip. docet:

Tu regere imperio populos, Romane, memento:
Hae tibi erunt artes, paciq. imponere morem,
Parcere subiectis, & debellare superbos.

Rebvs *agitatis* ¶ accurate examinatis. Calida *consilia* ¶ temeraria. Terent. Eun. Plautus, Calidum mendacium. Corn. Nepos in Attici uita, Calidam liberalitatem. Velleius lib. II. hoc C. Octauio laudi adscribit: Spreuit caelestis animus humana consilia: & cum periculo potius summa, quam tuto humilia proposuit sequi. Sine *caussa*. ¶ quo distinguitur a fortitudine temeritas. Qvo *nihil potest esse stultius*. ¶ nam omni animantium generi id est a natura tributum, ut se, uitam, corpusq. tueatur. quod igitur cauere potes, stultum est admittere. Pericvlosas *curationes*, ¶ Ouidius:

Cuncta quidem tentanda: sed immedicabile uulnus
Ense recidendum, ne pars sincera trahatur.

Quod fortasse ex Sophoclis Aiace sumptum:

Ου πρὸς ἰατροῦ σοφοῦ θροεῖν ἐπῳδὰς πρὸς τομωντι πήματι.

Plutarchus de tranquillitate citat Sophoclis uersiculum, huc congruentem:

Πικρὰν χολὴν κλύσουσι φαρμάκῳ πικρῷ.

Vide Adagia, Τὸ κακὸν κακῷ θεραπεύειν.

Scipionis apud Plutarchum est apophthegma, Imperatorem, quemadmodum & medicum, oportere ultima uti per ferrum curatione. Ancipites ¶ quae uel salutem, uel interitum afferant. Qvavis *ratione*, ¶ etiam cum periculo, & iactura. Re *explicata* ¶ confecta, ad felicem exitum perducta. Addvbitata ¶ in discrimen adducta, quae ex animi sententia non cuenit. Euripides:

Δεινῆς ἀνάγκης οὐδὲν ἰσχύει πλέον.

Et: Τολμᾶν ἀνάγκη κἂν τύχω, κἂν μὴ τύχω

Vt *Callicratidas*, ¶ Thucydides bellum Peloponnesiacum descripsit: ab eoq. praetermissa, persecutus est Xenophon, qui primo Ἑλληνικῶν paullo aliter hoc exponit, quam Cicero: Ἡ Σπάρτη οὐδὲν μὴ κάκιον οἰκιεῖται αὐτοῦ ἀποθάνοντος φεύγειν δ' αἰσχρὸν εἶναι ἔφη. De hoc meminit & Plutarchus in Apophthegmatis Laconicis. Gestum est anno ab V. C. CCCXLIV. Libenter autem & a Graecis, & a nobilissimis Graeciae populis exempla sumit. Vertit *ad extremum omnia*, ¶ & publicam felicitatem perdidit, & suam gloriam amisit. Ab *Arginusis* ¶ sitae sunt in continenti ante Lesbrum, in Maleae conspectu, contra Mitylenen. Xenophon, & Thucydides. Atqve *haec quidem* ¶ Xenophon lib. VI. Ἑλληνικῶν. Cleombrotvs, ¶ in praeclara illa Leuctrica uictoria, Plut. in Pelopida. Valer. lib. 3. cap. de fortitudine. Gesta ab V. C. anno CCCLXXI. Invidiam *timens*, ¶ maleuolorum obtrectationes, qui eum dicebant

bant cum hostibus Thebanis colludere. Q. MAXIMVS § Plutarchus in uita, & de uir. ill. Vide & Liuium lib. XXII. Polyb. & Florum lib. 2. cap. 6. ENNIVS: § lib. XII. Annalium. ex Macrobio lib. VI. cap. I. VNVS *homo nobis, &c.* § hunc uersum Virg. in librum VI. transtulit, ut alios alibi ex ueteribus poetis. VNVS *homo nobis* § sic duodecim mei, & Tertij liber. Vt mirer, quosdam dicere, in omnibus antiquis libris legi, Vnus qui nobis. quod est tantum in duobus meis. CVNCTANDO § Vide Adagia, Romanus sedendo uincit. NON *ponebat enim* § mirum est, ueteres hic libros consentire omnes in transferenda uoce, Enim, in secundum locum, hoc modo:

Non enim ponebat.

Vt uideatur in dimensione uersus abijcienda littera M, aut Enim pro una tantum syllaba accipiendum. ERGO *postq. magisq.* § sic recte, & propter consentiens ueterum librorum testimonium, & quia lepida fit sententia: Ergo claret eius uiri gloria non modo post obitum, sed magis etiam, quam cum uiueret. Magisq. magisque, legebatur antea. quod multi confirmant illo Catulli:

Omnibusq. inq. locis celebretur fama sepulti:
Clarescatq. magis mortuus, atque magis.


CICERO

OMNINO, *qui reip. praefuturi sunt, duo Platonis praecepta teneant; unum, ut utilitatem ciuium sic tueantur, ut, quidquid agunt, ad eam referant, obliti commodorum suorum: alterum, ut totum corpus reip. curent; ne, dum partem aliquam tuentur, reliquas deserant. ut enim tutela, sic procuratio reip. ad utilitatem eorum, qui commissi sunt, non ad eorum, quibus commissa, gerenda est. qui autem parti ciuium consulunt, partem negligunt, rem perniciosissimam in ciuitatem inducunt, seditionem, atque discordiam. ex quo euenit, ut alij populares, alij studiosi optimi cuiusque uideãtur, pauci uniuersorum. hinc apud Athenienses magnae discordiae ortae, in nostra rep. non solum seditiones, sed pestifera etiam bella ciuilia. quae grauis, & fortis ciuis, in rep. dignus principatu, fugiet, atque oderit, tradetq. se totum reip. neque opes, aut potentiam consectabitur, totamq. eam sic tuebitur, ut omnibus consulat. Nec uero crimínibus falsis in odium, aut inuidiam quemquam uocabit: omninoq ita iustitiae, honestatiq. adhaerescet, ut, dum eam conseruet, quamuis grauiter offendat, mortem appetat potius, quam deserat illa, quae dixi. Miserrima est omnino ambitio, honorumq. contentio: de qua praeclare apud eundem est Platonem: similiter facere eos, qui inter se contenderent, uter potius remp. administret, ut, si nautae certarent, quis eorum potissimum gubernaret. idemq. praecepit, ut eos aduersarios existimemus, qui arma contra ferant, non eos, qui suo iudicio tueri remp. uelint: qualis fuit inter P. Africanum, & Q. Metellum sine acerbitate dissensio.*

EXPLANATIO

VNVM, *ut &c.* § Politic. I. Οὐκοῦν ἦν δ' ἐγώ, ὦ Θρασύμαχε, οὐδ' ἄλλος οὐδεὶς ἐν οὐδεμιᾷ ἀρχῇ καθόσον ἄρχων ἐστίν, τῷ αὐτῷ ξυμφέρων σκοπεῖ, οὐδ' ἐπιτάπει, ἀλλὰ τὸ τῷ ἀρχομένῳ, ὦ μὲν αὐτὸς δημιουργῇ, καὶ πρὸς ἐκεῖνο βλέπων, καὶ τὸ ἐκείνῳ ξυμφέρον καὶ πρέπον, καὶ λέγει ἃ λέγει, καὶ ποιεῖ ἃ ποιεῖ ἅπαντα. Cuius rationem reddit de Leg. IX. Γνῶναι μὲν γὰρ πρῶτον χαλεπὸν, ὅτι πολιτικῆ καὶ ἀληθεῖ τέχνῃ, οὐ τὸ δοκοῦν, ἀλλὰ τὸ κοινὸν ἀναγκαῖον μέλειν. τὸ μὲν γὰρ κοινὸν ξυμδεῖ, τὸ δὲ ἴδιον διασπᾷ τὰς πόλεις, &c. OBLITI *commodorum suorum,* § quod difficile admodum est, propter φιλαυτίαν. ALTERVM, *ut &c.* § Politic. IV. Νῦν μὲν οὖν ὡς οἰόμεθα, τὴν ἐνδαίμονα πλαστομεν, οὐκ ἀπολαβόντες ὀλίγους ἐν αὐτῇ τοιούτους τινὰς θέντες, ἀλλ' ὅλην. Et de Leg. IV. Ταύτας δ' ὅπου φαμὲν ἡμεῖς νῦν, οὔτ' εἶναι πολιτείας, οὔτ' ὀρθοὺς νόμους, ὅσοι μὴ ξυμπάσης τῆς πόλεως ἕνεκα τοῦ κοινοῦ ἐτέθησαν. οἱ δ' ἕνεκά τινων σασιωτείας, ἀλλ' οὐ πολιτείας τούτους φαμὲν, καὶ τὰ τοιούτων δίκαια, ἃ φασιν εἶναι, μάτην εἰρῆσθαι. Et in Politico: Ον ὁ σοφὸς, καὶ ἀγαθὸς ἀνὴρ τὸ τῶν ἀρχομένων, ὅπερ ὁ κυβερνήτης τὸ τῆς νεώς, καὶ ναυτῶν ἀεὶ ξυμφέρον παραφυλάττων διοικήσει. Et de Leg. VI. docet, quantum magistratibus liceat priuata curare. PROCVRATIO *reip.* § de Orat. In procuratione ciuitatis egregius. In Acad. Reip. procuratio. STVDIOSI *optimi cuiusque* § qui dicuntur optimates: de quibus multa in oratione pro Sextio. Placet autem hoc loco adscribere diuisionem quandam, quae fortasis non ingrata erit.

Imperat


Imperat in Rep. uel
Vnus. & dicitur Μοναρχία. quod est uel
Bonum. & ordine certo creatur, & dicitur —— Βασιλεία.
Malum, & incerto ordine creatur, — τυραννὶς. — Huius finis est Custodia.
Non unus
Multi; qui uel
Boni — Δημοκρατία. In hoc statu populari imperia sorte conferuntur. — Huius finis est Libertas.
Mali. — Οχλοκρατία. — Quando impetu plebeio reguntur, non legitima democratia.
Pauci; qui uel
Boni. — Αριστοκρατία. — In hoc statu honores distribuuntur iure, & disciplina. Et finis est Disciplina, & Leges.
Mali. — Ολιγαρχία. — In hoc statu, imperia, & honores censu, & habitu pecuniarum leguntur. Et finis sunt Diuitiae.

APVD *Athenienses* § Cyloniorum, Plut. in Solone. Diacriorum popularium contra Pedicos, oligarchiae studiosos. & alia τῶν ἐλλημορίων, aduersus diuites, quibus obaerati erant. & contra Pisistratum. quas omnes Solon composuit. IN *nostra rep.* § ut secessiones in montem Sacrum, & Gracchorum: & sexcentae aliae. BELLA *ciuilia*. § Sullae, Catilinae, Caesaris, Triumuirorum. TRADET *se totum reip.* § patriam unam spectabit: ad eam omnia referet: unicus ei scopus erit, salus, & felicitas patriae. quod e rep. erit, sequetur; quod non erit, uitabit. QVAMVIS *grauiter offendat*, § in rebus suis. ideſt, damnum patiatur, & iacturam faciat rei familiaris, & dignitatis. Sic omnes libri ueteres mei, & Tertij. Pro Cluentio: In eodem genere, in quo ipsi offendissent, alios reprehendissent. In epist. Quis est tam lynceus, qui in tantis tenebris nihil offendat, nusquam incurrat? De Orat. Si in his paullulum modo offensum est. AMBITIO, *honorumq. contentio*: § uide libellum Q. Ciceronis de petitione consulatus. Ad Plancum lib. x. Is denique honos mihi uideri solet, qui non propter spem futuri beneficij, sed propter magna merita claris uiris defertur, & datur. quare, sit modo aliqua resp. in qua honos elucere possit, omnibus, mihi crede, amplissimis honoribus abundabis. is autem, qui uere appellari potest honos, non inuitamentum ad tempus, sed perpetuae uirtutis est praemium. Aristoteles quoque Polit. III. cap. 7. Magistratus Honores appellat: Τιμὰς γὰρ λέγομεν τὰς ἀρχας. Idem Aristoteles Eth. IV. cap. 4. docet, quatenus conueniat bono uiro honores petere. APVD *eundem Platonem*: § Polit. VI. Νόησον γὰρ τοιουτονὶ γενόμενον, εἴτε πολλῶν νεῶν περι, εἴτε μιᾶς ναύκληρον, μεγέθει μὲν καὶ ῥώμῃ ὑπὲρ τοὺς ἐν τῇ νηὶ ἅπαντας, ὑποκωφον δὲ καὶ ὁρῶντα ὠσαύτως βραχύτι, καὶ γιγνώσκοντα περὶ ναυτικῶν ἕτερα τοιαῦτα. τοὺς δὲ ναύτας ξασιάζοντας πρὸς ἀλλήλους περὶ τῆς κυβερνήσεως, ἕκαστον ὃ ὁμοιον δεῖν κυβερνᾶν, μήτε μαθόντα πόποτε τὴν τέχνην, μήτε ἔχοντα ἀποδεῖξαι διδάσκαλον ἑαυτοῦ μηδὲ χρόνον ἐν ᾧ ἐμάνθανε. πρὸς δὲ τούτοις φάσκοντας μηδὲ διδακτὸν εἶναι, ἀλλὰ καὶ τὸν λέγοντα ὡς διδακτὸν, ἑτοίμους κατατέμνειν αὐτοὺς δὲ αὐτῷ ἀεὶ τῷ ναυκλήρῳ περικεχύσθαι δεομένους, καὶ πάντα ποιοῦντας ὅπως ἂν σφίσι τὸ πηδάλιον ἐπιτρέψει. Graecus etiam Poeta Vitam ait periculosam esse nauigationem: in qua tempestatibus iactati, saepe miserabilius, quam naufragi, affligimur. cum autem uitae gubernatricem Fortunam habeamus, ambiguí uelut in pelago erramus, alij secundo cursu, alij aduerso: donec tandem omnes ad unum illum portum subterraneum nauem appellimus. Eius hi sunt uersus:

Πλοῦς σφαλερὸς τε ζῶν. χειμαζόμενοι γὰρ ἐν αὐτῷ.
Πολλάκι ναυαγῶν πταιομεν οἰκτρότερα.
Τὴν δὲ τύχην τοιοτοιο κυβερνήτειραν ἔχοντες,
Ὡς ἐπὶ τοῦ πελάγευς ἀμοίβολοι πλέομεν.
Οἱ μὲν ἐπ' εὐπλοίην, οἱδ' ἔμπαλιν. ἀλλ' ἅμα πάντες
Εἰς ἕνα τὸν κατὰ γῆς ὅρμον ἀπερχόμεθα.

ARMA *contra ferant*; § Plato de Legibus IX. docet, qui reip. hostes sint censendi. P. AFRICANVM, & Q. *Metellum* § eodem anno, Africanus ex Africa, Metellus ex Macedonia triumpharunt. Velleius Metelli cum inimicis contentiones, acres quidem, innocentes tamen appellat. Valerius lib. IV. cap. de moderat. animi, Africani, & Metelli contentionem ab aemulatione uirtutum profectam, ad graues, testatasq. inimicitias progressam fuisse scribit: ita tamen, ut eam praecipua ueneratione deleuerit moderatio. Plinius lib. VII. cap. 44. horum inimicitias inter calamitates Q. Metelli ducit. Sunt etiam, qui Metellum in suspicionem rapiant, ut qui necis Africani conscius, auctor ue fuerit.

CICERO

NEC *uero audiendi, qui grauiter irascendum inimicis putant, idq. magnanimi, & fortis uiri esse censent. nihil enim laudabilius, nihil magno, & praeclaro uiro dignius placabilitate, atque clementia. In liberis uero populis, & iuris aequabilitate, exercenda etiam est facilitas, & altitudo animi quae dicitur: ne, si irascamur aut intempestiue accedentibus, aut impudenter rogantibus, in morositatem inutilem, & odiosam incidamus. Et tamen ita probanda est mansuetudo, atque clementia, ut adhibeatur, reip. causa, seueritas, sine quo administrari ciuitas non potest. Omnis autem & animaduersio, & castigatio contumacia uacare debet, neque ad eius, qui punit aliquem, aut uerbis castigat, sed ad reip. utilitatem referri. Cauendum est etiam, ne maior poena, quam culpa, sit; & ne iisdem de caussis alij plectantur, alij ne appellentur quidem. Prohibenda autem maxime est ira in puniendo. numquam enim, iratus qui accedet ad poenam, mediocritate illam tenebit, quae est inter nimium, & parum: quae placet Peripateticis; & recte placet, modo ne laudarent iracundiam, & dicerent utiliter a natura datam, illa uero omnibus in rebus repudianda est: optandumque, ut ij, qui praesunt reip. legum similes sint: quae ad puniendum non iracundia, sed aequitate, ducuntur. Atque etiam in rebus prosperis, & ad uoluntatem nostram fluentibus, superbiam magnopere, fastidium, arrogantiamq. fugiamus. nam, ut aduersas res, sic secundas immoderate ferre, leuitatis est: praeclaraq. est aequabilitas in omni uita, & idem semper uultus, eademq. frons: ut de Socrate, item de Catio quoque Laelio accepimus. Philippum quidem, Macedonum regem, rebus gestis, & gloria superatum a filio, facilitate uero, & humanitate uideo superiorem fuisse. itaque alter semper magnus, alter saepe turpissimus fuit. ut recte praecipere uideantur, qui monent, ut, quanto superiores simus, tanto nos summissius geramus. Panaetius quidem auditorem Africanum, & familiarem suum solitum ait dicere: ut equos, propter crebras contentiones proeliorum, ferocitate exsultantes, domitoribus tradere soleant, ut his facilioribus possint uti, sic homines, secundis rebus effrenatos, sibiq. praesidentes, tamquam in gyrum rationis, & doctrinae duci oportere, ut perspicerent rerum humanarum imbecillitatem, uarietatemq.*

Landesbibliothek Oldenburg

rietatemq. fortunae. Atque etiam in secundissimis rebus maxime est utendum consilio amicorum: hisq. etiam maior, quam ante, tribuenda est auctoritas. ijsdemq. temporibus cauendum est, ne assentatoribus patefaciamus aures, nec adulari nos sinamus: in quo falli facile est. tales enim nos esse putamus, ut iure laudemur: ex quo nascuntur innumerabilia peccata; cum homines, inflati opinionibus, turpiter irridentur, & in maximis uersantur erroribus. Sed haec quidem hactenus.

EXPLANATIO

NEC *uero audiendi &c.* § Seneca Iram muliebre uitium esse ait. Verum, quis uitiorum expers? Plinius: Qui uitia odit, homines odit: Horatius:

--uitijs nemo sine nascitur: optimus ille,
Qui minimis urgetur.

Valens imperator solitus erat dicere, eum, qui ab ira facile recederet, facile etiam a iustitia recedere. INIMICIS § ideſt, ijs, qui uoluntate a nobis abhorrent; non hostibus. MAGNANIMI, *& fortis uiri* § Mimus Publianus:

Iratus etiam facinus consilium putat.

PLACABILITATE, § quae ad eos pertinet, qui concitati facile placantur. CLEMENTIA. § Seneca ait Clementiam esse temperantiam animi in potestate ulciscendi, uel lenitatem superioris aduersus inferiorem in constituendis poenis. Eiq. non Seueritatem opponit, quae Iustitiae proxima est, ut Mimus, sed Crudelitatem, quae puniendi causſam habet, modum non habet. IVRIS *aequabilitate* § ἰσονομίᾳ. ALTITVDO *animi* § sic tredecim mei libri, & unus Tertij. Non displicet tamen, quod legitur in uno meo, Lenitudo animi. INTEMPESTIVE *accedentibus* § hinc Terentius: In tempore ad eam ueni: quod rerum omnium est primum. IMPVDENTER *rogantibus* § ea, quae honeste, sineq. summa nostra fraude praestare non possumus. MOROSITATEM *inutilem*, § ei, in quo est. ODIOSAM § alijs. REIP. *causſa*, § ut tranquillitas, & honesta disciplina conseruetur. SINE *qua administrari ciuitas non potest*. § nam licentia omnes deteriores fiunt. improbi uero magnitudine poenae, & supplicij grauitate a sceleribus deterrentur. Lactantius in lib. de ira Dei docet, nullum imperium sine seueritate posse constare. PVNIT *aliquem*, § Punitur, reposui, ex Nonio Marcello. quo modo est & in quattuor meis libris. Sic locutus Tusc. I. Multi inimicos, etiam mortuos, puniuntur. Et Phil. IIX. Clarissimorum hominum crudelissimam puniretur necem. Et de Leg. Vetari, Quaeri, dixit, pro, Vetare, Quaerere. VERBIS *castigat*, § male in Nonio, Fatigat, pro Castigat. IISDEM *de causſis alij plectantur, alij ne appellentur quidem*. § hinc Terentius: Duo cum idem faciunt, saepe fit, ut possis dicere, hoc licet impune facere huic, illi non licet: non quod dissimilis res sit, sed quod is, qui facit. Et Iuuenalis:

Dat ueniam coruis, uexat censura columbas.

Et Anacharsis Solonis leges aranearum telis similes esse putabat. ut est apud Plutarchum in Solone. *Plectantur:* grauiter puniantur. *Appellentur:* ne uerbis quidem castigentur: quod modo dixit. Alij interpretantur, Appellare, iudicium, actionem dictare, formulam intendere, λαγχάνειν δίκην. Hoc autem in Sulla Plutarchus notat. IRATVS *qui accedet ad poenam*, § Cic. Tusc. IV. ait Platonem seruo, a quo offensus fuerat, dixisse: Quo te modo accepissem, nisi iratus essem? Graeca sunt: Ε' δάρης ἄν, εἰ μὴ λίαν ὠργιζόμην. INTER *nimium, & parum*: § uide Platonem de Rep. III. & Agellium lib. I. cap. ult. VTILITER § si tantum ob egregias res irascerem. excitat autem animos ad seueritatem, & terrorem improbis incutit, qui lenitatem contemnunt. prodest igitur saepe iracundia, uel saltem simulatio iracundiae. LEGVM *similes* § Cic. de Leg. III. Vt magistratibus leges, ita populo praesunt magistratus: uereq. dici potest, magistratum legem esse loquentem, legem autem mutum magistratum. Plato ait magistratum debere legis esse seruum, & famulum. Xenophon lib. IIX. de paedia Cyri Principem Legem uidentem appellat. Pindarus quoque, apud Plutarchum, Legem Reginam dicit. IN *rebus prosperis*, § difficilius enim res secundae feruntur, quam aduersae. Xenophon lib. IIX. de paedia Cyri. Δοκεῖ δέ μοι, ὦ Κῦρε, χαλεπώτερον εἶναι, εὑρεῖν ἄνδρα τὰ γαθὰ καλῶς φέροντα, ἢ τὰ κακά. τὰ μὲν γὰρ ὕβριν τοῖς πολλοῖς, τὰ δὲ σοφροσύνην τοῖς πᾶσιν ἐμποιεῖ. Hinc Horatius:

Sperat aduersis, metuit secundis
Alteram sortem bene praeparatum
Pectus.

Et illud:

Luxuriant animi rebus plerumque secundis,
Nec facile est aequa commoda mente pati.

AD *uoluntatem nostram fluentibus*, § alibi, Omnibus copijs circumfluere. SVPERBIAM § hinc ille dimeter:

Ἀρχὴ τὸν ἄνδρα δείκνυσιν.

Valerius lib. VI. cap. 9. multorum exempla enumerat, quos felicior fortuna meliores reddidit. FASTIDIVM, § cum omnia, quae uidentur esse infra nostram fortunam, fastidio quodam reijcimus. ARROGANTIAM § quae plus sibi honoris tribui postulat, quam meretur: quae se primam omnium esse uult, nec est. VT *de Socrate*, § qui eodem semper uultu fuisse dicitur. Cic. Tusc. III. Seneca Epist.

lib. XIIX. Plin. lib. VII. cap. 19. Solinus cap. 4. Agellius lib. 2. cap. 1. Inconuenientem appellat, i. ἀσκαρδάμυκλον, ore, atque oculis eundem in locum directis cogitabundum, tamquam quodam mentis, atque animi secessu facto a corpore. Aristophanes apud Laertium Socrati hoc uitio uertit; Καφ' ἡμῖν σεμνοπροσωπεῖ. D. Hieronymus autem contra Pelagianos dialogo 3. & in Esaiam cap. 42. hoc de ipso confingi censet. *A filio*, § Alexandro: cuius rebus gestis Theophrastus angebatur, Callisthenis interitum deplorans. Cic. Tusc. III. Seneca lib. III. de ira, Plutarchus, Q. Curtius, Arrianus, & Diodorus Siculus lib. XVI. Vide omnino Luciani dialogum, inter Alexandrum, & Philippum. QVANTO *superiores simus, tanto nos summissius geramus*. § Chilon, unus ex septem sapientibus, apud Laertium: Ισχυρὸν ὄντα πρᾶον εἶναι, ὅπως οἱ πλήσιον αἰδῶνται μᾶλλον ἢ φοβῶνται: Potens si fueris, mansuetus esto, ut alij te reuereantur magis, quam formident. PANAETIVS § uide Velleium. TAMQVAM *in gyrum rationis, & doctrinae* § quemadmodum enim equi in gyrum aguntur, nec suo impetu ferri sinuntur; sic non est committendum, ut homines fortunati ultra eos limites, uel dicendo, uel agendo, euagentur, quos ratio, & doctrina praescribunt. Virgilius Georg. III. de equo:

Carpere mox gyrum incipiat, gradibusq, sonare
Compositis.

PERSPICERENT § & cogitando, & discendo, nominauit enim rationem, & doctrinam. ADVLARI § adulatione circumueniri, passiue dictum. TALES *enim nos esse putamus, ut iure laudemur*: § Terentius: Hic homines ex stultis insanos facit. INFLATI *opinionibus*, § sic Isocrates: Οὐκ ἤμειξας μετὰ τῆς τύχης τὴν φύσιν: ἔτι τὸν θύλακον ἔχεις δερμάτινον: φυητὴν ἔχεις ἐκ προοιμίου τὴν σύσασιν, τί δῆτα τὸ κενὸν τοῦτο δοξάριον ἐπὶ τοσοῦτον τὸν πήλινον ἀσκὸν διεφύσησε: μεγάλης ἀνοίας ἐνεφορήθης, ὦ δύσηνε, καὶ τῆς φύσεως τὴν γνῶσιν ἀφήρησαι. Idest: Non una cum fortuna mutasti & naturam. adhuc pelliceo sacco es amictus, nam tui ortus primordium mortale fuit. cur igitur inanis ista gloriola luteum utrem sic inflauit? ingenti amentia repletus es, o infelix, & naturae fragilis agnitione spoliatus. Epicharmus: Λυτὰ φύσις ἀνθρώπων: ἀσκοὶ πεφυσημένοι: Haec natura est hominum: utres sunt inflati. Anaxarchus corpus suum ἀσκὸν, idest utrem appellauit: Πτίσσε, ait tyranno, τὸν Ἀναξάρχου ἀσκὸν, Ἀνάξαρχον γὰρ οὐκ ἂν δύναιο: Contunde Anaxarchi utrem, Anaxarchum enim non poteris. Aristophanes quoque:

Ἀνδρες ἀμαυρόβιοι, φύλλων γενεῇ προσόμοιοι:
Ὀλιγοδρανέες, πλάσματα κηροῦ, σκιοειδέα φῦλα,
Ἀμενηνοὶ, ἀπτῆνες, ἐφημέριοι. Idest:
Viri obscurae uitae, foliorum genti consimiles,
Exiguae uirtutis, figmenta cerea, umbratile genus,
Imbecilles, inuolucres, unam dieculam uiuentes.

CICERO

ILLVD *autem sic est iudicandum, maximas geri res, & maximi animi ab ijs, qui remp. regant; quod eorum administratio latissime pateat, ad plurimosq. pertineat: esse autem magni animi, & fuisse multos, etiam in uita otiosa, qui aut inuestigarent, aut conarentur magna quaedam, seseq. suarum rerum finibus continerent; aut interiecti inter philosophos, & eos, qui remp. administrarent, delectarentur re sua familiari, non eam quidem omni ratione exaggerantes, neque excludentes ab eius usu suos, potiusq. & amicis impartientes, & reip. si quando usus esset. quae primum bene parta sit, nulloq. turpi quaestu, neque odioso; tum, quamplurimis, modo dignis, se utilem praebeat; deinde, augeatur ratione, diligentia, parcimonia: nec libidini potius, luxuriaeque, quam liberalitati, & beneficentiae, pateat. haec praescripta seruantem licet magnifice, grauiter, animoseq. uiuere, atque etiam simpliciter, fideliter, uitaeq. hominum amice. Sequitur, ut de una reliqua parte honestatis dicendum sit, in qua uerecundia, &, quasi quidam ornatus uitae, temperantia, & modestia, omnisq. sedatio perturbationum animi, & rerum modus cernitur. hoc loco continetur id, quod dici Latine decorum potest: Graece enim* Πρέπον *dicitur. huius uis est ea, ut ab honesto non queat separari. nam &, quod decet, honestum est; &, quod honestum est, decet. qualis autem differentia sit honesti, & decori, facilius intelligi, quam explanari, potest. quidquid enim est, quod deceat, id tum apparet, cum antegressa est honestas, itaque non solum in hac parte honestatis, de qua hoc loco disserendum est, sed etiam in tribus superioribus, quid deceat, apparet. nam, & ratione uti, atque oratione prudenter; &, agere, quod agas, considerate; omniq. in re, quid sit ueri, uidere, & tueri decet: contraque falli, errare, labi, decipi, tam dedecet, quam delirare, & mente captum esse. Et iusta omnia decora sunt; iniusta omnia contra, ut turpia, sic indecora. Similis est ratio fortitudinis. quod enim uiriliter, animoq. magno fit, id dignum uiro, & decorum uidetur; quod contra, id ut turpe, sic indecorum. quare pertinet quidem ad omnem honestatem hoc, quod duco, decorum, & ita pertinet, ut non recondita quadam ratione cernatur, sed sit in promptu. est enim quiddam, idq. intelligitur in omni uirtute, quod deceat: quod cogitatione magis a uirtute potest, quam re, separari. ut enim uenustas, & pulchritudo corporis secerni non potest a ualetudine: sic hoc, de quo loquimur, decorum, totum quidem illud est cum uirtute confusum, sed mente, & cogitatione distinguitur. Est autem eius descriptio duplex. nam & generale quoddam decorum intelligimus, quod in omni honestate uersatur; & aliud huic subiectum, quod pertinet ad singulas partes honestatis. atque illud superius sic fere definiri solet: decorum id esse, quod consentaneum sit hominis excellentiae in eo, in quo natura eius a reliquis animantibus differat. Quae autem pars subiecta generi est, eam sic definiunt, ut id decorum esse uelint, quod ita naturae consentaneum sit, ut in eo moderatio, & temperantia appareat cum specie quadam liberali.*

haec

haec ita intelligi, a philosophis, possumus existimare ex eo decoro, quod poetae sequuntur: de quo alio loco plura dici solent. sed tum seruare illud poetas dicimus, quod deceat, cum id, quod quaque persona dignum est, & fit, & dicitur: ut, si aut Aeacus, aut Minos diceret,

Oderint, dum metuant; *aut,*

Natis sepulcro ipse est parens;

indecorum uidetur, quod eos fuisse iustos accepimus: at, Atreo dicente, plausus excitantur: est enim digna persona oratio. sed poetae, quid quemque deceat, ex persona iudicabunt; nobis autem personam imposuit ipsa natura, magna cum excellentia, praestantiaq. animantium reliquorum. quocirca poetae in magna uarietate personarum, etiam uitiosis quid conueniat, & quid deceat, uidebunt. nobis autem cum a natura constantiae, moderationis, temperantiae, uerecundiae partes datae sint; cumq. eadem natura doceat non negligere, quemadmodum nos aduersus homines geramus: efficitur, ut & illud, quod ad omnem honestatem pertinet, decorum, quam late fusum sit, appareat; & hoc, quod spectatur in unoquoque genere uirtutis. ut enim pulchritudo corporis apta compositione membrorum mouet oculos, & delectat hoc ipso, quod inter se omnes partes cum quodam lepore consentiunt: sic hoc decorum, quod elucet in uita, mouet approbationem eorum, quibuscum uiuitur, ordine, & constantia, et moderatione dictorum omnium, atque factorum. adhibenda est igitur quaedam reuerentia aduersus homines & optimi cuiusque, & reliquorum. nam, negligere, quid de se quisque sentiat, non solum arrogantis est, sed etiam omnino dissoluti. Est autem, quod differat in omni ratione habenda, inter iustitiam, & uerecundiam. Iustitiae partes sunt, non uiolare homines; uerecundiae, nō offendere, in quo maxime perspicitur uis decori. His igitur expositis, quale sit id, quod decere dicimus, intellectum puto.

EXPLANATIO

REMP. *regant*; § undecim mei, & Tertij, Resp. regant. SESEQ. *suarum rerum finibus continerent*; § suum negotium agerent. Metaphora a limitibus agrorum. INTERIECTI § medij. RE *sua familiari*, § quam philosophi non curant. NON *eam quidem omni rat. exagg.* § excludit auaritiam. NEQVE *excl.* § requirit benignitatem. QVAE *primum &c.* § tria maxime praecipiuntur in re familiari. BENE *parta* § nunc

Vnde habeas nemo quaerit: sed oportet habere.

NVLLO Q. *turpi quaestu*, § quinque mei, & Tertij, Nullo neque turpi quaestu. unus, Neque ullo turpi quaestu. duo, Nullo turpi quaestu. *Turpi*: sordido, inhonesto. Natura, Lenocinium, militia mercenaria, latrocinium. Opinione. qui manu sibi uictum quaeritant. *Odioso*: publicanorum, portitorum, feneratorum. MODO *dignis*, § nam non decet indignis opitulari. RATIONE, § quae scilicet res uberiores fructus, & certiores reditus afferant. DILIGENTIA, § ut ipse rem tuam cures, neque quidquam omittas. PARCIMONIA: § magno uectigali. quod dixit in Paradoxis. Liberalitas dat, cum decet: Parcimonia seruat, cum non dedecet: ut sit, quod dare possit, cum opus est. Isocrates Nicocli eam laudat. Et sane recte nobiscum ageretur, si ea uteremur. Verum ego quidem potius alijs hoc praecipio, quam sciam ipse uti. PATEAT. § omnes ueteres libri, Pareat. Pateat, tamen, omnibus ijs aduersantibus, magis placet. MAGNIFICE, § cum splendore, & gloria. GRAVITER, § constanter, non leuiter. ANIMOSE, § absque metu, & trepidatione. SIMPLICITER, § non sophistice. FIDELITER, § absque perfidia, & negligentia. VITAE *hominum amice*. § humaniter, non tyrannice. SEQVITVR, § pro reliquum est. In prooemio lib. II. Sequitur, ut haec officiorum genera persequar. VNA *reliqua parte honestatis* § temperantia, de ijs uirtutibus, unde honestum, officiumq. manat, quarta. QVIDAM *ornatus uitae*, § quem tribuit Plato temperantiae. est enim Verecundia in uita humana tamquam flos quidam. Κόσμος τούτοις ἡ Σωφροσύνη ἐστὶ καὶ ἡδονῶν τινῶν, καὶ ἐπιθυμιῶν ἐγκράτεια, ὡς φασι. TEMPERANTIA, *& modestia*, § Tusc. III. Verisimile illud est, qui sit temperans, quem Graeci σώφρονα appellant, eamq. uirtutem σωφροσυνην uocant, quam soleo equidem tum temperātiam, tum moderationem appellare, nonnumquam etiam modestiam. OMNIS *sedatio perturbationum animi*, § Cic. ibidem: Eius uidetur esse proprium, motus animi appetentis regere, & sedare, semperq. aduersantem libidini moderatam in omni re seruare constantiam. RERVM *modus* § quem ultra citraq. nescit consistere rectum. Horatius. Πρέπον § ἀπὸ τοῦ πρέπειν, decere: a περιέπειν, ornare. AB *honesto* § ἀπὸ τοῦ καλοῦ, a pulchro. NAM *&, quod decet, honestum est; &, quod honestum est, decet.* § Honestum, & Decorum, uidentur inter se reciprocari: differunt tamen. Honestum enim semper est idem. Decorum uero mutatur, tempore, loco, & aetate. estq. multiplex. TRIBVS *superioribus*, § iustitia, fortitudine, prudentia. PERTINET *ad omnem honestatem* § decorum cum omni uirtute confusum est. SECERNI *non potest* § pulchritudo enim est apta figura membrorum, cum coloris quādam suauitate ut ait Cicero Tusc. IV. D. Ambrosius hunc locum satis illustrat. Eius haec sunt: Honestas uelut bona ualetudo est, & quaedam salubritas corporis. Deus autem, tamquam uenustas, aut pulchritudo sit. Sicut ergo pulchritudo superare salubritatem, ac ualetudinem uidetur excellere, sine his tamen esse non potest, nec ullo separari modo: quoniam, nisi bona ualetudo sit, pulchritudo esse, ac uenustas non potest: sic honestas decorum illud in se continet, ut ab ea profectum uideatur, & sine ea esse non possit. Velut salubritas igitur totius operis, actusq. nostri honestas est, & sicut species est decorum, quod cum honestate confusum opinione distinguitur. nam, & si in aliquo uideatur excellere, tamen in radice est honestatis, sed flore praecipuo, ut sine ea decidat, in ea floreat? quid enim est honestas, nisi quae turpitudinem, quasi mortem, fugiat? quid uero inhonestum, nisi quod ariditatem, ac mortem afferat? Virente igitur substantia uirtutis, decorum illud tam-

quam flos emicat, quia radix salua est. At uero propositi nostri radice uitiosa, nihil germinat. MODERATIO, § ne uel nimium, uel parum fiat: ne quis sibi nimium tribuat: ne in ulla re modum excedat. TEMPERANTIA § quae moderatur eas uoluptates, quae tactu, & gustu percipiuntur. nam aliorum sensuum uoluptates minus illiberales habentur. SPECIE *quadam liberali*. § adspectu. *Ex eo decoro, quod poetae sequuntur*: § argumentum a minori. nam, si poetae, multo magis philosophi. AEACVS, *aut Minos* § hi Iouis filij habiti sunt; ac, propter summam iustitiam, apud inferos iudicare dicti sunt. Vbi hi duo alij iudices esse memorantur, Rhadamanthus, & Triptolemus. ODERINT, *dum metuant*; § uox tyrannica, hominum, qui populi de se existimationem contemnant: Ciceroni, & Senecae celebris. Lib. II. ex Ennio citatur. NATIS § Tantalo, Plystheni, Harpagi, quos Atreus Thyesti fratri comedendos apposuit, ad quod facinus sol oriens, creditus fuit recessisse. PARENS; § Thyestes: cui filios epulandos frater Atreus apposuit, ut dixi. quod ait Seneca in Thyeste, & Horatius de Arte poet. Ennius etiam, & Maternus scripsere Thyestem. Attius Atreum. Fabula est apud Hyginum cap. 88. & 244. & 258. ATREO § Plato in Cratylo eum dictum quasi ἀτηρόν, aut ἄτρεστον, putat, ab immanitate naturae: quod nullam noxam, nullum facinus reformidaret, intractabilis esset, nec ulla humanitatis ratione flexilis. NOBIS *autem personam imposuit ipsa natura*, § idest, deus. uita autem nostra nihil aliud est, quam fabula, quae in amplissimo huius Mundi theatro agitur. PVLCHRITVDO *corporis* § Tusc. IV. Vt corporis est quaedam apta figura membrorum, cum coloris quadam suauitate, eaq. dicitur pulchritudo: sic in anima opinionum, iudiciorumq. aequalitas, & constantia, cum firmitate quadam, & stabilitate uirtutem subsequens, aut uirtutis uim ipsam continens, pulchritudo uocatur. ORDINE, § ut suo loco, & tempore fiant omnia. CONSTANTIA, § ut rationi semper obediat appetitus. MODERATIONE § ut ne uehementiores naturae impetus sequamur in dicendo, & agendo. ADHIBENDA *est igitur quaedam reuerentia aduersus homines, & optimi cuiusque, & reliquorum*. § sic lego, cum omnibus antiquis libris. nec repugnat sententia. Adhibenda, est, inquit, reuerentia aduersus homines. Deinde se ipse interpretatur. Reuerentia & optimi, & reliquorum. omnes enim reuereri debemus, sed primum optimos, deinde reliquos. ita, quod uniuerse dixerat, Aduersus homines, distinxit, subiungens, Et optimi, & reliquorum. Illud autem, Aduersus homines, pendet a uerbo, Adhibenda est: hoc, Et optimi cuiusque, & reliquorum, a uerbo Reuerentia. NEGLIGERE, § *quid de se quisque sentiat, &c.* § Isocrates Philippica oratione: Μικροψυχίαν εἶναι, τὸ τῶν βλασφημούντων, καὶ φλυαρούντων, καὶ τῶν πειθομένων τούτοις ὀροντίζειν, ἄλλως δ' ὅταν καὶ μηδὲν σαυτῷ συνίδῃς ἐξαμαρτάνων: Idest: Pusilli esse animi, maledicos, & nugatores, & eos, qui illis aures praebent, curare, praesertim si tibi sis nullius delicti conscius. Idem ibidem: Χρὴ μὴ καταφρονεῖν τοῦ πλήθους, μηδὲ παρὰ μικρὸν ἡγεῖσθαι τὸ παρὰ πᾶσιν εὐδοκιμεῖν: Non contemnendus est populus, nec parui aestimandum, laudari ab omnibus. Vide Aristot. Eth. IV. cap. 4. DISSOLVTI. § Dissolutus est, qui nimium indulget. Fam. lib. v. ep. 2. Cognosce nunc humanitatem suam: si humanitas appellanda est in acerbissima iniuria remissio animi, ac dissolutio. In ep. ad M. Brutum: Neque dissolutum a te quidquam homines exspectant, nec crudele. IN *omni ratione habenda*, § in quacumque re: cum aliquid agendum agimus in uita. Ita decem mei ueteres libri. Vnus, Omnium. Tres, Hominum. Tertij, Hominem.

CICERO

OFFICIVM *autem, quod ab eo ducitur, hanc primum habet uiam, quae deducit ad conuenientiam, conseruationemq. naturae: quam si sequemur ducem, numquam aberrabimus; sequemurq. & id, quod acutum, & perspicax natura est; & id, quod ad hominum societatem accommodatum; & id, quod uehemens, atque forte. sed maxima uis decori in hac inest parte, de qua disputamus. neque enim solum corporis, qui ad naturam apti sunt, sed multo etiam magis animi motus probandi, qui item ad naturam accommodati sunt. Duplex est enim uis animorum, atque naturae. una pars in appetitu posita est, quae est ὁρμὴ Graece; quae hominem huc, & illuc rapit: altera in ratione; quae docet, & explanat, quid faciendum, fugiendumq. sit. ita fit, ut ratio praesit, appetitus uero obtemperet. Omnis autem actio uacare debet temeritate, & negligentia; nec uero agere quidquam, cuius non possis causam probabilem reddere. haec est enim fere descriptio officij. Efficiendum autem est, ut appetitus rationi oboediant, eamq. neque praecurrant, nec propter pigritiam, aut ignauiam deserat; sintq. tranquilli, atque omni perturbatione animi careant. ex quo elucebit omnis constantia, omnisq. moderatio. nam, qui appetitus longius euagantur, & tamquam exsultantes siue cupiendo, siue fugiendo non satis a ratione retinentur, hi sine dubio finem, & modum transeunt. relinquunt enim, & abijciunt oboedientiam, nec rationi parent, cui sunt subiecti lege naturae. a quibus non modo animi perturbantur, sed etiam corpora. licet ora ipsa cernere iratorum, aut eorum, qui aut libidine aliqua, aut metu commoti sunt, aut uoluptate nimia gestiunt: quorum omnium uultus, uoces, motus, statusq. mutantur. ex quibus illud intelligitur, (ut ad officij formam reuertamur) appetitus omnes contrahendos, sedandosque, excitandamq. esse animaduersionem, & diligentiam, ut ne quid temere, ac fortuito, inconsiderate, negligenterq. agamus. neque enim ita generati a natura sumus, ut ad ludum, & iocum facti esse uideamur, sed ad seueritatem potius, & ad quaedam studia grauiora, atque maiora. Ludo autem, & ioco uti illis quidem licet, sed, sicut somno, & quietibus ceteris, tum, cum grauibus, seriisq. rebus satisfecerimus. ipsumq. genus iocandi non profusum, nec immodestum, sed ingenuum, & facetum esse debet. ut enim pueris non omnem licentiam ludendi damus, sed eam, quae ab honestatis actionibus non sit aliena: sic in ipso ioco aliquod probi ingenij lumen eluceat. Duplex omnino est iocandi genus; unum illiberale,*

rale, petulans, flagitiosum, obscenum; alterum elegãs, urbanum, ingeniosum, facetum. quo genere non modo Plautus noster, & Atticorum antiqua comoedia, sed etiam philosophorũ Socraticorum libri referti sunt: multaq. multorum facete dicta; ut ea, quae a sene Catone sunt collecta, quae uocantur Ἀποφθέγματα. *Facilis igitur est distinctio ingenui, & illiberalis ioci. alter est, si tempore fit, ac remisso animo, libero dignus; alter ne homine quidem, si rerum turpitudini adhibetur uerborum obscenitas. Ludendi etiam est quidam modus retinendus, ut ne nimis omnia profundamus, elatiq. uoluptate in aliquam turpitudinem delabamur. luppeditant autem & campus noster, & studia uenandi honesta exempla ludendi. Sed pertinet ad omnem officij quaestionem, semper in promptu habere, quantum natura hominis pecudibus, reliquisq. bestijs antecedat. illae enim nihil sentiunt, nisi uoluptatem, ad eamq. feruntur omni impetu: hominis autem mens discendo alitur, & cogitando semper aliquid aut inquirit, aut agit, uidendique, & audiendi delectatione ducitur. quin etiam, si quis est paullo ad uoluptates propensior, modo ne sit ex pecudum genere, (sunt enim quidam homines non re, sed nomine) sed si quis est paullo erectior, quamuis uoluptate capiatur, occultat, & dissimulat appetitum uoluptatis, propter uerecundiam. ex quo intelligitur, corporis uoluptatem non satis esse dignam hominis praestantia, eamq. contemni, & reijci oportere; sin sit quispiam, qui aliquid tribuat uoluptati, diligenter ei tenendum esse modum eius fruendae. itaque uictus, cultusq. corporis ad ualetudinem referantur, & ad uires, non ad uoluptatem.*

EXPLANATIO

QVOD *acutum, quod accommodatum, quod uehemens,* § tres uirtutes significat, Prudentiam, Iustitiam, Fortitudinem: quas hoc ipso ordine iam attigit. DVPLEX *est enim uis animorum, atque naturae.* § de animis, non de natura, loquitur Cicero; ipsorumq. animorum uim, naturamq. describit. itaque non dubito, quin legendum sit, Vis animorum, atque natura. Adiuuat coniecturam nostrã consuetudo Latini sermonis. quod enim Graece dicitur, φύσις, duobus uerbis, Vis, & natura, Cicero dixit. ut in libro de Amicitia: Me quidem non fructus modo, sed etiam ipsius terrae uis, atque natura delectat. Et in Somnio Scipionis: Haec est natura propria animae, atque uis. Tusc. I. Singularis est quaedam natura, atque uis animi. De Diu. lib. II. Animorum est ea uis, atque natura, ut uigeant uigilantes. De Leg. II. Videamus uim, naturamq. legis. Haec autem doctrina sumpta est ex Aristotele, qui lib. I. Pol. Τὸ ζῶον, inquit, πρῶτον συνέστηκεν ἐκ ψυχῆς, καὶ σώματος: ὧν τὸ μὲν ἄρχον ἐστὶ φύσει, τὸ δὲ ἀρχόμενον. Et paullo post: Ἡ μὲν γὰρ ψυχὴ τοῦ σώματος ἄρχει, δεσποτικὴν ἀρχήν: ὁ δὲ νοῦς τῆς ὀρέξεως, πολιτικὴν, καὶ βασιλικήν. ἐν οἷς φανερόν ἐστιν, ὅτι κατὰ φύσιν, καὶ συμφέρον, τὸ ἄρχεσθαι τῷ σωματι ὑπὸ ψυχῆς, καὶ τῷ παθητικῷ μορίῳ ὑπὸ τοῦ νόου, καὶ τοῦ μορίου τοῦ λόγον ἔχοντος. Et infra: Τοῦτο εὐθὺς ὑφήγηται περὶ τὴν ψυχήν: ἐν ταύτῃ γὰρ ἐστι φύσει τὸ μὲν ἄρχον, τὸ δὲ ἀρχόμενον: ὧν ἑτέραν φαμὲν εἶναι ἀρετὴν, τοῦ λόγον ἔχοντος, καὶ τοῦ ἀλόγου. Et lib. III. Ἐξ ἀνομίων ἡ πόλις, ὥσπερ ζῶων ἐυθὺς ἐκ ψυχῆς, καὶ σώματος, καὶ ψυχὴ ἐκ λόγου, καὶ ὀρέξεως. Et lib. VII. Διῄρηται δύο μέρη τῆς ψυχῆς, ὧν τὸ μὲν ἔχει λόγον καθ' αὐτὸ, τὸ δὲ οὐκ ἔχει μὲν καθ' αὐτὸ, λόγῳ δὲ ὑπακούειν δυνάμενον. Et ibidem, infra: Ὥσπερ ψυχὴ, καὶ σῶμα δύ' ἐστὶν, οὕτω καὶ τῆς ψυχῆς ὁρῶμεν δύο μέρη, τότε ἄλογον, καὶ τὸ λόγον ἔχον, καὶ τὰς ἕξεις τὰς τούτων δύο τὸν ἀριθμὸν: ὧν τὸ μὲν ἔστιν ὄρεξις, ὁ δὲ νοῦς. Aduersantur omnes ueteres libri. OPMH, *Graece,* § De nat. de. II. Voluntarios mundi motus ὁρμὰς appellat. NEC *uero agere quidquam,* § hoc durius quibusdam uidetur, Actio non debet agere quidquam: mihi non item. In ipsa enim actione includitur is, qui agit. quasi dicat: Cum aliquid agis, temeritatem uita; nec uero quidquam agas, cuius non possis caussam probabilem reddere. Quae postrema uerba sententiam meam confirmant: & cum sententia consentiunt ueteres libri. Nam, si, pro, Agere, legatur, Agi, quod alijs placet, unde pendeat, intelligere non queo. non enim est, ut referri possit ad superius uerbum, Debet: ne uerbum idem & personale simul, & impersonale, quo modo Grammatici loquuntur, eodem in loco uelimus esse. OFFICII. § medii. Supra: Medium officium id esse, quod cur factum sit, ratio probabilis reddi possit. PRAECVRRANT, § quod equi praeceleres facere solent. EVAGANTVR, § ut equi ferociores. EXSVLTANTES § qualis Chaerea apud Terentium. NON *satis a ratione retinentur,* § Virgilius:

Fertur equis auriga, nec audit currus habenas.

Isocrates: Ὅταν ὁ νοῦς ὑπ' οἴνου διαθαρῇ, ταυτὰ πάσχει τοῖς ἅρμασι, τοῖς τοὺς ἡνιόχους ἀποβάλλουσιν. CVI *sunt subiecti lege naturae.* § Aristoteles Politic. I. LICET *ora ipsa* § ut in comoedijs, tragoedijs, poematis heroicis. Homerus initio ipso Il. I.

Ἡρως Ἀτρεΐδης, εὐρυκρείων Ἀγαμέμνων,
Ἀχνύμενος, μένεος δὲ μέγα φρένες ἀμφιμέλαιναι
Πίμπλαντ', ὄσσε δὲ οἱ πυρὶ λαμπετόωντι ἐίκτην,

Idest: Herus Atrides late imperitans Agamemnon,
Concitus incenso circum praecordia felle,
Sanguinea ora tument, oculis micat acribus ignis:

VT *ad officij formam reuertamur* § attende, quae sit Officij forma. CONTRAHENDOS, § ut equos ferocientes. SEDANDOSQVE, § ut populum ad seditiones spirantem.

LVDVM, *& iocum* § Prouerbium sapit. Ita in Verrem: Per ludum, & iocum euertere aliquem. Terentius: Hic uero est, qui, si amare occoeperit, ludum, iocumq. dices fuisse illum alterum, praeut huius rabies quae dabit. ET *ad quaedam studia grauiora, atque maiora.* § Aristot. Polit. III. Εἰ γὰρ ἄμφω μὲν δεῖ, μᾶλλον

μᾶλλον δὲ αἱρετὸν τὸ σχολάζειν. οὐ γὰρ δὴ παίζοντας, τέλος γὰρ ἀναγκαῖον εἶναι τοῦ βίου τὴν παιδίαν ἡμῖν. LVDO *autem, &c.* § obiectioni per occupationem respondet. VTI *illis quidem licet*, § ita septem mei libri; septem alij, & Tertij, Illo. SOMNO, § Plutarchus in Homeri uita: Καθόλου γὰρ οἰκεῖον ἐστι τῇ τοῦ ἀνθρώπους φύσει, μὴ μόνον ἐπιτείνεσθαι, ἀλλὰ καὶ ἀνίεσθαι, ἵνα καὶ διαρκῇ πρὸς τοὺς ἐν τῷ ζῆν πόνους. Vices quietis, & laborum prodesse, ipsius Homeri uerbis docet: Ἀνίη καὶ πολὺς ὕπνος. Et alibi: Ἀνίη καὶ τὸ φυλάσσειν πάννυχον ἐγρήγοντα. Reddit causam, cur somnus sit remedium corporis labore fatigati. QVIETIBVS *ceteris*, § ita octo mei libri, & Tertij duo, Quietis, quattuor, Ceteris quietibus. INGENVVM, *& facetum* § lib. II. de Oratore. VT *enim pueris* § Quinct. lib. I. cap. 3. Cicero pro Coelio. Nam

Quo semel est imbuta recens, seruabit odorem
Testa diu,

Horatius ait Epist. lib. I. ALTERVM *elegans*, § Cic. ad Cornelium Nepotem lib. II. apud Macrobium: Itaque nostri, cum omnia, quae dixissemus, Dicta essent, quae facete, & breuiter, & acute locuti essemus, ea proprio nomine appellari Dicteria uoluerunt. PLAVTVS *noster*, § Contra Horatius in Arte:

At nostri proaui Plautinos & numeros, &
Laudauere sales: nimium patienter utrumque.

Sed Varro, apud Quinctilianum, Plauti ore Musas locutas ait; Terentium tamen praeponit: ex Aelij Stolonis sententia. Macrobius quoque Sat. lib. II. cap. I. Animaduerto duos, quos eloquentissimos antiqua aetas tulit, comicum Plautum, & oratorem Tullium, eos ambos etiam ad iocorum uenustatem ceteris praestitisse. Plautus quidem ea re clarus fuit, ut post mortem eius comoediae, quae incertae ferebantur, Plautinae tamen esse, de iocorum copia, noscerentur. &c. ATTICORVM *antiqua comoedia*, § Quinctil. negat Latinis Atticam Venerem in comoedijs concessam. Antiqua autem comoedia summa libertate nominatim omnes reprehendit, quod Alcibiades postea antiquauit. PHILOSOPHORVM *Socraticorum* § hoc satis apparet ex Platonis dialogis. A SENE *Catone* § Macrobius lib. II. cap. I. Catonem censorium argute iocari solitum scribit. Plutarchusq. apophthegmata eius inter cetera Romana multa cōmemorat. Ἀποφθέγματα. § Quinctil. lib. VI. cap. 4. TEMPORE § in loco, opportune: uel, extempore. nam ioci esse debent subiti. REMISSO *animo*, § tum se quis iucunditati dedit, cum res graues, & feriae non tractantur. unde Isocrates ait: Εὐγελοίῳ πράγματι σπουδάζειν, καὶ ἐν σπουδαίῳ παίζειν, ἄκαιρον, καὶ παντάχοῦ λυπρόν ἐστι. VT NE *nimis omnia profundamus*, § alij mutant ex ingenio, mendosum suspicantes uerbum, Omnia. ego sequor ueteres omnes libros. Est autem sententia, Ne nimis omnia profundamus: ea scilicet, quae profundi solent in lusu. Vt risus, clamor, sermonis libertas, motus etiam carnis: quae moderanda sunt. ELATIO. *uoluptate* § tum enim est desinendum, cum ludus sit optimus. CAMPVS *noster*, § Martius: qui erat, ubi nunc est templum D. Laurentij in Lucina. Olim Tarquiniorum ager: de quo Plut. in Publicola, Dionys. lib. V. Liu. lib. 2. STVDIA *uenandi* § Canes ad uenandum laudat Terentius. Plato id quoque in Legibus probat: & eo maxime probat, quod hoc iuuentuti regionis deuia explorata fiunt. BESTIIS *antecedat* § Belluis, octo libri. Antecellat, unus. alius utrumque habet, sic, Bestijs antecellat, antecedat. NIHIL *sentiunt*, § nam bestiae uni uoluptati addictae sunt, nihil praeterea curant. unde Horatius:

Me nitidum, & pinguem, & bene curata cute uises,
Cum ridere uoles Epicuri de grege porcum.

HOMINIS *mens discendo alitur*, § Isocrates ad Demonicū: Τὰ μὲν γὰρ σώματα ταῖς συμμέτροις πόνοις· ἡ δὲ ψυχὴ, ταῖς σπουδαίοις λόγοις αὔξεθαι πέφυκε. MODO *ne sit ex pecudum genere*, § quae nihil boni, mali ue fugiunt, sed naturam ducem sequuntur, rationem negligentes. NON *re, sed nomine* § ab humanitate enim longissime absunt. PAVLLO *erectior*, § non humi abiectus animo, & cogitatione.

CICERO

ATQVE *etiam, si considerare uolumus, quae sit in natura excellentia, & dignitas: intelligemus, quam sit turpe, diffluere luxuria, & delicate, ac molliter uiuere: quamq. honestum, parce, continenter, seuere, sobrieque. Intelligendum est etiam, duabus quasi nos a natura indutos esse personis: quarum una est communis, ex eo, quod omnes participes sumus rationis, praestantiaeq. eius, qua antecellimus bestijs, a qua omne honestum, decorumq. trahitur, & ex qua ratio inuemendi officij exquiritur; altera autem, quae proprie singulis est tributa. ut enim in corporibus magnae dissimilitudines sunt: (alios enim uidemus uelocitate ad cursum, alios uiribus ad luctandum ualere; itemq. in formis, alijs dignitatem inesse, alijs uenustatem) sic & in animis existunt etiam maiores uarietates. erat in L. Crasso, & L. Philippo multus lepos, maior etiam, magisq. de industria in C. Caesare L. filio. at ijsdem temporibus in M. Scauro, & in M. Druso adolescente singularis seueritas, in C. Laelio multa hilaritas, in eius familiari Scipione ambitio maior, uita tristior. de Graecis autem, dulcem, & facetum, festiuiq. sermonis, atque in omni oratione simulatorem, quem εἴρωνα Graeci nominauerunt, Socratem accepimus; contra, Pythagoram, & Periclem summam auctoritatem consecutos sine ulla hilaritate. callidum Hannibalem ex Poenorum, ex nostris ducibus Q. Maximum accepimus, facile celare, tacere, dissimulare, insidiari, praeripere hostium consilia. in quo genere Graeci Themistoclem, & Pheraeum Iasonem ceteris anteponunt. in primisq. uersutum, & callidum factum Solonis: qui, quo & tutior uita eius esset, & plus aliquanto reip. prodesset, furere se simulauit. Sunt his alij multum dispares, simplices, & aper-*

ti, qui nihil ex occulto, nihil ex insidijs agendum putant, ueritatis cultores, fraudis inimici: itemq. alij, qui quiduis perpetiantur, cuius deseruiant, dum, quod uelint, consequantur: ut Sullam, & M. Crassum uidebamus. quo in genere uersutissimum, & patientissimum Lacedaemonium Lysandrum accepimus; contraq. Callicratidam, qui praefectus classis proximus post Lysandrum fuit. Itemq. in sermonibus, alium quidem, quamuis praepotens sit, efficere, ut unus de multis esse uideatur. quod in Catulo, & in patre, & in filio, idemq. in Q. Mucio Mancia uidimus. Audiui & ex maioribus natu, hoc idem fuisse in P. Scipione Nasica; cōtraque, patrem eius, illum, qui Ti. Gracchi conatus perditos uindicauit, nullam comitatem habuisse sermonis; nec non Xenocratem quidem, seueriſſimum philosophorum; ob eamq. rem ipsam magnum, clarumq. fuisse. Innumerabiles aliae dissimilitudines sunt naturae, morūque, minime tamen uituperandorum.

EXPLANATIO

DIFFLVERE *luxuria*, § omnibus libidinibus frenos laxare. DELICATE, *ac molliter uiuere*; § genio indulgere; &, ut Demosthenes loquitur, ἅπαντα πρὸς ἡδονὴν ζητεῖν. PARCE, § ne quid sumptus fiat in res superuacaneas. quo conseruatur res familiaris, & iniuriae, ac malae artes uitantur. CONTINENTER, § coercere libidinem, imperare uoluptatibus. SEVERE, § cogitationi rerum grauium, & utilium esse intentum: aut reip. aut rei familiari, aut philosophiae dare operam. SOBRIE. § cibo, & potu ad conseruandam tantum ualetudinem uti, non autem crapulae se dedere. VT *enim in corporibus magnae dissimilitudines sunt*: § Arist. Polit. I. Εἰ δ' ἐπὶ τοῦ σώμματος τοῦτ' ἀληθὲς, πολὺ δικαιότερον ἐπὶ τῆς ψυχῆς τοῦτο διωρίσθαι. ALIIS *dignitatem messe, alijs uenustatem*. § uirile quiddam Dignitas, muliebre Venustas habet, infra. Dignitas autem ipso uultu, & habitu corporis auctoritatem, & maiestatem quandam praefefert; Venustas autem ad sui amorem allicit. SIC *& in animis* § Sallustius, Catilina: Sua cuique satis placebant. Quo loco uide nostra Scholia. L. CRASSO, § eloquentissimo: quem Cicero in libris de Oratore disputantem facit. Ei Quinctilianus παρρησίαν, Tacitus grauitatem tribuit. L. PHILIPPO § diserto, & erudito. de orat. 2. & in Bruto. DE *industria* § Terentius: Parum interesse censes, omnia ut fert natura faciat, an de industria? C. CAESARE *L. filio*. § Catuli patris fratre. M. SCAVRO, § de quo supra a nobis dictum est. M. DRVSO § quem grauem fuisse, ait in Bruto. C. LAELIO § de hoc dicemus in dialogo de Amicitia. SCIPIONE § quem Fannius in Annalibus εἴρωνα appellat. de Orat. 2. in Bruto, & in Tusc. SIMVLATOREM, *quem εἴρωνα Graeci nominauerunt*, § quamquam Dissimulare, & Simulare, inter se differant, cum dissimulentur uera, idest occultentur ea, quae sunt; simulentur falsa, idest fingantur esse, quae non sunt: & Ironiae uerbum Dissimulatione uerius exprimi uideatur, quam Simulatione; quo modo expressit Cicero ipse lib. II. de Orat. & IV. Acad. ferri tamen potest hoc in loco Simulatorem, pro, εἴρωνα: non solum quia ueteres libri cum uulgaris consentiunt omnes, uerum etiam, quia, si quis aciem ingenij ad ueritatem intendat, posse alterum pro altero accipi, fortasse non negabit. Dissimulator enim, & Simulator, diuersum quasi iter habent; eodem tamen aeque tendunt. quid enim differant, si de doctissimo homine dixero: Dissimulat, se quidquam scire, Simulat se nihil scire: non ne utroque modo ironia utetur? Recte igitur hic & Simulatorem, & Dissimulatorem, legi potest. sed, quod antiqua probant exemplaria, id, cum tuto sequi liceat, negligere, & improbare non debemus. SOCRATEM § II. de Orat. Acad. IV. In Bruto: Ego ironiam illam, quam in Socrate dicunt fuisse, qua ille in Platonis, Xenophontis, & Aeschinis libris utitur, facetam, & elegantem puto. Quinctilianus lib. IX. cap. de figuris: Vita uniuersa ironiam habere uidetur, qualis est in uita Socratis. nam ideo dictus εἴρων, hoc est agens imperitum, & admirator aliorum tamquam sapientium. Seneca lib. V. de beneficijs, cap. 6. eius sermonem per figuras procedere, & omnium derisorem, maxime potentium, fuisse dicit. Timon apud Laertium hanc ironiam ei uitio uertit, hoc uersu;

Μυκτῆρ, ῥητορόμυτος ὑπαττικὸς εἰρωνευτής.

PYTHAGORAM, § cuius tanta fuit auctoritas, ut in prouerbium abierit, Αὐτὸς ἔφη In Tusc. D. Aug. lib. 2. de Orig. Exstitit eius uita apud Laertium. PERICLEM § summae apud Athenienses auctoritatis: quippe qui ea ipsis persuaderet, quae minime uolebant. Plut. in eius uita, Plato Alcibiade priore, Thucyd. lib. II. Isocrates pro pace, Cic. de Orat. III. Valer. lib. IIX. cap. 9. Iustinus lib. III. HANNIBALEM § Liuius, Valerius lib. VII. cap. de Stratagem. Q. MAXIMVM § de quo supra. PRAERIPERE *hostium consilia*. § Sophocles Aiacis initio;

Αεὶ μέν, ὁ παῖ Λαρτίου, δ' ἐδορκά σε
Πεῖραν τιν' ἐχθρῶν ἁρπάσαι θηρώμενον.

THEMISTOCLEM § Socrates apud Xenophontem Periclj incantationes, huic uarias artes in administranda rep. tribuit. PHERAEVM *Iasonem* § qui nisi esset per insidias interfectus, bellum aduersus Persarum regem, dux electus uniuersae Graeciae consensu, gessisset. Val. Max. lib. IX. cap. 10. & lib. I. Plut. in Apophthegm. Epaminundam Thebanum auro tentasse dicit. FACTVM *Solonis*: § nam, cum inter Athenienses, & Megarenses de proprietate Salaminae insulae prope usque ad interitum armis dimicatum esset, post multas clades capitale esse apud Athenienses coepit, si quis legem de uindicanda insula tulisset. Sollicitus igitur Solon, ne aut tacendo parum reip. consuleret, aut censendo periculum sibi strueret, subitam dementiam simulat, cuius uenia non dicturus modo prohibita, sed facturus erat. deformis habitu, more uaecordium in publicum euolat: factoq. concursu hominum, quo magis consilium dissimu-

laret,

laret, Insolitis ibi uersibus suadere populo coepit, quod uetabatur; omniumq. animos ita cepit, ut extemplo bellum aduersus Megarenses decerneretur, insulaque, deuictis hostibus, Athenienſium fieret. Iustinus lib. II. Plut. in eius uita. Versus exstant apud Laertium:

Ιωμεν εις Σαλαμῖνα, μαχησομενοι περὶ νήσου
Ιμερτῆς, χαλεπόν τ' αἶσχος ἀπωσόμενοι.

SVLLAM, ℈ uide eius uitam apud Plutarchum. M. CRASSVM ℈ sordidissimus fuit. uide eundem Plutarchum. LACEDAEMONIVM *Lysandrum* ℈ & idem Plutarchus. CALLICRATIDAM, ℈ hunc Cyri moram, a quo stipendium petierat, aegre tulisse, scripsit Xenophon Ελληνικῶν lib. I. & Plut. in Apophtegm. Lacon. ALIVM *quidem, quamuis praep.* ℈ ueteres libri patim habent Quemque, pro Quidem; partim, Quoque; partim, Qui. Pater meus, legebat, Alium quendam, quamuis praep. VNVS *de multis* ℈ ob suauitatem, sonumq. dulcem. in libro de claris orat. Hic ad laudem refertur, alibi, Vnus de multis, ad infamiam. Graeci, Εις τῶν πολλῶν. Lucianus in Somnio. CATVLO, *patre, filio,* ℈ Cicero in Bruto. Q. MVCIO *Mancia* ℈ Mancia, gentium Romanarum cognomen, ut Heluiorum, apud Val. Max. lib. VI. cap. 2. & apud Cic. lib. II. de Or. mendose legitur Helmius Mancia. Ex qua postea gente Pertinacem fuisse, antiqui lapidis inscriptio, in Capitolio Romano, perspicue ostendit. Quã ideo uolui hic ponere, quod, paucis abhinc annis est reperta, & nondum a quoquam diuulgata. Eam autem Roma ad me misit, quo tempore effossa est, in uinea nobilissimi uiri Io. Baptistae Stallae, Iulius Iacobonius: quem, ob miras ingenij suauitates, & ob ueterem familiaritatem, antiquarumq. rerum peritiam, unice diligo. Heluius quoque Cinna poeta nominatur ab Agellio lib. XIX. cap. 13. Ex ueteribus libris, alij, Manciniano; alij Numacio; alij Numacia; alij, Macia. Duo, Mancia.

Landesbibliothek Oldenburg

CONATVS *perditos* ʒ contra uoluntatem optimatum, ideſt contra remp. XENOCRATEM ʒ cui Plato dixit, Σπεύδε, Siue Θῦε ταῖς χάρισι. Laertius, Plut. in Mario, & in Phocione, & in Apophthegm. Valer. lib. IV. cap. 3.

CICERO

ADMODVM *autem tenenda ſunt ſua cuique non uitioſa, ſed tantum propria, quo facilius decorum illud, quod quaerimus, retineatur. ſic enim eſt faciendum, ut contra naturam uniuerſam nihil contendamus; ea tamen conſeruata, propriam naturam ſequamur; ut, etiam ſi ſint alia grauiora, atque meliora, tamen nos ſtudia noſtra naturae regula metiamur. neque enim naturae attinet repugnare, nec quidquam ſequi, quod aſſequi nequeas. ex quo magis emergit, quale ſit decorum illud: ideo quia nihil decet inuita, ut aiunt, Minerua, id eſt aduerſante, & repugnante natura. omnino, ſi quidquam eſt decorum, nihil eſt profecto magis, quam aequabilitas uniuerſae uitae, tum ſingularum actionum: quam conſeruare non poſſis, ſi aliorum naturam imiteris, omittas tuam. ut enim ſermone eo debemus uti, qui notus eſt nobis, ne, ut quidam, Graeca uerba inculcantes, iure optimo rideamur: ſic in actionibus, omnemq. uitam nullam diſcrepantiam conferre debemus. atque haec differentia naturarum tantam habet uim, ut nonnumquam mortem ſibi ipſe alius conſciſcere debeat, alius in eadem cauſſa nō debeat. non enim alia in cauſſa M. Cato fuit, alia ceteri, qui ſe in Africa Caeſari tradiderunt. atqui ceteris forſitan uitio datum eſſet, ſi ſe interemiſſent: propterea quod eorum uita lenior, & mores fuerant facíliores: Catoni autem cum incredibilem tribuiſſet natura grauitatem; eamq. ipſe perpetua conſtantia roborauiſſet; ſemperq. in propoſito, ſuſceptoq. conſilio permanſiſſet; moriendum potius, quam tyranni uultus adſpiciendus fuit. Quam multa paſſus eſt Vlixes in illo errore diuturno, cum & mulieribus (ſi Circe, & Calypſo mulieres appellandae ſunt) ſeruiret, & in omni ſermone omnibus affabilem ſe eſſe uellet: domi uero etiam contumelias ſeruorum, ancillarumq. pertulit, ut ad id aliquando, quod cupiebat, peruenire. at Aiax, quo animo traditur, millies oppetere mortem, quam illa perpeti, maluiſſet. quae contemplantes expendere oportebit, quid quiſque habeat ſui, eaq. moderari, nec uelle experiri, quam ſe aliena deceant. id enim quemque decet, quod eſt cuiuſque ſuum maxime. ſuum igitur quiſque noſcat ingenium, acremq. ſe & uitiorum, & bonorum ſuorum iudicem praebeat: ne ſcenici plus, quam nos, uideantur habere prudentiae. illi enim non optimas, ſed ſibi accommodatiſſimas fabulas eligunt. qui enim uoce freti ſunt, Epigonos, Medumque; qui geſtu, Menalippam, Clytemneſtram: ſemper Rupilius, quem ego memini, Antiopam, non ſaepe Aeſopus Aiacem. Ergo hiſtrio hoc uidebit in ſcena, non uidebit ſapiens in uita?*

EXPLANATIO

QVO *facilius* ʒ unde Horatius?

Naturam expellas furca licet, uſque recurret.

NATVRAM *uniuerſam* ʒ decorum generale. PROPRIAM *naturam* ʒ decorum ſpeciale. NATVRAE *regula metiamur*. ʒ metaphora a fabris. Sic Horatius dixit, Quemque ſe ſuo modulo, ſuoq. pede metiri. SEQVI, *aſſequi* ʒ παρονομασία. INVITA *Minerua*, ʒ Horatius:

Tu nihil, inuita, dices, faciesue Minerua.

NATVRARVM ʒ ingeniorum. M. CATO ʒ de cuius obitu Plut. in eius uita, & in Caeſare, & in libello, Quod eruditio in principe requiratur, Lucanus lib. IX. Appianus lib. 2. Florus lib. IV. cap. 2. epit. Liu. CXIV. Oroſ. lib. VI. cap. 16. Eutropius lib. VI. cap. 5. Seneca Suaſ. VI. & epiſt. 24. Valer. lib. III. cap. 2. Agell. lib. XIII. cap. 18. Lact. de falſa Sap. cap. 18. negat Catonem tam ob id necem ſibi conſciuiſſe, ut Caeſaris tyrannidem effugeret, quam ut Stoicorum mandato obtemperaret. Quam uero recte hoc fecerit, diſputat Auguſtinus lib. 1. cap. 23. de Ciu. Dei. Maternus olim ediderat tragoediam, Catonis nomine. ALIA *ceteri* ʒ non idem omnes decet. ATQVI *ceteris forſitan uitio datum eſſet*, ʒ eleganter ſaepe uſurpat Cicero, Atque, initio ſententiae. ut lib. III. Atque, ſi etiam hoc natura praeſcribit. Et hoc libro, prope finem: Atque illi, quorum ſtudia, uitaq. omnis in rerum cognitione uerſata eſt. Quem ipſum quoque locum, ignoratione Latini ſermonis, non defuere, qui mutandum cenſuerint; reponentes, Atqui, pro, Atque: cum ſit diuerſa utriuſque particulae ſignificatio; & cum utraque ſuum locum obtineat ita apte, ut extrudi nullo modo debeat. Quod alijs probare exemplis, putidum fortaſſe uideatur. Tres mei libri habent, Atque. Itaque, licet, Atqui, reliquerim, mihi tamen, Atque, magis arridere, lectorem admoneo. non enim ſimul apte cohaerent, Atqui, forſitan: cum in altero confirmatio ſit, in altero dubitatio. MORIENDVM *potius, quam tyranni uultus adſpiciendus fuit*. ʒ ergo haec ſcripta ſunt Caeſare mortuo: Ceterum Theocritus aliud ſenſit, cuius haec ſunt:

Θαρσεῖν χρή, φίλε Βάττε, τάχ' ἄμμιον ἔσετ' ἄμεινον:
Ἄλλοκα μὲν γὰ Ζεὺς πέλει αἴθριος, ἄλλοκα δ' ὖει:
Ἐλπίδες ἐν ζωοῖσιν, ἀνέλπιστοι δὲ θάνοντες.

Ideſt: Fidere oportet, amice Batte: cras forſan melius habebis,
Nunc quidem Iuppiter claro eſt aethere, nunc pluit.
Spes in uiuentibus: ſine ſpe autem mortui.

CIRCE, ʒ Homerus Odyſſ. I. Hyginus cap. 125. CALYPSO ʒ Homerus Odyſſ. E. & ε. Hyginus ibidem.

ibidem. SERVORVM, § Melanthij. Odyss. ρ. ANCILLARVM § Melanthus. Odyss. σ. QVOD *cupiebat*, § cupiebat autem occidere procos, & Penelope uxore quiete frui. Odyss. χ. Dict. Cret lib. VI. AIAX, § Telamonius. exstat Sophoclis tragoedia. De eo Hom. Ιλ. ο. Ouid. XIII. Metam. Hyginus cap. 107. ACREM *iudicem* § seuerum: non sui nimis amantem. φιλαυτία enim abesse debet. EPIGONOS, § Attii tragoediam. citatur a Nonio. MEDVM § Pacuuij tragoediam. Festus, Carisius, Priscianus, Nonius. MENALIPPAM, § Attij. Festus, Nonius. CLYTEMNESTRAM: § Attij. Priscianus, Nonius. AESOPVS § quem Cicero pronunciando imitatus est. Plut. in uita Cic. Macr. lib. III. cap. 4. Vide Quinctil. lib. II. cap. de pronunc. concitatiorem Roscium, hunc grauiorem dicit. De eius luxu uide Plinium lib. X. cap. 51. & lib. XXXV. cap. 12.

CICERO

AD *quas igitur res aptissimi erimus, in ijs potissimum elaborabimus. sin aliquando necessitas nos ad ea detruserit, quae nostri ingenij non erunt: omnis adhibenda erit cura, meditatio, diligentia, ut ea, si non de core, at quamminimum indecore facere possimus. nec tã est enitendum, ut bona, quae nobis data non sunt, sequamur, quam ut uitia fugiamus. Ac duabus his personis, quas supradixi, tertia adiungitur; quam casus aliquis, uel tempus imponit: quarta etiam, quam nobismetipsis iudicio nostro accommodabimus. nam regna, imperia, nobilitates, honores, diuitiae, opes, eaque, quae sunt his contraria, in casu sita, temporibus gubernantur: ipsi autem quam personam gerere uelimus, a nostra uoluntate proficiscitur. itaque se alij ad philosophiam, alij ad ius ciuile, alij ad eloquentiam applicant: ipsarumq. uirtutum in alia alius mauult excellere. quorum uero patres, aut maiores in aliqua gloria praestiterunt, eorum plerique in hoc genere laudis student excellere; ut Q. Mucius P. filius in iure ciuili; Paulli filius Africanus, in re militari. Quidam autem ad eas laudes, quas a patribus acceperunt, addunt aliquam suam: ut hic idem Africanus eloquentia cumulauit bellicam gloriam: quod idem fecit Timotheus, Cononis filius; qui, cum belli laude non inferior fuisset, quam pater, ad eam laudem doctrinae, & ingenij gloriam adiecit. Fit autem interdum, ut nonnulli, omissa imitatione maiorum, suũ quoddam institutum consequantur. maximeq. in eo plerumque elaborant ij, qui magna sibi proponunt, obscuris orti parentibus. Haec igitur omnia, cum quaerimus, quid deceat, complecti animo, & cogitatione debemus. In primis autem constituendum est, quos nos, & quales esse uelimus, & in quo genere uitae. quae deliberatio est omnium difficillima. ineunte enim adolescentia, cum inest maxima imbecillitas consilij, tunc id sibi quisque genus aetatis degendae constituit, quod maxime adamauit: itaque ante implicatur aliquo certo genere, cursuq. uiuendi, quam potuit, quod optimum esset, iudicare. Nam, quod Herculem Prodicus dicit, (ut est apud Xenophontem) cum primum pubesceret, quod tempus a natura ad deligendum, quam quisque uiam uiuendi sit ingressurus, datum est, exisse in solitudinem, atque ibi sedentem diu secum, multumq. dubitasse, cum duas cerneret uias, unam uoluptatis, alteram uirtutis, utram ingredi melius esset: hoc Herculi, Iouis satu edito, potuit fortasse contingere; nobis non item, qui imitamur, quos cuique uisum est, atque ad eorum studia, institutaq. impellimur. Plerumque autem, parentum praeceptis imbuti, ad eorum consuetudinem, moremq. deducimur. alij multitudinis iudicio feruntur; quaeq. maiori parti pulcherrima uidentur, ea maxime exoptant. nonnulli tamen, siue felicitate quadam, siue bonitate naturae, siue parentum disciplina, rectam uitae secuti sunt uiam. Illud autem maxime rarum genus, eorum, qui, aut excellente ingenij magnitudine, aut praeclara eruditione, atque doctrina, aut utraque re ornati, spatium deliberandi habuerunt, quem potissimum uitae cursum sequi uellent. in qua deliberatione ad suam cuiusque naturam consilium est omne reuocandum. nam, cum in omnibus, quae aguntur, ex eo modo, quo quisque natus est, ut supra dictum est, quid deceat, exquirimus: tum in tota uita constituẽda multo est eius rei cura maior adhibenda; ut constare in uitae perpetuitate possimus nobismet ipsis, nec in ullo officio claudicare. Ad hanc autem rationem quoniam maximam uim natura habet, fortuna proximam; utriusque omnino ratio habenda est in deligendo genere uitae, sed naturae magis. multo enim & firmior est, & constantior: ut fortuna nonnumquam ipsa mortalis cum immortali natura pugnare uideatur. qui igitur ad naturae suae non uitiosae genus consilium uitae omne contulerit, is constantiam teneat: id enim maxime decet. nisi forte se errasse intellexerit in deligẽdo genere uitae. quod si acciderit; (potest autem accidere) facienda morum, institutorumq. mutatio est. eam igitur mutationem, si tempora adiuuabunt, facilius, commodiusq faciemus; sin minus, sensim erit, pedetentimq. facienda: ut amicitias, quae minus delectent, & minus probentur, magis decere, censent sapientes, sensim dissuere, quam repente praecidere. commutatio autem genere uitae, omni ratione curandum est, ut id bono consilio feciſſe uideamur.*

EXPLANATIO

Q. MVCIVS P. *filius* § Quinctil. lib. XII. cap. 3. Agellius lib. IIX. cap. 14. PAVLLI *filius Africanus*, § Paulli Aemilij, qui de Perſa, Macedonum rege, triumphauit. De quo Velleius lib. II. Eodem, inquit, tempore P. Scipio Aemilianus, uir auitis P. Africani, paternisq. L. Paulli uirtutibus simillimus, omnibus belli, ac togae dotibus, ingenijque, ac studiorum eminentissimus saeculi sui, qui nihil in uita nisi laudandum aut fecit, aut dixit, aut sensit. ADDVNT *aliquam suam*. § contra Homerus:

Οι πλέονες κακίους, παῦροι δέ γε πατρὸς ἀρείους.

Et Horatius:

Aetas parentum peior auis tulit,
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem uitiosiorem.

TIMOTHEVS, *Cononis filius*; § discipulus Isocratis, qui praeceptori aeream imaginem dicauit. Cic. de Orat. III. & Plut. in Ciceronis uita. Tam in capiendis urbibus hic felix fuit, ut esset pictus dormiens, rete manu tenens, in quod ipsa fortuna urbes conijciebat. rex Athenienſium. Plut. in Apophthegm. & Sudas. OBSCVRIS *orti parentibus*. § uide Valerium Max. lib. III. cap. 4. & Lucianum in Somnio. CONSTITVENDVM *est*, § uitae genus considerate deligendum. IMBECILLITAS *consilij*, § quae senum prudentia est regenda: ut alibi dixit. APVD *Xenophontem* § lib. II. Memorabilium. Vide & Fam. l. v. ep. 12. ad Lucceium, Quinct. lib. IX. cap. 2. Maximum Tyrium ser. 4. EXISSE *in solitudinem*, § apud Ter. Simo uenit meditatus alicunde ex solo loco: rationē sperat inuenisse se, qua differat filium. Quod ex Menandro sumptum Donatus ait: Cuius haec sunt: Ευρετικὴν εἶναι φασι τὴν ἐρημίαν, οἱ τὰς ὀφρῦς ἀίροντες. HERCVLI, *Iouis satu edito*, § ut in fabulis. Plautus Amphitr. Herculis fabulosam genituram celebrauit. Sapit hoc phrasim poeticā. Petrus Victorius, uir in litteris summa cū laude uersatus, Var. lect. l. XVII. c. 12. legit, Herculi, Iouē sato, pot. &c. Cuius coniecturā confirmare uidentur ueteres libri. nam septē habent, Herculi, Iouis sato, pot. Vnus, Herculi, Ioui sato, pot. Vnus, Herculi, Iouis nato, p. Quod est glossema ad Iō Sato. Vnus, Herculi, Iouis sato audito. Vnus, Herculi, Iouis satu edicto. Tres, & Tertij faciunt cum impressa lectione. IMITAMVR, *quos cuique uisum est*, § uoluntatis libertas conceditur nobis ad imitandum. PLERVMQVE *autem*, § sic ueteres omnes libri. Nonius in, Imbuere, Plerique, legisse uidetur: MORE MQ. § Moresque, apud Nonium. *Morem*: idest, confirmatam consuetudinem. Plutarchus parentum uitam filijs tamquam speculum propositum uult, in libello de educ. puer. MAIORI *parti* § quam uincere meliorem, ait Liuius. SIVE, *siue, siue* § recta uitae uia unde contingat. Alludit ad tria hominum genera, ab Hesiodo nobis proposita. QVO *modo quisque natus est*, § sic nasci poeta uerius dicitur, quam fieri. NEC *in ullo officio claudicare*. § pro, ne in ullo officio claudicemus. POTEST *autem accidere* § homines enim sumus: quorum Errare est proprium. Terent. Adelphis:

Censen' me hominem esse? erraui.

AMICITIAS *magis decere sensim dissuere, quam repente praecidere*. § in Laelio: Tales amicitiae sunt remissione usus eleuandae, &, ut Catonem dicere audiui, dissuendae magis, quam discindendae. Diluere, est in decem meis, & Tertij.

CICERO

SED, *quoniam paullo ante dictum est, imitandos esse maiores: primum illud exceptum sit, ne uitia sint imitanda: deinde, si natura non ferret, ut quaedam imitari possint; ut superioris Africani filius, qui hunc Paullo natum adoptauit, propter infirmitatem ualetudinis non tam potuit patris similis esse, quam ille fuerat sui. si igitur non poterit siue causas defensitare, siue populum concionibus tenere, siue bella gerere; illa tamen praestare debebit, quae erunt in ipsius potestate, iustitiam, fidem, liberalitatem, modestiam, temperantiam; quo minus ab eo id, quod desit, requiratur. optima autem hereditas a patribus traditur liberis, omnium. patrimonio praestantior, gloria uirtutis, rerumq. gestarum: cui dedecori esse, nefas, & uitium iudicandum est. Et, quoniam officia non eadem disparibus aetatibus tribuuntur, aliaq. sunt iuuenum, alia seniorum: aliquid etiam de hac distinctione dicendum est. Est igitur adolescentis, maiores natu uereri, ex hisq. eligere optimos, & probatissimos, quorum consilio, atque auctoritate nitatur. ineuntis enim aetatis inscitia, senum constituenda, & regenda prudentia est. Maxime autem haec aetas a libidinibus arcenda est, exercendaq in labore, patientiaq. & animi, & corporis, ut eorum & in bellicis, & ciuilibus officijs uigeat industria. atque etiam, cum relaxare animos, & dare se iucunditati uolent, caueant intemperantiam, meminerint uerecundiae: quod erit facilius, si eiusmodi quoque rebus maiores natu interesse uelint. Senibus autem labores corporis sunt minuendi, exercitationes animi etiam augendae uidentur: danda uero opera, ut amicos, & iuuentutem, & maxime remp. consilio, & prudentia quamplurimum adiuuent. nihil autem magis cauendum est senectuti, quam ne languori, desidiaeq. se dedat. luxuria uero cum omni aetati turpis, tum senectuti foedissima est. sin autem & libidinum intemperantia accesserit, duplex malum est, quod & ipsa senectus concipit dedecus, & facit adolescentium impudentiorem intemperantiā. Ac ne illud quidem alienum est, de magistratuum, de priuatorum, de ciuium, de peregrinorum officijs dicere. Est igitur proprium munus magistratus, intelligere, se gerere personam ciuitatis, debereq. eius dignitatem, & decus sustinere, seruare leges, iura describere, ea fidei suae cōmissa meminisse. Priuatum autem oportet aequo, & pari cum ciuibus iure uiuere, neque summissum, & abiectum, neque se efferentem; tum in rep. ea uelle, quae tranquilla, & honesta sint. talem enim & sentire, & bonum ciuem dicere solemus. Peregrini autem, & incolae officium est, nihil, praeter suum negotium, agere, nihil de alio inquirere, minimeq. in aliena esse rep. curiosum. ita fere officia reperientur, cum quaeretur, quid deceat, & quid aptum sit personis, temporibus, aetatibus. nihil est autem, quod tam deceat, quam in omni re gerenda, consilioq. capiendo seruare constantiam. Sed, quoniam decorum illud in omnibus factis, & dictis, in corporis denique motu, & statu cernitur, idq. positum est in tribus rebus, formositate, ordine, ornatu ad actionem apto; (difficilius ad eloquendum, sed satis erit intelligi) in his autem tribus continetur cura etiam illa, ut probemur ab ijs, cum quibus, & apud quos uiuamus: his quoque de rebus pauca dicantur. Principio, corporis nostri magnam natura ipsa uidetur habuisse rationem: quae for-*

Landesbibliothek Oldenburg

mam noſtram, reliquamq. figuram, in qua eſſet ſpecies honeſta, eam poſuit in promptu; quae autem partes corporis, ad naturae neceſſitatem datae, adſpectum eßent deformem habiturae, atque turpem, eas contexit, atque abdidit. hanc naturae tam diligentem fabricam imitata eſt hominum uerecundia. quae enim natura occultauit, eadem omnes, qui ſana mente ſunt, remouent ab oculis; ipſiq. neceſſitati, dant operam, ut quamoccultiſſime pareant: quarumq. partium corporis uſus ſunt neceſſarij, eas neque partes, neque earum uſus ſuis nominibus appellant: quodq. facere non turpe eſt, modo occulte, id dicere obſcenum eſt. itaque nec actio rerum illarum aperta petulantia uacat, nec oratio obſcenitate.

EXPLANATIO

NE *uitia ſint imitanda*: ℈ D. Hieronymus apol. contra Rufinum ait, magiſtrorum non uitia, ſed uirtutes eſſe imitandas. HVNC ℈ de quo ſaepe mentionem facimus: uel, propiorem aetati noſtrae. PAVLLO ℈ hunc, ait Velleius, Scipionis filium, nihil de paterna maieſtate, praeter ſpeciem nominis, uigoremq. eloquentiae retinuiſſe. QVAM *ille fuerat ſui*: ℈ ſui ſcilicet patris ſimilis, qui, imperator, poſt multas in Hiſpania uictorias, occubuit. CAVSSAS *defenſitare*, ℈ miti uerbo uſus eſt: pro, Cauſſas agere. nam accuſant etiam ſaepe oratores. CONCIONIBVS *tenere*, ℈ delectare, non tantum docere, & mouere. BELLA *gerere*; ℈ nam Romana reſp. & oratoria facultate, & rei militaris ſcientia plurimum ualuit. QVAE *erunt in ipſius poteſtate*, ℈ hinc Plautus:

Ingenio, non aetate, adipiſcitur ſapientia.

IVSTITIAM, ℈ quae ſuum cuique tribuit. FIDEM, ℈ dictorum, conuentorumq. conſtantiam, & ueritatem. LIBERALITATEM, ℈ quae re, opera, conſilio alios iuuat. MODESTIAM, ℈ quae modum ſeruat cum in alijs rebus, tum in opinione de ſeſe. TEMPERANTIAM. ℈ quae prauis affectibus dominatur. OPTIMA *autem hereditas a patribus traditur liberis, omniq. patrimonio praeſtantior, Gloria uirtutis, rerumq. geſtarum*: ℈ Fam. lib. 11. ep. 16. & in oratione pro domo. Supra etiam dixit: Ad te (loquitur ad filium) hereditas huius gloriae, & factorum imitatio pertinet. Iſocrates quoque: Περὶ πλείονος ποιοῦ δόξαν καλὴν, ἢ πλοῦτον μέγαν, τοῖς παισὶ καταλιπεῖν. ADOLESCENTIS, ℈ uide Val. lib. 2. cap. de inſt. ant. & Platonem de Leg. IX. MAIORES *natu uereri*, ℈ ſic locutus infra: Maxime curandum eſt, ut eos, quibus cum ſermones conferimus, & uereri, & diligere uideamur. Iſocrates: Μάλιστα σοι πρέπειν ἡγοῦ κόσμον, αἰσχύνην, σωφροσύνην, δικαιοσύνην. PROBATISSIMOS, ℈ eos, qui magnae ciuium parti probantur. quod non temere fit, niſi uirtute excellant. INEVNTIS *enim aetatis inſcitia*, ℈ non differre Inſcitiam ab Inſcientia, Ciceronis, Caeſaris, Plauti teſtantur exempla. cur igitur alterum pro altero reponam, cum praeſertim omnes libri ueteres habeant, Inſcitia? CONSTITVENDA, ℈ quaſi firmanda, & ſtabilienda. HAEC *aetas a libidinibus arcenda eſt*, ℈ ratio adoleſcentiae laudabiliter traducendae. EXERCENDA *in labore*, ℈ hinc Comicus:

Nulla adeo ex re fit, atque ex nimio otio.

PATIENTIA ℈ Virgilius:

Quidquid erit, ſuperanda omnis fortuna ferendo eſt.

Et: O paſsi grauiora, dabit Deus his quoque finem:
Durate, & uoſmet rebus ſeruate ſecundis.

IN *bellicis, & ciuilibus officijs* ℈ belli, domique: & in patria armis tuenda, & in pacata adminiſtratione. VIGEAT *induſtria*. ℈ ut patriae, & omnibus prodeſſe & poſsint, & uelint. RELAXARE *animos*, ℈ quos tamquam arcus intentos habuerunt. SI *eiuſmodi rebus maiores natu intereße uelint*. ℈ Ariſt. Pol. lib. VII. cap. 12. Ἡ γὰρ ἐν ὀφθαλμοῖς τῶν ἀρχόντων παρουσία, μάλιστα ἐμποιεῖ τὴν ἀληθῆν αἰδῶ, καὶ τὸν τῶν ἐλευθέρων φόβον. Et Quinctilianus lib. I. cap. 3. SENIBVS *autem & c.* ℈ Agellius lib. 2. cap. 14. LIBIDINVM *intemperantia* ℈ Cato maior ob ſenilem laſciuiam male audiuit: & L. Lucullus poſt bellum Mithridaticum parum honorifico Xerxis togati eulogio fuit ornatus, &, ex philtro amaſij, errore mentis affectus. DVPLEX *malum eſt*, ℈ ſen. ex in luxuria dupliciter peccat, primum re, deinde exemplo. DE *priuatorum, de ciuium*, ℈ Sunt, qui legant, De priuatorum ciuium. idq. in uno meo uetere reperitur. Cicero tamen mox haec diſtinguit. SERVARE *leges*, ℈ quarum praeſidio ciuitates reguntur. IVRA *deſcribere*, ℈ nam recte apud eos agitur, apud quos maiorum inſtituta retinentur. Hinc illud Ennij:

Moribus antiquis ſtat res Romana, uirisque.

Et Xenophon: Πᾶσαι μεταβολαὶ τῶν πολιτειῶν θανατοφόροι. Id eſt: Omnes mutationes rerum publicarum ſanguinolentae. AEQVO, *& pari iure* ℈ nam potentiores, & tenuiores coniuncti eſſe debent in rep. gerenda. In hanc ſententiam Sophocles: Πρὸς τὸν ἔχοντ' ὀφθόνος ἕρπει, καίτοι σμικροὶ μεγάλων χωρὶς, σφαλερὸν πύργου ῥύμα πέλονται· μετὰ γὰρ μεγάλων βαιὸς ἄριστ' ἂν κῆ μέγας ὀρθοῖτ' ὑπὸ σμικροτέρων. Ideſt: Inuidia diuites inſectatur: quamuis pauci ſine magnis moenia male defendant. tenuis enim a magnis, & magnus a paruis optime ſuſtentatur. NEQVE *ſummiſsum, & abiectum, neque ſe efferentem*; ℈ ideſt, qui imperare pariter, oboedireque, cum opus ſit, poſsit. nam hoc eſt boni ciuis, ut ait Ariſtoteles. FORMOSITATE, *ordine, ornatu* ℈ Ambroſius de Off. lib. I. cap. 19. *Formoſitate*: nam Gratior eſt pulchro ueniens e corpore uirtus. AD *actionem apto*; ℈ ideſt, ad eam rem, quae agitur. DIFFICILIVS *ad eloquendum*, ℈ ob Latini ſermonis inopiam. SATIS *erit intelligi* ℈ ſeptem libri mei, Satis facile erit intelligi: ex quibus quattuor uerba inuertunt. CVM *quibus, & apud quos uiuamus*. ℈ In undecim eſt, Quibuſcum, apud quosq. uiuamus. Vnus, Cum quibus, apud quos uiuamus. Vnus, A quibus, apud quoſq. uiuamus.

Landesbibliothek Oldenburg

IMPERATORE · CAESARE · AVGV

ORDO · CORPORATORVM · LENVNCVLARR

PATR. SENAT.

L. Fabius. Cilo. Septiminus
M. Vmbilius. Maximinus

EQVIT. ROM.

L. Furius. Public. Marcell. Pa.
L. Furius. Public. Marcellin.
Sex. Sextilius. Iulianus. F.
L. Valerius. Daphnu S
Sex. Sextilius. Iulianus. P
QQ. PP
M. Publicius. Ianuarius
Quinquennal. II P
M. Publicius. Ostiensis. Sen
Q Q. II.
M. Cornelius. Valerianus
Q Q. Perpet
L. Valerius. Daphnu S
QQ. PP.
M. Cipius. Victo R
QQ. Perpet
Sex. Sextilius. Iulianus. Pa.
Q Q.
M. Curtius. Victorinus
Q Q.
A. Herenuleius. Vettianus

PLEBS

P. Cornelius. Phoebu S
A. Mucius. Maiu S
A. Herenuleius. Philetian
A. Herenuleius. Vetitannus
T. Manlius. Manlianu S
C. Furius. Primitiuo S
Q. Marcius. Rufinu S
M. Cipius. Natalian
C. Clodius. Agathopu S
L. Valerius. Dapnu S

M. Corne[illegible]us. Feli X
T. Cornelius. Feli X
M. Publicius. Mercurius
M. Publicius. Valen S
M. Licinius. Secundu S
M. Furius. Crescen S
M. Cornel. Aphrodisius
M. Cornel. Fortunatus
M. Cornelius. Luciferus
M. Antonius. Valen[illegible]nus
L. Caltilius. Blastianus
M. Pudlicius. Decianu S
M. Valerius. Hamiliu S
M. Publicius. Maximian
L. Caruilius. Veturian
C. Cordius. Fortunatus
L. Mindius. Fortunatus
M. Antistius. Eupepretian
L. Mindius. Siluanu S
M. Acilius. Titianu S
M. Publicius. Iuniu S
D. Otacilius. Iouinu S
M. Publicius. Fructus. Sen.
L. Cerellius Maximian
M. Publicius. Polycra Tes
C. Tuccius. Epictetus
Q. Marcius. Threptu S
L. Caltilius. Eutychian
M. Publicius. Ostiensis
L. Furius. Fortuna Tus
L. Acrius. Manlianu S
Sex. Aulenius. Onesiphor
M. Publicius. Forti S
M. Cornelius. Cresce[illegible]ian
M. Acilius. Apolaustus
M. Cipius. Victo R
Q. Lollius. Onesimu S
C. Voltidius. Priscu S
P. Naeuius. Auf. Hyginian
M. Publicius. Bassu S
M. Publicius. Valerianus
M. Publicius. Carpu S
M. Macrin. Fortunatian
C. Volumnius. Zosimu S
Sex. Sextilius. Iulianus. P.
A. Sergius. Felici O
C. Firmanus. Barnaeus
Q. Septimius. Crescens
M. Cipius. Feli X
L. Licinius. Feli X
T. Aelius. Agatopu S
D. Ausidius. Paulinian
C. Varius. Primu S
L. Furius. Eutyche S
M. Publicius. Feli X
M. Publicius. Philetus
A. Herenuleius. Crispus
P. Sittius. Maximu S
M. Fabius. Heleuther
L. Mamius. Rufinu S
L. Furius. Eutyches. Ivn.
M. Publicius. Crescens
M. Publicius. Felicissim
Sex. Auienius. Heraclida
C. Clodius. Siluanu S
C. Iunius. Romulu S
C. Roscius. Tertiu S
A. Herenuleius. Proculus
P. Sittius. Restitutus
Sex. Sextilius. Iulianus. Ivn.
M. Publicius. Aelianus
C. Voltidius. Fortunatus
Sex. Cloelius Donatu S
P. Aelius. Asclepiad
M. Publicius. Zosimu S
A. Herenuleius. Eutyches
D. Statilius. Statilianus
D. Otacilius. Octauius
D. Otacilius. Donatus
M. Opiu S. Felici O
Sex. Cloelius. Maturus
T. Flauius. Primu S
C. Iulius. Adauctu S
M. Cornelius. Epagathus
M. Cornel. Serapiacus
L. Furius. Musidianus
D. Otacilius. Victo R
M. Curtius. Victorinus
L. Cornelius. Epityncha[illegible]
T. Aurelius Vale[illegible]inus
L. Critonius. Primitiuus
L. Cornelius. Optatu S
Q. Iulius. Lucilianus
L. Furius. Eutyche S
L. Furius. Adauctu S
L. Furius. Aciliu S
P. Aelius. Victo R
P. Aelius. Ostiensi S

Landesbibliothek Oldenburg

VTO · P · HELVIO · PERTINACE · II · CoS

RR · TABVLARIOR · AVXILIAR · OSTIENSIVM

C. Laecanius. Victorinus
A. Fabius. Trophimu S
T. Aelius. Eutychu S
T. Petronius. Domeſticus
P. Freganius. Auguſtalis
Q. Flauius. Saturninu S
C. Curtius. Oſtienſi S
M. Publicius. Victo R
M. Publicius. Adiutor
C. Fonteius. Felicissimu S
T. Freganius. Auguſtalis. Ivn.
M. Marius. Atullu S
L. Aurelius. Metiochus
P. Aelius. Cornelianus
P. Aelius. Alexander
D. Aufidius. Hyginian V
M. Cornelius. Vitali O
M. Cornelius. Celer
M. Cornelius. Fortunat V V
M. Cornelius. Hilarian
M. Cornelius. Saturnin V
M. Publicius. Fructu S
T. Manlius. Euthiches
M. Cipiu S. Victorin V
M. Curtius. Victo R
C. Numitius. Primitibus
M. Licinius. Hedianu S
C. Iunius. Feli X
T. Aelius. Fortunat V
C. Volumni V. Fortunat V


M. Fabius. Zoticu S
M. Publius. Felicissim V
A. Sergius. Successu S
Q. Septimius. Creſcens
A. Plotius. Herma D o
Q. Vlpius. Succeſſu S
C. Voltilius. Felicissi M S

M. Publicius. Oſtienſis
Sex. Sextilius. Victorinus
M. Publicius. Felicissim V
M. Curtius. Felicissim V
M. Cornelius. Hilarus
M. Cornelius. Epaphra
M. Cipius. Primitiuu S
M. Publicius. Eutyches
M. Segulius. Vitali O
M. Aemilius. Datus
M. Cornelius Karus
P. Nonius. Marcianu V
P. Nonius. Charit O
C. Valerius. Chryſero S
Sex. Cloelius. Dionyſius
M. Aemilius Datu S
M. Mamius. Rufinu S
M. Volumnius. Felicissim
M. Caecilius. Felicissim
M. Freganius. Augustalis. Ivn.
M. Cipius. Frugtoſus
A. Herenuleius. Philetian. Ivn.
Sex. Cloelius. Feli X
C. Fonteius. Zoſimu S
M. Annius. Zefirinu S
M. Annius. Marcianu S
C. Loren Tius. Fortuna Tianu
T. Flauius. Eplu S
T. Flauius. Agrippinus
L. Mucius. Eutyche S
L. Vibius. Callicra Tes
L. Octauius. Eufroſinus
L. Cornelius. Maiu S
C. Curtius. Zenodorus
C. Aelius. Nepo S
P. Sittius. Secundu S
Q. Flauius. Mariu S
Q. Lollius. Fortuna Tus

Sex. Sextilius. Alexander
C. Roſcius. Feli
M. Publicius. Lucrio
M. Cornelius. Firmus
M. Cornelius. Pancarpus
M. Cornelius. Thalamus
M. Cipius. Zosimu S
M. Cipius. Eutyches
C. Cordius. Fortunatus O
Q. Turranius. Datus
L. Furius. Public. Marcellus
C. Volumnius. Succeſſu
M. Cornelius. Zoilu S
Q. Fabius. Maximianus
M. Antonius. Amyntian
Q. Lollius. Symbior S
P. Petronius. Athenio S
P. Publicius. Criſpinus
M. Cornelius. Lucrio
C. Lecanius. Felicissimus
I. Furius. Adiuto
Q. Flauius. Marius. Ivn.
C. Cipius. Victor. Ivn
L. Raecius. Secundus
L. Artorius. Hilarianus
C. Tuccius. Romanus
C. Fabius. Agathobulus
C. Furius. Herennianus
Sex. Aemilius. Maiu
M. Cipius. Victor
Q. Clauius. Fortunatus
D. Octauius. Faustus
L. Critonius. Felicissimus
T. Aelius. Fortunatus. Ivn.
M. Publicius. Floru S
M. Publicius. Glaucus S
M. Malius. Euthyces

T. Furius. Publicius. Marcellinns.
X T. Furius. Publicius. Aristobulus
M. Cornelius Feliciſſim
M. Publicius. Maximianus
I. Seſtius. Eutyche S
T. Flauius. Annianus
S L. Vinicius. Protocelus
L. Valerius. Lucri O
T. Flauius. Creſcentianus
P. Acilius. Phoebion . . .
T. Flauius. Annianus. Ivn.
S L. Aurelius. Agatho
S L. Aurelius. Vitalio
L. Aurelius. Eufra
Q. Fabius. Agathobulus
A Sex. Sextilius. Verus
. . . . . .
M. Curtius. Arria NVs
M. Lollius. Euhodus
L. Valerius. Genialis
R P. Caſſius. Trophimianus
P. Caſſius. Agatho
T. Flauius. Loto S
. . . Pubrestutian V
Sex. Sextilius. Florus. Iulianus
M. Cornelius. Valer. Epagathianus
L. Pan tuleius Vitalio
M. Cornel. Secund. Valerianus
S M. Aemilius. Ireneus
M. Cipius. Men Tarcas Tos
M. Cipius . . . atonicus
C. Furius . . . . erennius
M. . . . enius. Vitanus
M. F . . . nius. Restitutus
S M. C . . . elius. Donatus
M. Cipius, Oſtiens . . .
C. Mezaus. Quetilianus
L. Antonius. Valen ✠ nus

Landesbibliothek Oldenburg



Landesbibliothek Oldenburg

uamus. Tertij, Probemur ijs, quibuscum, apud quosq. uiuamus. Alius, Cum quibus, apud quosq. uiuimus. PRINCIPIO &c. ℈ corporis humani formam honesta specie natura exornauit. FORMAM, *figuram*, ℈ uide Nonium Marcellum. ATQVE *turpem*, ℈ ita duo ex meis. Reliqui, & Tertij, Atque formam. Quidam reponit, Atque foedum. QVI *sana mente sunt*, ℈ nam impudentia omnium rerum pessima est. Fam. lib. v. ep. 12. Qui semel uerecundiae fines transierit, eum bene?, & nauiter oportet esse impudentem. Xenophon, Ἡ ἀναισχυντία μεγίστη ἡγεμὼν ἐπὶ πάντα τὰ αἰσχρὰ εἶναι δοκεῖ. Ideſt, Nihil aeque ad omnem turpitudinem uidetur impellere, atque impudentia. QVODQ. *facere non turpe est*, ℈ quia naturale, & necessarium.

CICERO

NEC *uero audiendi sunt Cynici, aut si qui fuerunt Stoici paene Cynici, qui reprehendunt, & irrident, quod ea, quae turpia re non sunt, uerbis flagitiosa dicamus; illa autem, quae turpia sint, nominibus appellemus suis. Latrocinari, fraudare, adulterari, re turpe est, sed dicitur non obscene; liberis dare operam, re honestum est, nomine obscenum. pluraq. in eam sententiam ab eisdem contra uerecundiam disputantur. Nos autem naturam sequamur, & ab omni, quod abhorret ab ipsa oculorum, auriumq. comprobatione, fugiamus. Status, incessus, sessio, accubatio, uultus, oculi, manuum motus teneant illud decorum. Quibus in rebus duo sunt maxime fugienda, ne quid effeminatum, aut molle; aut, ne quid durum, aut rusticum sit. nec uero histrionibus, oratoribusq. concedendum est, ut ijs haec apta sint, mihi dissoluta. scenicorum quidem mos tãtam habet a uetere disciplina uerecundiam, ut in scena sine subligaculo prodeat nemo. uerentur enim, ne, si quo casu euenerit, ut corporis partes quaedam aperiantur, adspiciantur non decore. nostro quidem more cum parentibus puberes filij, cum soceris quidem generi non lauantur. retinenda est igitur huius generis uerecundia, praesertim natura ipsa magistra, & duce. Cum autem pulchritudinis duo genera sint, quorum in altero uenustas sit, in altero dignitas: uenustatem muliebrem ducere debemus, dignitatem uirilem. Ergo & a forma remoueatur omnis uiro non dignus ornatus, et huic simile uitium in gestu, motuq. caueatur. nam & palaestrici motus saepe sunt odiosiores; & histrionum nonnulli gestus ineptijs non uacant: & in utroque genere, quae sunt recta, & simplicia, laudantur. Formae autem dignitas, coloris bonitate tuenda est; color, exercitationibus corporis. Adhibenda est praeterea munditia, non odiosa, neque exquisitas nimis, tantum quae fugiat agrestem, & inhumanam negligentiam. Eadem ratio est habenda uestitus: in quo, sicut in plerisque rebus, mediocritas optima est. Cauendum est autem, ne aut tarditatibus utamur in gressu mollioribus, ut similes pomparum ferculis esse uideamur; aut in festinationibus suscipiamus nimias celeritates: quae cum fiunt, abeli tus mouentur, uultus mutantur, ora torquentur: ex quibus magna significatio fit, non adesse constantiam. Sed multo etiam magis elaborandum est, ne animi motus a natura recedant: quod assequemur, si cauebimus, ne in perturbationes, atque exanimationes incidamus, & si attentos animos ad decori conseruationem tenebimus. Motus autem animorum duplices sunt, alteri cogitationis, alteri appetitus. cogitatio in uero exquirendo maxime uersatur; appetitus impellit ad agendum. Curandũ est igitur, ut cogitatione ad res quam optimas utamur, appetitum rationi oboedientem praebeamus. Et, quoniam magna uis orationis est, eademq. duplex, altera contentionis, altera sermonis: contentio disceptationibus tribuatur iudiciorum, concionum, senatus; sermo in circulis, disputationibus, congressionibus familiarium uersetur, persequatur etiam conuiuia. contentionis praecepta rhetorum sunt, nulla sermonis. quãquam haud scio, an possint haec quoque esse. sed discentium studijs inueniuntur magistri; huic autem qui studeant, sunt nulli: rhetorum turba referta omnia. quamquam, quae uerborum, sententiarumq. praecepta sunt, eadem ad sermonem pertinebunt. sed, cum orationis iudicem uocem habeamus; in uoce autem duo sequamur, ut clara sit, ut suauis: utrumque omnino a natura petendum est; uerum alterum exercitatio augebit, alterum imitatio presse loquentium, & leniter. Nihil fuit in Catulis, ut eos exquisito iudicio putares uti litterarum, quamquam erant litterati: sed & alij. hi autem optime uti lingua Latina putabantur. sonus erat dulcis: litterae neque expressae, neque oppressae; ne aut obscurum esset, aut nimis putidum. sine contentione uox nec languens, nec canora. uberior oratio L. Crassi, nec minus saceta: sed bene loquendi de Catulis opinio non minor. sale uero conditus, & facetijs Caesar, Catuli patris frater, uicit omnes; ut in ipso illo forensi genere dicendi contentiones aliorum, sermone uinceret. In omnibus igitur his elaborandum est, si in omnibus, quod deceat, exquirimus. Sit igitur hic sermo, in quo Socratici maxime excellunt, lenis, minimeq. pertinax; insit in eo lepos. nec uero, tamquam in possessionem suam uenerit, excludat alios; sed, cum reliquis in rebus, tum in sermone communi, uicissitudine nonnumquam utendum putet. ac uideat in primis, quibus de rebus loquatur; si seijs, seueritatem adhibeat; si iocosis, leporem. in primis proutdeat, ne sermo uitiũ aliquod indicet inesse moribus. quod maxime tum solet euenire, cum studiose de absentibus, detrahendi causſa, aut per ridiculum, aut seuere, maledice, contumelioseq. dicitur.*

EXPLANATIO

CYNICI, ℈ ignominiae cognomen, ἀπὸ τοῦ κυνὸς, quia, obuios quosque admonendo, allatrare uerius, quam alloqui, soliti sunt: uel quod in propatulo cum coniugibus, canum more, coire, ipsis mos fuit. Horum impudentiam accusat D. Augustinus lib. XIV. cap. 20. de Ciu. Dei, & ad Valerium lib. I. cap. 21. contra Iulianum Pelagianum lib. IV. cap. 15. Lactantius lib. III. cap. 15. Lucianus. STOICI *paene Cynici*, ℈ uide epistolam, cuius initium est, Amo uerecundiam, Fam. lib. IX. NOMINE *obscenum*. ℈

scenum. § cum eius operae nomen dicitur. ep. 22. lib. IX. Fam. OCVLORVM, *auriumq.* § de Orat. II. & Plut. in Timaeo. NOSTRO *quidem more* § Valerius lib. IV. cap. I. PVBERES *filij*, § de Or. lib. II. & Plut. in Catone censorio, Capitolinus in Gordiano, Hesiodus. In Oratione pro Cluentio: Quod si potuisset honeste scribere, se in balneis cum id aetatis filio fuisse, non praetermisisset. VENVSTATEM *muliebrem ducere debemus, dignitatem uirilem*. § Sall. Iugurtha: Munditiae mulieribus, uiris labor conuenit. Cic. de nat. de. II. Venustatem magis a Venere, quam Venerem a Venustate nominatam credit; Venerem autem, quod ad eam omnia ueniant. VIRO *non dignus ornatus*, § hinc Diogenes Cynicus adolescenti composito, quippiam roganti, non prius se affirmauit responsurum, quam aperte exploraret, uir ne esset, an mulier. COLOR *exercitationibus corporis*. § Quinctilianus lib. XII. Et lacertos, exercitatione constringere, & augere uires, & colorem trahere, naturale est. Causas reddit Aristoteles in Probl. sect. ult. probl. 3. 4. & 5. POMPARVM *ferculis* § Horatius Sat. lib. I. Sat. 3.

— Saepe uelut qui
Currebat fugiens hostem, persaepe uelut qui
Iunonis sacra ferret.

Vide Adagia, Iunonium ingredi. EXANIMATIONES § pauoris comites. Pauor autem sapientiam omnem ex animo expectorat. ET *si attentos animos* § Euripides:

Μοχθεῖν ἀνάγκη τοὺς θέλοντας εὐτυχεῖν.

MAGNA *uis orationis*, § Euripides Τὴν πειθὼ τύραννον τῶν φρενῶν appellat. Vide Cic. in libris de Oratore, Senecam Ep. lib. V. ep. 38 & Isocratem in Nicocle, & in Panegyrico. QVAMQVAM *haud scio, an possint haec quoque esse*. § Plutarchus in Symposiacis hoc confirmat: Ομιλητικὸς οὐδὲν ἧττον ἢ δικανικὸς ῥήτωρ καὶ συμβουλευτικός. αἱ γὰρ ἕξεις ἔχουσι καὶ εὐμενείας, καὶ συνηγορίας, καὶ ἀπολογίας. πλείστῳ δὲ τῷ ἐπαινεῖν χρώμεθα καὶ τῷ ψέγειν. Et: Ἀνθρώποις μᾶλλον, ὡς τὰ περὶ τὰς ὁμιλίας εὐάρμοστον ἔχουσι, πειθὼ καὶ χάρις ἕπεται προσοῦσα. DISCENTIVM *studijs* § quia honos alit artes. RHETORVM *turba* § de horum officio Quinctilianus lib. 2. cap. I. & 5. De ijs scripsit Suetonius Tranquillus. Eos olim urbe pulsos, scribit Agellius lib. XV. cap. II. QVAE *uerborum, sententiarumq. &c.* § de Orat. III. Omnis ex re, atque uerbis constat oratio. neque uerba sedem habere possunt, si rem subtraxeris; neque res lumen, si uerba submoueris. Quinctil. lib. X. cap. I. ORATIONIS *indicem uocem* § de uoce Cic. de Orat. III. ad Herennium III. Quinctilianus lib. II. VT *clara sit*, § ut exaudiatur, & satis intelligatur oratio. λεῦκος: cui contraria Fusca, apud Quinctilianum. VT *suaues*: § quae leuet audiendi fastidium. IN *Catulis*, § & patre, & filio. de Orat. III. & in Bruto. EXQVISITO *iudicio uti* § esse eruditos prae ceteris. NIMIS *putidum*. § quod fastidium pareret audienti. L. CRASSI, § de Oratore, & in Bruto. SOCRATICI § ex quibus Xenophon. INSIT *in eo lepos*. § lib. II. de Orat. TAMQVAM *in possessionem suam uenerit*, § de Orat. II. In possesione iudicij, ac defensionis meae. Et: In suo regno. Prouerbium sapit. SI *seriis, seuerit atem adhibeat; si iocosis, leporem*. § Isocrates quoque Τὸ ἐπὶ τοῖς γελοίοις σπουδάζειν, καὶ περὶ τὰ σπουδαῖα τοῖς γελοίοις χαίρειν, improbat. NE *sermo uitmiu aliquod indicet ineße moribus*. § Euripides queritur, quod

Οὐδεὶς χαρακτὴρ ἐμπέφυκε σώματι,
ᾧ χρὴ τὸν ἐσθλὸν τοῦ κακοῦ διειδέναι.

Plutarchus Symposiacon lib. III. narrat, Simonidem poetam hospiti cuidam, in conuiuio accumbenti, & cum nemine colloquenti, dixisse: Si stultus es, sapienter facis; si sapiens, stulte. nam inscitiam celare praestat. STVDIOSE § dedita opera. DE *absentibus*, § nam inter praesentes linguae mutuo metu continentur, ut ait Tacitus. Terentius: Qui, quae uoluerit, dixerit, ea, quae non uolet, audiet. Isocrates quoque: Οἱ ἀπαίδευτοι οὓς ἂν τοῖς λόγοις λυπήσωσι, τούτοις πολλάκις αὐτοῖς ἴσοις ἔργοις μεγάλας τὰς τιμωρίας ἔδωσαν. DETRAHENDI *caussa*, § ad imminuendam alterius existimationem, aut gratiam. PER *ridiculum, aut seuere*, § siue ioco, siue serio.

CICERO

HABENTVR *autem plerumque sermones aut de domesticis negotijs, aut de rep. aut de artium studijs, & doctrina. danda igitur opera est, ut, etiam si aberrare ad alia coeperit, ad haec reuocetur oratio; sed utcumque aderunt res. neque enim ijsdem de rebus, nec omni tempore, nec similiter delectamur. Animaduertendum est etiam, quatenus sermo delectationē habeat, &, ut incipiendi ratio fuerit, ita sit desinendi modus. Sed, quo modo in omni uita rectissime praecipitur, ut perturbationes fugiamus, ideſt motus animi nimios, rationi non obtemperantes: sic eiusmodi motibus sermo debet uacare: ne aut ira exsistat; aut cupiditas aliqua, aut pigritia, aut ignauia, aut quid tale appareat. maximeq. curandum est, ut eos, quibuscum sermonem conferimus, & uereri, & diligere uideamur. Obiurgationes etiam nonnumquam incidunt necessariae: in quibus utendum est fortasse & uocis contentione maiore, & uerborum grauitate acriore. Id agendum etiam, ut ea facere ne uideamur irati, sed, ut ad urendum, & secandum, sic nos ad hoc genus castigandi raro, inuitiq. ueniamus, nec umquam, nisi necessario, si nulla reperietur alia medicina: sed tamen ira procul absit, cum qua nihil recte fieri, nihil considerate potest. Magna autem parte, clementi castigatione licet uti, grauitate tamen adiuncta, ut seueritas adhibeatur, & contumelia repellatur. Atque etiam illud ipsum, quod acerbitatis habet obiurgatio, significandum est, ipsius caussa, qui obiurgetur, susceptum esse. Rectum est autem, etiam in illis contentionibus, quae cum inimicissimis fiunt, etiam si nobis indigna audiamus, tamen grauitatem retinere, iracundiam*

repelle-

repellere. quae enim cum aliqua perturbatione fiunt, ea neque constanter fieri possunt, nec ab ijs, qui adsunt, approbari. Deforme etiam est, de se ipso praedicare, falsa praesertim, & cum irrisione audientium, imitari militem gloriosum. Et, quoniam omnia persequimur, uolumus quidem certe; dicendum est etiam, qualem hominis honorati, & principis domum placeat esse. cuius finis est usus: ad quem accommodanda est aedificandi descriptio: & tamen adhibenda dignitatis, commoditatisq. diligentia. Cn. Octauio, qui primus ex illa familia consul factus est, honori fuisse accepimus, quod praeclaram aedificasset in Palatio, & plenam dignitatis domū: quae cum uulgo uiseretur, suffragata domino, nouo homini, ad consulatum putabatur. hanc Scaurus demolitus, accessionem adiunxit aedibus. itaque ille in suam domum consulatum primus attulit; hic, summi, & clarissimi uiri filius, in domum multiplicatā nō repulsam solum retulit, sed ignominiam, & calamitatem. ornāda est enim dignitas domo, non ex domo dignitas tota quaerenda; nec domo dominus, sed domino domus honestanda est. Et, ut in ceteris habenda ratio non sui solum, sed etiam aliorum, sic in domo clari hominis, in quam & hospites multi recipiendi, & admittenda hominum cuiusque generis multitudo, adhibenda est cura laxitatis: aliter ampla domus dedecori domino saepe fit, si est in ea solitudo, & maxime, si aliquando alio domino solita est frequentari. odiosum est enim, cum a praetereuntibus dicitur:

— o domus
Antiqua, quam domino dominaris dispari.

quod quidem, his temporibus, in multis licet dicere. Cauendum est etiam, praesertim si ipse aedifices, ne extra modum sumptu, & magnificentia prodeas. quo in genere multum mali etiam in exemplo est. studiose enim plerique, praesertim in hac parte, facta principum imitantur: ut L. Luculli, summi uiri, uirtutem, quis ſquā multi uillarum magnificentiam imitatiſ sunt? quarum quidem certe est adhibendus modus, ad mediocritatem reuocandus: eademq. mediocritas ad communem usum, cultumq. uitae referenda est. Sed haec hactenus.

EXPLANATIO

DOMESTICIS *negotijs*, ſ de quibus Xenophon in Oeconomico. DE *rep.* ſ de qua Plato, & Cicero. DE *artium studijs*, ſ ut Ciceronis libri de Oratore, & Gorgias Platonis. ABERRARE ſ minus caute. VTCVMQVE *aderunt res*. ſ aut ego hebes plane sum, aut hic locus mendo uacat. quod satis ostendunt ea, quae sequuntur. Habenda est, inquit, rerum ratio. non enim ij, qui audiunt, ijsdem rebus delectantur: aut, si delectantur, non omni tempore: aut, si omni tempore, non similiter. huiusmodi igitur si res aderunt: ut res se dabunt: opera danda non erit, ut ad eas, aberrare si coeperit, oratio reuocetur. Nam, quod alij, ueterum librorum testimonio, uerbum, Res, delent: ego, omnium meorum, & Tertij, testimonio, idem uerbum, comprobante sententia, retineo. IISDEM *de rebus*, ſ septem Iisdem rebus. NEC *omni tempore*, ſ nam alias aliter affecti sumus. Homerus. quem Cicero uertens:

Tales sunt hominum mentes, quali pater ipse
Iuppiter auctiferas lustrarit lampade tecras.

NEC *similiter* ſ alij magis, alij minus. ANIMADVERTENDVM *&c.* ſ modus in sermone. DESINENDI *modus.* ſ ne audias, Manum de tabula. SED, *quo modo* ſ sic emendaui, ex uet. undecim, & Tertij. antea. Quoniam. IRA *exsistat*; ſ emineat, appareat, animaduertatur. CVPIDITAS *aliqua*, ſ praua scilicet & iniusta. PIGRITIA, ſ fuga honesti, & necessarij laboris. IGNAVIA, ſ timidus, & degener animus, honesta pericula reformidans. VERERI, ſ ne superbi, & impudentes. DILIGERE ſ ne barbari, & inhumani existimemur. OBIVRGATIONES ſ Plautus Trinummo: Nae amicum castigare ob meritam noxiam, immane est facinus, uerum in aetate necessarium. Vide Plut. de discrimine adulatoris, & amici. Homerus quoque Il. a.

Ἀγαθὴ δὲ παραίφασις ἐστιν ἑταίρου.

NECESSARIAE: ſ ob hominum iniuriam, & petulantiam. VT *ea facere ne uideamur irati*, ſ male alij negantem particulam tollunt, quae est in omnibus meis. Notant autem illud Isocratis in Nicoclem: Ποίει μηδὲν μετ' ὀργῆς: δόκει δὲ τοῖς ἄλλοις, ὅταν σοὶ καιρὸς ᾖ. Et Quinctilianum aiunt dicere, Oratorem irasci non decere, simulare non dedecere. VT *ad urendum, & secandum*, ſ Ouidius: Metam. 1.

Cuncta prius tentanda: sed immedicabile uulnus
Ease recidendum est, ne pars sincera trahatur.

RARO, ſ si licebit. nam crebro peccantes crebro etiam puniendi. Euripides Hippolyto:

Ὀλοίσθε μισῶν δ' οὔποτ' ἐμπλησθήσομαι
Τωμᾶικας: οὐδ' εἰ φησί τις μ' ἀεὶ λέγειν.
Ἀεὶ γὰρ οὖν πως εἰσὶ κακεῖναι κακαί.

INVITIO. ſ nobis enim ipsis, & alijs molesti sumus. SED *tamen* ſ Tamen, dicit, quia repetit idem, quod dixerat, Ea facere ne uideamur irati. IRA *procul absit*, ſ Virg.

— Furor, iraq. mentem
Praecipitant.

Vide Cic. ad Q. fr. lib. 1. ep. 3. MAGNA *autem parte*, ſ ita ueteres omnes libri, & Tertij: duobus exceptis, in quibus, Magna ex parte. quod minus probo. potius legi posset, si mutationi locus detur, cum alijs, Magnam partem. de quo loquendi genere alibi diximus. SEVERITAS *adhibeatur*, ſ contra Horatius:

— ridentem dicere uerum
Quid uetat? —

Et

Et Persius:

Omne uafer uitium ridenti Flaccus amico
Narrat, & admissus circum praecordia ludit.

CONTVMELIA *repellatur*. § conuicia indigna homine ingenuo. nam, qui quid gesit, quod minus deceat, si reprehendatur, non aegre ferre debet. Sophocles:

Ουκ ἐς' ἀπ' ἔργων μὴ καλῶν ἔπη καλά.

Et Euripides:

Επεὶ ἐτόλμασ τά μὴ δίκαια, τλῆθι καὶ τὰ μὴ φίλα.

GRAVITATEM *retinere*, § in quo maximo nobis adiumento sunt litterarum studia. Euripides:

Τὰς ἐμφύτους, ὀρθῶς τε παγείσας φρένας
Ουδεὶς ἐπαύρει καιρὸς ἐξαμαρτάνειν.

Idest: Natura insitam, & probe firmatam prudentiam, nullum tempus impellit ad delinquendum: improbitati autem nihil deest praeter occasionem.

AB *ijs, qui adsunt, approbari*. § Ab, non est in decem meis, & Tertij. in uno superadditum. Probari, in sex, & Tertij. FALSA *praesertim*, § quid autem magis uanum? Plutarchus in libro περὶ τοῦ ἑαυτὸν ἐπαινεῖν ἐν ἐπιφθόνῳ, ait, suarum laudum comitem esse aliorum reprehensionem, & inanis iactantiae finem ignominiam. MILITEM *gloriosum*. § Thrasonem Terentianum, & Pyrgopolinicem Plautinum. OMNIA § quae ad officiorum rationem pertinent. VOLVMVS *quidem certe*; § arrogantiam uitat. in quam incidit, qui profitetur, ut ait Isocrates, τὸ μηδὲν παραλιπεῖν τῶν ἐνόντων ἐν τοῖς πράγμασιν, nihil omittere eorum, quae rebus insunt. CN. OCTAVIO, § consuli cum Torquato, anno ab v. c. DXXCIIX. IN *Palatio*, § quo loco nunc sunt horti Farnesiani, Palatini quoque dicti. Dictum autem a Palanto, urbe Arcadiae, unde Euander uenit. NOVO *homini*, § nouum dicit, cuius familia fuerat a Numa ciuitate donata: sed ideo noua, quod ante id tempus nullum magistratum populi suffragio datum gesserat. SCAVRVS § cuius domus in Palatio quoque fuit. De eius magnificentia uide Plinium lib. XXXVI. cap. 15. ACCESSIONEM *adiunxit aedibus*. § aedes suas, domum Cn. Octauij demoliendo, maiores effecit. PRIMVS *attulit*: § ita emendauimus, ex omnibus antiquis libris. antea, Intulit. REPVLSAM § in petitione consulatus. atque etiam de ambitu damnatus est. uide epist. ad Q. fratrem. IGNOMINIAM, § nam, L. Sullae in Sicilia quaestor, repetundarum damnatus. CALAMITATEM. § quia suapte sponte exsulauit. DIGNITAS *domo*, § Dignitas, idest, ornamentum. Ex *domo dignitas tota* § idest, nominis existimatio. HABENDA *ratio non sui solum, sed etiam aliorum*, § Euripides:

Ως ὁ δίκαιος τοῖς πέλας πέφυκ' ἀνήρ.

Idest: Vir bonus alijs est natus.

— o domus
Antiqua, quam domino dominaris dispari. § ex uetere poeta. Est autem, O domus, senarij finis. integer uero senarius, id, quod sequitur. Quod autem uerborum ordinem mutauimus, fecimus id auctoritate adducti ueteris libri Cardinalis optimi, liberaliumq. omnium disciplinarum intelligentia ornatissimi, litteratorumq. Maecenatis, GVLIELMI. SIRLETTI; & alterius Iulij Galli, Romani. ipsa praesertim comprobante ratione metri. In decem meis ante, Quam, legitur, Heù: in duobus est, Et heu, quam &c. in Tertij, Et quam &c. Dominare, in quinque, & Tertij. In tribus, & Tertij, Quam disp. dominare domino. Cic. Phil. II. O tecta ipsa misera, quam dispari domino. quamquam, quo modo iste dominus? sed tamen quam a dispari tenebantur. IN *multis licet dicere*. § in multis Caesarianis, Pompeianas aedes, nullo alio, quam uictoriae, iure, habitantibus. occupauit autem ipsius Pompeij Magni domum M. Antonius, qui postea III uir fuit. Phil. II. Eas uoces, In multis, alij sine caussa delent. sunt quidem in omnibus meis libris, & Tertij. in tribus, In multos. MVLTVM *mali etiam in exemplo est*. § hinc distichon illud Graecum:

Σώματα πολλὰ τρέφειν, καὶ δώματα πολλὰ ἀνεγείρειν,
Ατραπὸς εἰς πενίην ἐστὶν ἐτοιμοτάτη.

Idest: Multas aedificare domos, & pascere multos,
Est ad pauperiem semita certa quidem.

Aedificiorum frugalitatem in Milciade, & Aristide laudat Demost. Olynth. III. L. LVCVLLI, *summi uiri, uirtutem* § uide Plutarchum, in eius uita, Cic. in Acad. & pro lege Manilia, Velleium Paterculum lib. II. epit. Liu. XCIV. & XCV. Florum lib. III. cap. 5. Appianum in Mithridatico, Orosium lib. VI. QVAM *multi* § Tertij liber, Ad quam multi. Quod si recipiatur, mutandum erit in At. VILLARVM *magnificentiam* § de Luculli hortis sumptuosissimis Plutarchus. Eius in aedificando profusionem uide apud Varr. de re rust. III. IMITATI *sunt*? § Sunt, abest a duobus ueteribus libris, & Tertij.

CICERO

IN *omni autem actione suscipienda, tria sunt tenenda: primum, ut appetitus rationi pareat; quo nihil est ad officia conseruanda accommodatius: deinde, ut animaduertatur, quanta illa res sit, quam efficere uelimus; neu minor, ne ue maior cura, & opera suscipiatur, quam caussa postulet: tertium est, ut caueamus, ut*

ea, quae pertinent ad liberalem speciem, & dignitatem, moderata sint. modus autem est optimus, decus ipsum tenere, de quo ante diximus, nec progredi longius. horum autem trium praestantissimum est, appetitum obtemperare rationi. Deinceps de ordine rerum, & temporum opportunitate dicendum est. hac autem scientia continetur ea, quam Graeci εὐταξίαν nominant, non banc, quã interpretamur modestiam; quo in uerbo modus inest. sed illa est εὐταξία, in qua intelligitur ordinis conseruatio. itaque, ut eandem nos modestiam appellemus, sic definitur a Stoicis, ut modestia sit scientia earum rerum, quae agentur, aut dicentur, loco suo collocandarum. itaque uidetur eadem uis ordinis, & collocationis fore. nam & ordinem sic definiunt, compositionem rerum aptis, & accommodatis locis: locum autem actionis, opportunitatem temporis esse dicunt. tempus autem actionis opportunum, graece εὐκαιρία, Latine appellatur occasio. sic fit, ut modestia haec, quam interpretamur ita, ut dixi, scientia sit oportunitatis idoneorum ad agendum temporum. sed potest eadem esse prudentiae definitio: de qua principio diximus: hoc autem loco de moderatione, & temperantia, & harũ similibus uirtutibus quaerimus. itaque, quae erant prudentiae propria, suo loco dicta sunt; quae autem harum uirtutum, de quibus iamdudum loquimur, quae pertinent ad uerecundiam, & ad eorum approbationem, quibuscum uiuimus, nunc dicenda sunt.

EXPLANATIO

PRAESTANTISSIMVM ʃ nam est ueluti caussa efficiens eorum, quae sequuntur. VT *eandem nos modestiam appellemus*, ʃ Scientiae definitio. POTEST *eadem esse prudentiae definitio.* ʃ non prorsus. prudentiae enim definitio latius, quam ad locum, tempus ue se extendit, ut quae in uniuersum de rebus bonis, & malis iudicat.

CICERO

TALIS *est igitur ordo actionum adhibendus, ut, quemadmodum in oratione constãti, sic in uita omnia sint apta, & inter se conuenientia. turpe est enim, ualdeq. uitiosum, in re seuera conuiuio dignum, aut delicatum aliquem inferre sermonem. Bene Pericles, cum haberet collegam in praetura Sophoclem; hiq. de communi officio conuenissent; & casu formosus puer praeteriret; dixissetq. Sophocles, o puerum pulchrum, Pericle, praetorem, Sophocle, decet, non solum manus, sed etiam oculos abstinentes habere. atque hoc idem Sophocles, si in athletarum approbatione dixisset, iusta reprehensione caruisset. tanta uis est & loci, & temporis. ut, si quis, cum caussam sit acturus, in itinere, aut in ambulatione secum ipse meditetur, aut si quid aliud attentius cogitet; non reprehendatur: at, hoc idem si in conuiuio faciat, inhumanus uideatur insciti temporis. Sed ea, quae multum ab humanitate discrepant, ut si quis in foro cantet, aut si qua est alia magna peruersitas, facile apparent, nec magnopere admonitionem, & praecepta desiderant: quae autem parua uidentur esse delicta, neque a multis intelligi possunt, ab his est diligentius declinandum. ut in fidibus, aut in tibijs, quamuis paullum discrepent, tamen id a sciente animaduerti solet: sic uidendum est in uita, ne forte quid discrepet; uel multo etiam magis, quo maior, & melior actionum, quam sonorum, concentus est. itaque, ut in fidibus musicorum aures uel minima sentiunt: sic nos, si acres, ac diligentes iudices esse uolumus, animaduersoresq. uitiorum, magna intelligimus saepe ex paruis. ex oculorum obtutu, superciliorum aut remissione, aut contractione, ex maestitia, ex hilaritate, ex risu, ex locutione, ex reticentia, ex contentione uocis, ex summissione, ex ceteris similibus facile iudicabimus, quid apte eorum fiat, quid ab officio, naturaq. discrepet. quo in genere non est incommodum, quale quodque eorum sit, ex alijs iudicare; ut, si quid dedeceat in illis, uitemus & ipsi. fit enim nescio quo modo, ut magis in alijs cernamus, quam in nobismet ipsis, si quid delinquitur. itaque facillime corriguntur illi in discendo, quorum uitia imitantur emendandi caussa magistri. Nec uero alienum est, ad eligenda, quae dubitationẽ afferunt, adhibere doctos homines, uel etiam usu peritos, &, quid his de uno quoque genere officij placeat, exquirere. maior enim pars eo fere deferri solet, quo a natura ipsa deducitur. in quibus uidendum est, non modo, quid quisque loquatur, sed etiam, quid quisque sentiat, atque etiam, qua de caussa quisque sentiat. ut enim pictores, & ij, qui signa fabricantur & uero etiã poetae suum quisque opus a uulgo considerari uult; ut, si quid reprehensum sit a pluribus, id corrigatur; hiq. & secum, & cum alijs, quid in eo peccatum sit, exquirunt: sic aliorum iudicio permulta nobis & facienda, & non facienda, & mutanda, & corrigenda sunt. Quae uero more aguntur, & institutis ciuilibus, de his nihil est praecipiendum. illa enim ipsa praecepta sunt; nec quemquam hoc errore duci oportet, ut, si quid Socrates, aut Aristippus contra morem, consuetudinemq. ciuilem fecerint, locuti ue sint, idem sibi arbitrentur licere. magnis illi, & diuinis bonis hanc licentiam assequebantur. Cynicorum uero ratio tota est eijcienda: est enim inimica uerecundiae, sine qua nihil rectum esse potest, nihil honestum. Eos autem, quorum uita perspecta in rebus honestis, atque magnis est, bene de rep. sentientes, ac bene meritos, aut merentes, aliquo honore, aut imperio affectos, obseruare, & colere debemus; tribuere etiam multum senectuti; cedere ijs, qui magistratum habebunt; habere delectum ciuis, & peregrini; in ipso quoque peregrino, priuatim ne, an publice uenerit: ad summam (ne agam de singulis) communem totius generis hominum conciliationem, & consociationẽ colere, tueri, seruare debemus.*

EXPLANATIO

APTA, ⁊ connexa, cohaerentia, colligata. Virgilius:

-- ubi maximas Atlas
Axem humeris torquet, ſtellis ardentibus aptum.

TVRPE *eſt enim*, ⁊ contra, ait Cicero, 2. de Orat. peccare, ſi quis tragoedias in nugis agat. PERICLES, ⁊ Anaxagorae phyſici auditor. Hoc autem dictum non Pericli, ſed Iſocrati, Plutarchus tribuit in ipſius Iſocratis uita. Vide & Plut. in Pericle, & Valer. lib. IV. cap. de Continentia. *O puerum pulchrum*, ⁊ Agellius lib. XV. cap. 12. ſcribit, Gracchum, ex Sardinia reuerſum, cum pudicitiam ſuam cenſoribus commendaret, pueros eximia facie ante ſe ſtetiſſe negaſſe. SI *in athletarum approbatione dixiſſet*, ⁊ nudis enim corporibus athletae certabant, ut, ſi uiderentur robuſti, a praetoribus probarentur. Antiqui libri ſex, & Tertij, Probatione. IVSTA *reprehenſione caruiſſet*. ⁊ nam oratio actioni fuiſſet conſentanea. TANTA *uis eſt & loci, & temporis*. ⁊ ut nec omnia, nec paſſim, nec ab omnibus. IN *conuiuio* ⁊ unde lex illa, Ἢ πίθι, ἢ ἄπιθι, Aut bibe, aut abi. SI *quis in foro cantet*, ⁊ quo modo Lycurgus furorem ſimulauit. VT *in fidibus* ⁊ aptiſſima comparatio. nam uita hominum ἁρμονία eſt. OCVLORVM *obtutu*, ⁊ nam oculi ſunt in amore duces. & uultus tacitus eſt animi ſermo. uide Cic. in Piſonem, & Agellium lib. XIII. cap. 24. SVPERCILIORVM *aut &c. aut &c.* ⁊ uide Plin. lib. XI. cap. 36. QVID *apte eorum fiat*, ⁊ Martialis:

Cirne ruber: niger ore: breuis pede: lumine laeſus:
Rem facis egregiam, Zoile, ſi bonus es.

EX *alijs iudicare*; ⁊ Terent. Heaut. act. I. ſc. 2.

Scitum eſt, periclum ex alijs facere, tibi quod ex uſu ſiet.

Plautus: Feliciter is ſapit, qui periculo alieno ſapit.
Horatius: Felix, quem faciunt aliena pericula cautum.
Tibullus lib. III. -- felix, quicumque, dolore
Alterius, diſces poſſe carere tuo.

MAGIS *in alijs cernamus, quam in nobiſmetipſis, ſi quid delinquitur*. ⁊ Horatius:

Cum tua peruideas oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum uitijs tam cernis acutum,
Quam aut aquila, aut ſerpens Epidaurius?

VT *enim pictores*, ⁊ maxime Apelles. uide Plinium lib. XXXV. cap. 10. Hinc illud, Ne ſutor ultra crepidam. SIGNA *fabricantur*, ⁊ ita eſt in ueteribus ſeptem, & Tertij. ET *uero etiam poetae* ⁊ omnes ueteres, Et ueri etiam poetae. Tertij excepto. *A pluribus*, ⁊ Euripides:

Ὡσπερ μίας χειρὸς ἀσθενὴς μάχη, οὕτως εἷς ἀνὴρ οὐ πάνθ ὁρᾷ.

Ideſt: Vt unius manus infirma pugna eſt, ſic unus uir non omnia uidet.

SIC *aliorum iudicio* ⁊ modo ijs probari uelimus; &, quid alij de nobis exiſtiment, non contemnamus. SOCRATES, *aut Ariſtippus* ⁊ hoc eſt, incorruptiſſimus quiſque. MAGNIS, *& diuinis bonis* ⁊ uirtutibus excellentibus, eruditione eximia. CYNICORVM ⁊ quorum princeps Diogenes. TRIBVERE *etiam multum ſenectuti*; ⁊ propter uſum rerum, aetate partum; & quod iunioribus parentum loco ſint. CEDERE *ijs, qui magiſtratum habebunt*; ⁊ & propter poteſtatem, & propter publicam auctoritatem, qua eſt inferior priuata cuiuſque dignitas. HABERE *delectum ciuis, & peregrini*; ⁊ nam erga ciues officioſi eſſe debemus, peregrini autem ſunt honore afficiendi. PRIVATIM *ne, an publice uenerit*: ⁊ nam, ſi legatus, maior ei tribuendus eſt honor. legati enim iure gentium ſacroſancti. de quibus ſupra a nobis eſt dictum.

CICERO

IAM, *de artificijs, & quaeſtibus, qui liberales habendi, qui ſordidi ſint, haec fere accepimus. Primum improbantur ij quaeſtus, qui in odia hominum incurrunt, ut portitorum, & feneratorum. illiberales autem, & ſordidi quaeſtus mercenariorũ omnium, quorum operae, non quorum artes, emuntur. eſt enim in illis ipſa merces auctoramentum ſeruitutis. Sordidi etiam putandi, qui mercantur a mercatoribus, quod ſtatim uendant. nihil enim proficiunt, niſi admodum mentiantur. Nec uero quidquam eſt turpius uanitate: opificesq. omnes in ſordida arte uerſantur. nec uero quidquam ingenuum poteſt habere officina: minimeq. artes probandae, quae miniſtrae ſunt uoluptatum; cetarij, lanij, coqui, ſartores, piſcatores, ut ait Terentius: adde his, ſi placet, unguentarios, ſaltatores, totumq. ludum talarium. Quibus autem artibus aut prudentia maior ineſt, aut non mediocris utilitas quaeritur, ut medicina, architectura, ut doctrina rerum honeſtarum; hae ſunt ijs, quorum ordini cõueniunt, honeſtae. Mercatura autem, ſi tenuis eſt, ſordida putanda eſt; ſin magna, & copioſa, multa undique apportans, multisq. ſine uanitate impartiens, non eſt admodum uituperanda: atque etiam, ſi ſatiata quaeſtu, uel contenta potius, ut ſaepe ex alto in portum, ſic ex ipſo portu ſe in agros, poſſeſſionesq. contulerit, uidetur iure optimo poſſe laudari. Omnium autem rerum, ex quibus aliquid exquiritur, nihil eſt agricultura melius, nihil uberius, nihil dulcius, nihil homine libero dignius. de qua quoniam in Catone Maiore ſatis multa dicimus, illinc aſſumes, quae ad hunc locum pertinebunt. Sed ab ijs partibus, quae ſunt honeſtatis, quemadmodum officia ducerentur,*

rentur, satis expositum uidetur. Eorum autem ipsorum, quae honesta sunt, potest incidere saepe contentio, & comparatio, de duobus honestis utrum honestius: qui locus a Panaetio est praetermissus. nam, cum omnis honestas manet a partibus quattuor, quarum una sit cognitionis, altera communitatis, tertia magnanimitatis, quarta moderationis: hae in deligendo officio saepe inter se comparentur, necesse est. placet igitur, aptiora esse naturae ea officia, quae ex communitate, quam ea, quae ex cognitione, ducantur. idq. hoc argumento confirmari potest, quod, si contigerit ea uita sapienti, ut omnium rerū affluētibus copijs ditetur; quāuis omnia, quae cognitione digna sunt, summo otio secum ipse consideret, & contempletur, tamen, si solitudo tanta sit, ut hominem uidere non possit, excedat e uita. Princeps q. omnium uirtutum est illa sapientia, quam σοφίαν Graeci uocant. prudentiam enim, quam Graeci φρόνησιν dicunt, aliam quandam intelligimus, quae est rerum expetendarum, fugiendarumq. scientia: illa autem sapientia, quam principem dixi, rerum est diuinarum, atque humanarum scientia: in qua continetur deorum, & hominum communitas, & societas ipsorum inter ipsos. ea si maxima est, ut certe; necesse est, quod a communitate ducatur officium, id esse maximum. etenim cognitio, contemplatioq. naturae manca quodam modo, atque inchoata sit, si nulla actio rerum consequatur. ea uero actio in hominum commodis tuendis maxime cernitur. pertinet igitur ad societatem generis humani. ergo haec cognitioni anteponenda est. atque id optimus quisque re ipsa ostendit, & iudicat. quis est enim tam cupidus in perspicienda, cognoscendaq. rerum natura, ut, si ei, tractanti, contemplantiq. res cognitione dignissimas, subito sit allatum periculum, discrimenq. patriae, cui subuenire, opitulariq. possit, non illa omnia relinquat, atque abijciat, etiam si dimunerare se stellas, aut metiri mundi magnitudinem posse arbitretur? atque hoc idem in parentis, in amici re, aut periculo fecerit. Quibus rebus intelligitur, studijs, officijsq. scientiae praeponenda esse officia iustitiae, quae pertinet ad hominum utilitatem: qua nihil homini debet esse antiquius.

EXPLANATIO.

LIBERALES] libero homine non indigni. SORDIDI] seruiles. IN *odia hominum incurrunt*,] Aristoteles τὴν ὀλοσατικὴν dignam odio dixit, lib. 1. Pol. cap. 7. Εὐλογώτατα μισεῖται ἡ ὀλοσατική. &c. PORTITORVM,] Charontem Portitorem Tibullus appellat:

Tendimus huc omnes: omnes exspectat auarus
Portitor, & Stygiae nauita puppis aquae.

ET *feneratorum*.] sic quinque ueteres libri. Tres, Aut. Quinque, & Tertij, Vt. Vnus non habet. SORDIDI *quaestus mercenariorum*] Ar. lib. Pol. 1. cap. 7. Τρίτον δὲ μισθαρνία &c. TVRPIVS *uanitate*:] mendacio. Homerus: Κακὸν δ' ἀνεμώλια βάζειν.

Turpius uanitate: opificesq. omnes: antiquus liber, Turpius uanitate opificum, qui omnes. NEC *uero*] Nec enim, octo libri, & Tertij. QVID QVAM *ingenuum*] unus, Ingenui. OFFICINA:] unus, Opificina: quo uerbo usus est & Plautus Mil. glorioso: Si in ea opificina nesciam aut mala esse, aut fraudulenta. CETARII, *lanij, coqui, fartores, piscatores*,] In Terentio ita legitur;

Concurrunt laeti mi obuiam cupedinarij omnes,
Cetarij, lanij, coqui, fartores, piscatores.

Cetarij: Cetarij sunt, ait Donatus, qui cete, idest magnos pisces uenditant, & bolonas exercent. Nonius uero sic: Cetarij, genus est piscatorum, quod maiores pisces capit: dictum ab eo, quod Cete in mari maiora sunt piscium genera. quod Virgilius, Immania cete. Varro Γνῶθι σεαυτὸν: Non animaduertis cetarios, cum uidere uolunt in mari thunnos, adscendere in malum alte, ut penitus per aquam perspiciant pisces. *Lanij*: Donato, qui laniant pecora: unde & Lanistae dicti, qui laniandis praesunt gladiatoribus. Sic & Macellum a mactandis pecoribus dictum. Ex quo Seneca lib. x. epist. Lignum, quod ad emundanda obscena, adhaerente spongia, positum est, totum in gulam farsit, &, praeclusis faucibus, spiritum emisit. Festus: Fartores, nomenclatores, qui clam uelut infarcirent nomina salutatorum in aurem candidati. *Fartores*: Donato, qui insitia, & farcimina faciunt. *Piscatores*: eidem, qui recentem piscem praebent.

Cetarij, lanij, coqui, fartores, piscatores: Plautum uidetur imitatus Terentius, eius haec sunt, Trinummo:

Le. quid factum est eo?
St. Comesum, expotum, exsutum, elotum in balneis,
Piscator, pistor abstulit: lanij, coqui,
Holitores, myropolae, aucupes. confit cito,
Quasi tu obijcias formicis papauerem.

VT *ait Terentius*:] Eunucho, act. 2. sc. 2. VNGVENTARIOS,] hos urbe expulsos a Lacedaemonijs, scribit Seneca nat. quaest. lib. IV. Nominantur & Vnguentarij in ueteribus lapidibus.

Romae, apud Atilium Delphinium

FAVSTVS . PO . . . .
INSTITOR . VNGVEN

Venusij, Apuliae opidi, in Templo Annunciatae.

. . . . . .
CL . PHI
LARGYRO . VN
GENTAR IO
ISQ. FAMILIAM
SVAM . MANVMISIT
PECVNIAMQ.
LEGAVIT

SALTATORES, § scenicos. TOTVMQ. *ludum talarium.* § de talorum iactu quaedam dixit Pater Fam. lib. 1. ep. 7. Sed plura Thomas Leonicus in dialogo, quem hac de re scripsit. DOCTRINA *rerum honestarum*; § idest, munus docendi honestas artes. Ita in lib. de Sen. SATIATA *quaestu*, § nam cupiditatis sitis inexplebilis. VEL *contenta potius*, § correctio opportuna. Hinc Lucanus:

Semper inops, quicumque cupit.

NIHIL *est agricultura &c.* § Hinc Horatius:

Beatus ille, qui, procul negotijs,
Vt prisca gens mortalium,
Paterna rura bobus exercet suis,
Solutus omni fenore.

Et Virgilius:

O fortunatos nimium, sua si bona norint,
Agricolas.

NIHIL *homine libero dignius.* § Tertij liber, Nihil homine, nihil libero dignius. VNA § prudentia. ALTERA § iustitia. TERTIA § fortitudo. QVARTA § temperantia. PRINCEPSQ. *omnium uirtutum est illa sapientia, quam σοφίαν Graeci uocant.* § Plato: Ἡ σοφία πάσης ἀρετῆς τὸ μέγιστον μέρος: Sapientia omnis uirtutis maxima pars. PRVDENTIAM § In Rhetoricis: Prudentia est rerum bonarum, & malarum, & utrarumque scientia. Et apud Platonem inducitur ἡγεμὼν τοῦ ὀρθῶς πράττειν. RERVM *est diuinarum, atque humanarum scientia:* § Tusc. IV. ETENIM *cognitio*, § Plato Prudentiam iustitiae expertem Calliditatem esse dicit. Vide & Senecam lib. II. de beata uita. SI *nulla actio rerum consequatur.* § uirtus enim in actione consistit. DINVMERARE *stellas*, § ut Eudoxus Cnidius. METIRI *mundi magnitudinem* § ut Archimedes: qui, in communi periculo, suis pulueribus fuit intentus.

CICERO

ATQVE *illi, quorum studia, uitaq. omnis in rerũ cognitione uersata est, tamen ab augendis hominum utilitatibus, & commodis non receßerunt. nam & erudierunt multos, quo meliores ciues, utilioresq. rebus & suis & publicis essent; ut Thebanũ Epaminũdã Lysis Pythagoreus, Syracusium Dionem Plato, multiq. multos: nosq. ipsi, quidquid ad remp. attulimus, (si modo aliquid attulimus) a doctoribus, atque doctrina instructi ad eam, & ornati accessimus. neque solũ uiui, atque praesentes studiosos discendi erudiunt, atque docent, sed hoc idem etiam post mortem monumentis litterarum assequuntur. nec enim locus ullus praetermissus est ab ijs, qui ad leges, qui ad mores, qui ad disciplinam reip. pertineret, ut otium suum ad nostrum negotium contulisse uideantur. ita illi ipsi, doctrinae studijs, & sapientiae diditi, ad hominum utilitatem suam sapientiam, prudentiam, intelligentiamq. potissimum conferunt. Ob eam etiam causßam, eloqui copiose, modo prudenter, melius est, quam uel acutissime sine eloquẽtia cogitare: quod cogitatio in se ipsa uertitur; eloquentia uero complectitur eos, quibuscum communitate iuncti sumus. atque, ut apũ examina nõ, fingendorum fauorum causßa, congregãtur; sed, cum congregabilia natura sint, fingunt fauos: sic homines, ac multo etiam magis, natura congregati, adhibẽt agendi, cogitandiq. sollertiam. itaque, nisi ea uirtus, quae constat ex hominibus tuendis, ideſt ex societate generis humani, attingat rerum cognitionem; soliuaga cognitio, & ieiuna uideatur; itemq. magnitudo animi, remota communitate, coniunctioneq. humana, feritas sit quaedam, & immanitas. ita fit, ut uincat cognitionis studium cõsociatio hominum atque communitas. Nec uerum est, quod dicitur a quibusdam, propter necessitatem uitae, quod ea, quae natura desideraret, consequi sine alijs, atque efficere non poßemus, iccirco istam esse cum hominibus communitatem, & societatem: quod, si omnia nobis, quae ad uictum, cultumq. pertinent, quasi uirgula diuina, ut aiunt, suppeditaretur, tum optimo quisque ingenio, negotijs omnibus omissis, totum se in cognitione, & scientia collocaret. non est ita. nam & solitudinem fugeret; & socium studij quaereret; tum docere, tum discere uellet, tum audire, tum dicere. Ergo, omne officium, quod ad coniunctionem hominum, & ad societatem tuendam ualet, anteponendum est illi officio, quod cognitione, & scientia continetur.*

EXPLANATIO

THEBANVM *Epaminundam* § Plutarchus in Pelopida. LYSIS *Pythagoreus*, § Lysim Pythagorae ipsius discipulum fuisse, ostendunt Cicero lib. III. de Orat. Aemilius Probus, aut quisquis est

in

in Epaminunda, Pausanias, Plut. de musica, Dio Chrysostomus in oratione inscripta, Recusatio magistratus, Laertius D. Hieronymus apologia 2. in Rufinum. SYRACVSIVM *Dionem* ʒ Plut. in Dione, Laertius in Platone. MVLTIQ. *multos*: ʒ ut Periclem Anaxagoras, Alcibiadem Socrates, Timotheum,& alios principes uiros Isocrates, Africanum Panaetius, Augustum Athenodorus. AB *iis*, ʒ a Platone. hunc enim, non Lysim, significat. ELOQVI *copiose*, ʒ eloquentia copiosa uel egregijs cogitationibus praestat. MODO *prudenter*, ʒ uide praefationem Tusc. 1. COGITATIO *in se ipsa uertitur*; ʒ de Finibus III. Sola sapientia in se tota conuersa est. APVM *examina* ʒ Apium, est in uno meo,& Tertij libro. Sic, Ciuitatiũ, in uetere inscriptione, Firmi, in Piceno, quam in Orthographia mea posui ad, Accius,& apud Annaeum Cornutum ad Italicum de Virgilio lib. x. ut est apud Carisium: Iamq. exemplo tuo etiam principes ciuitatium,& poetae incipient similia fingere. Et, Hereditatium, in antiqua inscriptione, Romae, in aedibus Atilij Delphinij, in Orthographia, ad, Britannia. Ceruicium, Radicium, apud Carisium. De apibus Arist. de hist. anim. lib. 1. cap. 1. & lib. 9. cap. 40. Plin. lib. 11. cap. 5. & 6. Virg. lib. IV. Georg. Varro de re rust. lib. III. cap. 16. Columella lib. x. Palladius lib. 1. cap. 37 lib. v. cap. 8. Didymus apud Constantinum Caesarem lib. xv. cap. 3. AGENDI, *cogitandiq. sollertiam*. ʒ dubium non est, quin haec tota corrigendi ratio, quaeq. in ea collocatur industria, ad sententiam referatur. propterea inspiciuntur, examinanturq. ueteres libri. qui si quando accidit, ut omnes cum sententia pugnent, utri me parti adiungam, non equidem ambigam. illa enim dominatur, hi quodammodo seruiunt. Comparat Cicero cum apibus homines. ipsa comparatio, nisi fallor, legendum ostendit, Agendi, cogitandique, non, Agendi, congregandique. Apes, inquit, non ideo congregantur, ut fingant fauos, sed, cum illis natura dederit, ut sponte congregarentur, iam congregatae fauos fingunt. eadem natura tribuit hominibus, ut, nulla adhibita sollertia, congregarentur; qui deinde, iam congregati, eam sollertiam, qua usi antea non sunt, adhibent ad agendum,& cogitandum. Quae duae res ad uitam recte instituendam necessariae sunt. Et hoc ipsum spectat ad illud, quod supradictum est, de eloquentia,& cogitatione. Vt enim cogitatio sine actione inanis est, sic actio, quae cogitatione careat, ad temeritatem plerumque delabitur. Ergo homines, natura congregati, & agunt,& cogitant; ut apes, natura congregatae, in fingendis fauis operam, industriamq. suam ponunt. Quo spectat illud supra: Virtutis laus omnis in actione consistit: a qua tamen saepe fit intermissio, multiq. dantur ad studia reditus: tum agitatio mentis, quae nunquam acquiescit, potest nos in studijs cogitationis, & sine opera nostra, continere. Fructus igitur congregatarum apum sunt faui; hominum congregatorum est actio,& cogitatio. Nam, si Congregationem, putes esse congregationis fructum, inanis erit sermo, & absurdus. aliud enim certe, praeter scipsum, congregatio spectat. Locus ex Arist. sumptus uidetur. Nã Polit. I. Διότι δὲ, inquit, πολιτικὸν ὁ ἄνθρωπος ζῶον πάσης μελίττης καὶ πάντος ἀγελαίου ζώου μᾶλλον δῆλον. οὔθεν γάρ, ὡς φαμὲν, μάτην ἡ φυσις ποιεῖ. ATTINGAT *rerum cognitionem*; ʒ ideest, nisi studiũ societatis cũ rerũ cognitione coniungatur. REMOTA *communitate*, ʒ duo mei,& Tertij, Comitate. nouem, Cõitate. QVASI *uirgula diuina*, ʒ Satyram hanc inscriptione Varro composuit. *Virgula diuina*: citra nostram operam. ERGO, *&c.* ʒ duobus propositis honestis, concludit hic, utrum honestius. ILLVD *forsitan &c.* ʒ Platonis remp. notat, quae laxior est multo, quam deceat. SVNT *enim quaedam ita foeda, partim ita flagitiosa*, ʒ Partim, modo pro aduerbio, modo pro nomine, ideest Alia uel Alij, nominandi, aut accusandi casu, ex ui, naturaq. propinqui uerbi, usurpari solere, uel pueri sciunt. Nec uero, alterum interdum omitti, ignorare multos arbitror. Si omittatur secundo loco, damni sententia nihil facit: pendet enim a primo: aut habet aliquod nomen: ut Sallust. Iugurtha: Vrbes partim ui, alias uoluntate, imperio suo adiungit. Et: Centuriones, ducesq. turmarum partim, uti transfugerent, corrumpere; alij, signo dato, locum uti desererent. Et: Partim consci sibi, alij ex partium inuidia pericula metuentes. Et: Ille probare partim, alia abnuere. Et: Partim ui, alia metu, aut praemia ostentando, auertere ab hostibus. Si omittitur primo, necesse est, ut eius loco nomen aliquod sententiae seruiat, ut, Alia, Quaedam, denique quodlibet nomen. Vt lib. de Leg. Quorum scelere religiones tum prostratae, afflictaeq. sunt, partim ex illis distracti, ac dissipati iacent. Et Sallustius, in oratione C. Cottae: Quorum alia toleraui, partim repuli, deorum auxilijs,& uirtute mea. Et hoc loco. Haec iam scripseram, admonitus a uiri docti annotatione. Sed, inspectis libris ueteribus, sententiam mutare sum coactus. nam duodecim ex eis, & Tertij habent, Sunt enim quaedam partim ita foeda, partim ita flag. Vnus, Sunt enim quaedam partim ita foeda, quaedam partim ita flag Vnus, Sunt enim partim ita foeda, partim flag. *Foeda*: crudelia. Lib. II. Victoriam foediorem dixit. QVISQVAM ʒ septem libri, Quis. Vnus, Quis sapiens. Duo, Quisque. Duo, Quisquam. Vnus, & Tertij non habet. NEC *resp. quidem* ʒ Tertij liber, Ne resp. quidem. Vnus, Nec res quidem publica. PRO *se* ʒ Vnus, Propter se. SED *haec commodius se res habet*, ʒ Hoc, sex libri. Sed & haec, quattuor. NON *potest accidere tempus*, ʒ alij delent, Tempus: nec tamen sententia lucri quidquam facit. ego conseruo, nec de sententia quidquam detraho. nitor etiam auctoritate ueterum omnium librorum: quorum auctoritatem tam paruipendi a doctis uiris miror: nitor consuetudine Latini sermonis. est enim illud simile, ut omittantur alia multa, ad Appium: Nollem accidisset tempus, in quo perspicere posses, quanti te, quanti Cn. Pompeium, quanti Brutum facerem. SAPIENTEM. ʒ quasi dicat, in puerilem aetatem, aut muliebrem sexum fortasis iniuriae istae caderent. QVOD *cuique sit praeponendum*, ʒ Quid, in uno, & Tertij. GRADVS *officiorum*, ʒ de gradibus officiorum Agellius lib. v. cap. 13. PRIMA, *dijs immortalibus*; *secunda, patriae*; *tertia, parentibus*; ʒ Cicero lib. 1. de rep. apud Nonium, Antiquus: Sed, quoniam, plurima beneficia continet patria, & est antiquior parens, quam si quis, ut aiunt, creauerit: maior ei profecto, quam parenti, debetur gratia. De Fin. Decet cariorem esse patriam nobis, quam nosmetipsos. Et 1. in Catil.

Catil. Patria mihi uita mea multo est carior. Sallustius Iugurtha: Nam ui quidem regere patriam, aut parentes, quamquam & posis,& delicta corrigas, tamen importunum est. Cui simile illud, apud Cic. Fam. lib.1. ep.9. Id iubet idem ille Plato, quem ego auctorem uehementer sequor. Tantum contendere in rep. quantum probare tuis ciuibus possis: uim neque parenti, neque patriae afferre oportere. Platonis autem loci duo sunt, alter v. de Legibus: Πατρίδος δὲ οὔσης τῆς χώρας θεραπεύειν ἀντὴν δεῖ μειζόνως, ἢ μητέρα παίδας. Alter in Critone: Η οὕτως εἶ σοφὸς, ὥστε λέληθε σὲ, ὅτι μητρός τε, καὶ πατρὸς, καὶ ἄλλων προγόνων ἁπάντων τιμιώτερον ἐστὶν πατρὶς, καὶ σεμνότερον, καὶ ἁγιώτερον, καὶ ἐν μείζονι μοίρᾳ καὶ παρὰ θεοῖς, καὶ παρὰ ἀνθρώποις τοῖς νοῦν ἔχουσι. καὶ σέβεσθαι δεῖ, καὶ μᾶλλον ὀπεικεῖν, καὶ θωπεύειν πατρίδα χαλεπαίνουσαν, ἢ πατέρα, καὶ ἢ πείθειν, ἢ ποιεῖν ἂν κωλεύοι, καὶ πάσχειν ἐὰν τι προσάπτῃ παθεῖν, ἡσυχίαν ἄγοντα, ἐὰν τε τύπτεσθαι, ἐὰν δεδεῖσθαι, ἐάντε εἰς πόλεμον ἄγῃ τρωθησόμενον, ἢ ἀποθανούμενον, ποιητέα ταῦτα. καὶ τὸ δίκαιον οὕτως ἔχει. καὶ οὐχ ὑπεικτέον οὐδ' ἀναχωρητέον, οὐδὲ λειπτέον τὴν τάξιν, ἀλλὰ καὶ ἐν πολέμῳ, καὶ δικαστηρίῳ, καὶ πανταχοῦ ποιητέον, ὅ ἂν κελεύῃ ἡ πόλις τε, καὶ ἡ πατρὶς, ἢ πείθειν αὐτὴν, ἢ τὸ δίκαιον πέφυκε. βιάζεσθαι οὐχ ὅσιον οὔτε μητέρα, οὔτε πατέρα, πολὺ δὲ τούτων ἔτι ἧττον τὴν πατρίδα. Et in ep. ad Dionis propinquos: Πατέρα δὲ, ἢ μητέρα, οὐχ ὅσιον ἡγοῦμαι προσιάζεσθαι, μὴ νόσῳ παραφροσύνης ἐχομένους. ἐὰν δέ τινα καθεστῶτα ζῶσι βίον ἐαν τοῖς ἀρέσκοντα, ἐμοὶ δὲ μὴ, μήτε ἀπεχθάνεσθαι, μάτην νουθετοῦντα. βίαν δὲ πατρίδι πολιτείας μεταβολῆς μὴ προσφέρειν, ὅταν ἄνευ φυγῶν, καὶ σφαγῆς ἀνδρῶν, μὴ δυνατὸν ἢ γίνεσθαι τὴν ἀρίστην.

PRIMA, *secunda, tertia,* ξ officia. *A Panaetio est, ut supra dixi, praetermissus.* ξ nimis tu quoque gloriam amas, Cicero noster: sacpe hoc aduersus Panaetium iterans.

ARGVMENTVM LIBRI SECVNDI

ORVM officij primus liber ostendit. sunt enim quattuor uirtutes; unde, quidquid honeste agitur, aut cogitatur, emanat. Ortu inuento, distributum est officium in duas partes: quarum altera decus, honestatemq. spectat, altera uitae commoda, copias, opes, facultates. Earum partium quaeritur in prima, non modo honestum in quo differat a turpi, uerum etiam, duobus propositis honestis, utrum honestius: in altera similiter, non modo quid utile, quid inutile, sed etiam, duobus propositis utilibus, utrum utilius. quam quidem duorum honestorum, duorumq. utilium comparationem Panaetius omisit. De honestatis parte dictum est superiore libro: de uitae commodis, eoque, quod utile uocatur, hoc altero libro disputatur. Postrema tertij libri quaestio est, de eligendi iudicio, cum honestum, & utile ita pugnant inter se, ut quasi laboret animus, ancipiti distractus cura cogitandi. de quo Panaetius cum se scripturum esse promisisset, nihil tamen scriptum reliquit. Sed, utilium duo genera cum sint, multitudinis unum, quae sensu saepe mouetur, alterum paucorum, qui cum ratione deliberant: secundus liber non, ut multitudo, secernit utile ab honesto, sed, ut pauci, totum in uirtute constituit: uirtutis autem hoc docet esse proprium, ea sequi, quibus hominum studia hominibus adiungantur. quidquid enim uel in priuatis rebus, uel in rep. expetimus, id consequi, si diligamur, facillimum est. at ipsum, diligi, propterea non contingit omnibus, quia non omnes iusti, fidi, liberales, mansueti, faciles existimantur. quibus uirtutibus fortitudo, temperantia, earumq. rerum, quibus excellunt pauci, si adiungitur praestantia: tum, praeter priuatam beneuolentiam, exoritur gloria; qui publicus amor est, cum fide, & honore coniunctus. Ea nascitur ex multis rebus: in quibus cum nonnullae sint, pro quibus curas, labores, pericula suscipimus; & in ijs cum sit nihil ipsa patria carius, aut amabilius: ideo bellica uirtus, quae publica commoda tuetur, & auget, primum aperit aditum ad eam gloriam, quae non angustis continetur finibus, sed per omnes gentes pro beneficij magnitudine disseminatur. quae si occasio non adest: non enim semper bella geruntur: illa quidem numquam deest, ut cum omnibus modeste, cum parentibus pie, cum nostris ita uiuamus, ut eos diligere uideamur. Et, quoniam uirtutem parit imitatio: non minimam laudem affert adolescentibus consuetudo clarorum uirorum: quorum similes fore putantur, si cum ijs saepe sint, eorumq. sermonibus omissa rerum inanium, turpiumq. cura, praecipue gaudeant. Valet autem uel maxime ad conciliandos animos comitas, affabilitasq. sermonis: sed nihil admirabilius eloquentia, praesertim si sit in oratione mista modestiae grauitas. Atque haec adolescentibus, illa praecipiuntur

piuntur uiris, ut beneficentiam, & liberalitatem, delectu personarum habito, exerceant, uel pecunia, uel, si res non suppetat, opera, & industria. quae ratio laudabilior est. quod enim sumitur ex arca, cum eo, quod accipitur a uirtute, conferendum non est. Sed, quod pecunia fit, in eo modum, qui referatur ad facultates, adhiberi oportet; ne, nimio largiendi studio, fons liberalitatis exhauriatur; &, quae uirtus est, diu uirtus esse non possit. Quo ex genere largitio quaedam, quam parit ambitio, pro ratione temporum non reprehenditur; cum in populum ideo munera. conferuntur, ut ab eo magistratus impetrentur. illa uero melior existimatur impensa, quae ad usum reip. pertinet, ut in muris, naualibus, portubus, aquaeductibus. Maxime uero laudatur hospitalitas: est enim decori, & ornamento non ijs modo, quorum domus hospitibus patet, uerum etiam reip. Iam illud ualde cauendum, nequid in beneficijs dandis contra aequitatem, remq. pub. contendatur; ne ue, dum alios iuuare uolumus, offendamus aut eos, quos non debemus, aut eos, quos non expedit. nam & laudis fundamentum iustitia est: & in alijs decet consulere, ne nos ipsos negligamus. Et, quoniam patriae potissimum nascimur: copia quaeratur earum rerum, quas illa desiderat: idq. dum fit, opera detur, ut omnis pellatur auaritiae suspicio, & priuata laus cum reip. commodo coniungatur. Extrema est in ijs, quae ad utilitatem pertinent, ualetudinis, & pecuniae curatio. quorum illa sustentatur primum notitia sui corporis; deinde obseruatione earum rerum, quae aut prosint, aut obsint; tertio loco, continentia in uictu omni, atque cultu; quarto, praetermittendis uoluptatibus; postremo, scientia, consilioq. medicorum. Pecunia uero quaeri debet ijs rebus, unde abest turpitudo; conseruari diligentia, & parcimonia. Atque haec de utilitatibus: quae si concurrant, ut uel externa commoda cum corporis, uel corporis cum externis, uel ipsa inter se corporis, aut externa cum externis comparentur; non dubium est, quin maior utilitas minori sit anteponenda, cum eo tamen, ut ab honesto numquam declinetur. quae ratio senem Catonem adduxit, ut fenerationem, licet quaestuosissimam, damnaret. Hae sunt quasi uiae quaedam, quibus ad id, quod ita utile est, ut honestum idem sit, peruenire licet. nam, qui ab honesto utile secernunt, primum res a natura copulatas opinionis amore diuellunt; deinde, contra quam opinantur, nec ipsi sibi consulunt, nec bene de humano genere merentur.

Landesbibliothek Oldenburg

SECVNDVS

CICERONIS · OFFICIORVM LIBER

ad Christianae uitae normam examinatus.

HONESTAS, de qua libro primo disputatum est, quem fructum parit? beatam uitam, ideſt, eam, quae casibus non subiacet humanis, nec ulla terminatur die, sed aeterna caeli praemia consequitur: eaq. dum spectat, hominum iudicia, mercedemq. contemnit: nec tamen ea, quam sequuntur homines, quam ipsa non desiderat, gloria, & laude caret. ea seruit bonorum commodis, miseretur egentium, in exercenda caritate testem non quaerit: tribuere se, quae tribuat aliis, non sua putat, sed quae acceperit a Deo.

Honestas in quo sita? in contemplando, & agendo, ideſt in scientia, & iustitia. scire oportet, quid agas, & agere, quod scias. cuius enim stultitiae est, id agere, quod nescias? cuius desidiae, id scire, quod non agas? uitium in utroque, sed eo maius in posteriore, quod inscientiae culpa excusatione aliqua non caret: scientia si peccat, ideſt si a iustitia disiungitur, quo se tueatur, non habet. O praeclaram, salutaremq. uocem summi Creatoris nostri, sapientissimi magistri. quid ait de scientia? Haec est uita aeterna, ut cognoscant te solum uerum Deum, &, quem misisti, Iesum Christum. De iustitia uero: Omnis, qui reliquerit domum, uel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & uitam aeternam possidebit. Dicet aliquis: Haec quoque Stoici uiderunt; nec Peripatetici prorsus ignorarunt. Caeca prorsus uideri philosophia potest, quae uiderit in umbra imaginem aliquam honestatis. at prophetae, multo ante philosophorum aetatem, alii obscurius, alii clarissime, quaenam esset honesti uera forma, patefecerunt. Dauidis quidem testimonio nihil illustrius. Beatus homo, inquit, quem tu erudieris, Domine, & de lege tua docueris eum. De iustitia, quae in agendo consistit, clamat idem, & praecipit: Beatus uir, qui miseretur, & commodat. Et infra: Disperſit, dedit pauperibus: iustitia eius manet in aeternum.

Honestas in omni uitae statu, omniq. re, pariter elucet. Secunda sint omnia, non extollitur: aduersa, non affligitur. uoluptatem, diuitias, honorem contemnit: dolorem, egestatem, exsulium non extimescit. in se enim ipsa sua ponit omnia, & illud saepe reminiscitur: Beati immaculati in uia, qui ambulant in lege Domini. Et illud: Beati estis, cum uobis maledicent, & persequentur. Cum quibus concinit Euangelium: Beati, qui nunc fletis: quia ridebitis. Quae si attendamus: nec caritatem Isaac, nec exsulium Iacob, nec seruitutem Ioseph malum putabimus.

Sed uirtutes aut a natura proficiscuntur, uel si absit disciplina; quod paucis admodum cõtigit; aut ab imitatione, sapientiumq. uirorum consuetudine sumuntur. exemplis abun-

dant sacrae litterae. ex quibus ut pauca delibentur, Iesus Naue, ille, ille uir, quem rerum gestarum gloria ad caelum extulit, qui cum in pugna stare solem iussisset, mortalis hominis iussu stetit sol, num a Moysis latere iuuenis umquam discesit? Abraham Loth proficiscentem non deseruit. Heliae comes fuit Heliseus, Paullo Silan, Timotheus, Titus. quibus alii addi possunt. nam exemplis diuites sumus, spiritu pauperes.

Quaeritur in officiis, quibus rebus comparetur, augeaturq. pecunia. quorsum? nam beata uita diuitiis non eget. Regnum Dei pauperum esse, docet Euangelium. Et Apostolus: Quae mihi lucra fuerunt, haec duxi propter Christum detrimenta. opponuntur enim ut contraria, diuitem sibi esse, pauperem Deo; diuitem Deo, pauperem sibi. Quae si quis recte distinguit, uiuet in aeternum.

Et, quoniam de utili disputatio est, scire oportet, utilium duo esse genera, unum ex multitudinis opinione, alterum e sapientum sententia. Vulgo quae ad uictum, & cultum, quae ad copias, facultates, opesq. pertinent, ea si lucrentur, bene secum agi putant. at sapientibus, qui de honestate tantum laborant; maximum lucrum est pietas. corpori enim, & Deo seruire, non idem sunt: &, si quaeritur utilitas, ea sumitur a Deo, cum qua conferri nulla possit.

Ex multis autem utilibus id uidetur esse primum, ut amemur. quandoquidem odio nihil exitiosius. Quid igitur est, quod amorem maxime conciliet? Christiana caritas: non modo quia libenter sua communicat, uerum etiam quia mitis est, non excandescit in aliena culpa, patienter iniurias fert, admonet, corrigit, opem fert. Inde fides nascitur, cognita praesertim eius, quem diligimus, bonitate, & prudentia. uelle enim, bonitatis est; posse, prudentiae. itaque libenter nos ei committimus, de cuius aut uoluntate, aut prudentia dubitari non posse, persuasum iam nobis est. bonitatem autem qui dicit, idem iustitiam dicit: prudentiam, uirtutem, quae per se quidem ualet, sed, nisi cum iustitia societur, nomen mutat, & calliditas est, idest ex uirtute uitium. itaque uersuti, callidiq. hominis, ad quaestum omnia referentis, uitanda consuetudo, repudiandum consilium: boni ab eo nihil exspectandum, qui bonus ipse non est. malitia enim fictam, inanemq. speciem utilitatis ostendit: iustitia, idest bonitas, ueram, ac solidam utilitatem parit.

Vt igitur, qui suam rem curat, sibiq. potius contulit, quam aliis, rectum ignorat iter gloriae; nec eum homines amant, nec ei fidem habent: sic, qui propensus ad liberalitatem est, eaq. & pro facultatibus, & erga indigentes utitur, eum in oculis multitudo fert, & fidem habet, seque, & sua, recte tradi, & commendari, putat. Haec uirtus pecuniae fructus est: ideo pecunia, quod ad nos ipsos attinet, diligenter quaerenda: sed, ut ido neis opitulemur, paullo etiam attentiores esse nos decet. quo enim est uirtus amabilior, eo magis, ne deficiat, ne ue eius exercendae consuetudo intermittatur, elaborandum.

Nec uero simplex, eiusdemq. generis liberalitas a bono uiro postulatur. sunt eius quidam quasi gradus, & pro meritorum magnitudine fit speciosior, & illustrior. in meritis autem excellunt illa, redimere captiuos ab hoste barbaro, alere paruulos, pupillos tueri, uirgines collocare. eademq. laus, fortasse etiam aliquanto maior, acquiritur, cum, in tenui re, consilio tamen, operaq. subuenitur. quod genus beneficentiae numquam exhauritur: manat enim a perenni fonte; cum pecuniae diuersa condicio sit: quo enim erogatur magis, eo minor ad uirtutis usum materia relinquitur: & saepe, qui alienam inopiam subleuat, ad eandem ipse, dum largitur inconsulte, recidit inopiam.

Et, quoniam ueritatem amat uirtus, tenendum in primis illud est, ut, quales haberi uolumus, tales simus. quam Socrates olim proximam ad gloriam uiam, & quasi compendiariam, esse dicebat. Sed nos, in hac admodum dubia, & multis implicata erroribus humanae uitae uia, multo quidem Socrate meliorem, & sapientiorem, & certiorem ducem, rectoremq. nacti, nullum errorem, si eius expressa uestigia persequimur, timemus. Deus enim ipse summa ueritas est: & in ueritate colitur Deus. itaque parui refert, haec si uirtus, cuius in caelo praemia sunt, humana mercede caret: uerum non caret. allicitur uerbis, capitur beneficiis multitudo: cuius autem ad uerba, beneficiaq. probitas accedit, eum uehementer amplectitur, ei se dedit, pro eius honore, ac digni-

tate,

tate, nullum laborem uitat, nullum discrimen extimescit. beneficio enim ducitur, amore impellitur. ita sequitur probitatem utilitas, licet utilitatem probitas contemnat.

Iniuste uexatis opem ferre, non mediocrem laudem habet: quiq. hoc genere praestat officii, dum paucos uindicat ab iniuria, a multis gratiam acquirit. suam enim quisque condicionem reminiscitur: & homo hominis miseriam non libenter uidet. Decora uero in primis, & interdum salutaris, hospitalitas est: decora, cum accipiuntur ii, qui non egent; salutaris, in pauperibus, in quibus Christus est, qui minima dantibus maxima retribuit in caelo.

Pecunia, & assentatio homines ad beneuolentiam allicit: sed exiguum utraque fructum fert. corruptis nulla fides: blanditiis deleniti, non modo iusta imperia non ferunt, sed admonitiones quoque respuunt. Nec tamen correctione uitium caret. licet largiri pecuniam sine ambitione, comiter agere sine mendacio. actionem utramque uitae integritas, & sapientia, & directa ad Deum cogitatio moderetur: non solum, ut placeat, ac probetur id, quod agis, uerum etiam, ut bona de te ipso existimatio sit. ita fidelis erit beneuolentia uel ad perpetuitatem.

Beneficii fructus ex paupere certior, atque uberior est, quam ex diuite. pauper se spectatum esse putat, non fortunam suam, cum remunerandi facultate careat: &, quoad non remunerat, debet: quoad debet, obseruat, amatq. eum, a quo accepit. ita beneficii memoria uel perpetua est, uel diuturna. At dives ideo sibi tributam esse gratiam iudicat, quia referre parem, aut maiorem etiam possit. quo fit, ut eum, qui bene meritus est, paene contemnat. Praeterea dives humana dat, quia homo est: eaq. remuneratio finibus includitur angustis. at pro paupere remunerator est Deus: qui nec munera saepe negat humana, & diuina, nullis circumscripta finibus, perpetuo reddit.

Vix autem uerbis exprimi potest, atque adeo nullo modo potest, quam Deo grata liberalitas ea sit, quae confertur in pauperes. Minuere sacros thesauros, sacrilegium est: si uero minuantur ob eam caussam, ut minuantur simul pauperum incõmoda, probat Deus, & ita locat inter benefacta, ut nullum pietatis officium pluris aestimet. nam, quis pecuniae praestantior usus est, quam si erogetur in eos, in quibus ipse Christus est? latet in persona pauperum: petit, & rogat: esurire se, sitire, hospitio indigere significat. quis ita durus, ac ferreus, ut pauca neget ei, cui debet omnia? quis ita mentis inops, ita de se ipso negligenter cogitans, atque adeo seipsum cõtemnens, ut exigua mercede suam salutem emendam non putet? thesauros, & humana omnia corrumpit dies: at eã, quae de thesauris manat, gratiam nulla dies aufert. ueri autem thesauri sunt officia misericordiae: uerus thesaurus ipse Deus est. sine quo, qui diuites, & beati inter homines putantur, egent, miseriq. sunt: contra, qui egere uidentur, eum si possident, bonis omnibus circumfluunt. Vidit hoc, & sensit, & nos docuit Beatus Laurentius, cum, de thesauris Ecclesiae, quorum custos erat, interrogatus, Pauperes ostendit. Quid ceteri Martyres? quid alii prope innumerabiles, qui in humana uita diuina studia coluerunt? dispares fortasse meritis, ut cuiusque facultas, aut occasio tulit, omnes tamen Laurẽtio mente simillimi, pii, misericordes, de aliis solliciti, de se ne in crastinum quidem cogitantes. ergo illi uiuunt, uiuentq. semper cum immortali uiuentium Deo: nobis, si praeclaram consuetudinem imitemur, eadem proposita uita est; si negligamus, aeterna mors impendet.

Landesbibliothek Oldenburg

M. TVLLII. CICERONIS
DE. OFFICIIS
AD. MARCVM. FILIVM
LIBER. I

CICERO

QVEMADMODVM officia duceretur ab honestate, Marce fili, atque ab omni genere uirtutis, satis explicatum arbitror libro superiore. sequitur, ut haec officiorum genera persequar, quae pertinent ad uitae cultum, & ad earum rerum, quibus utuntur homines, facultatem, ad opes, ad copias. in quo tum quaeri dixi, quid utile, quid inutile: tum, ex utilibus, quid utilius, aut quid maxime utile. de quibus dicere aggrediar, si pauca prius de instituto, ac de iudicio meo dixero. Quamquam enim libri nostri complures non modo ad legendi, sed etiam ad scribendi studium excitauerint: tamen interdum uereor, ne quibusdam bonis uiris philosophiae nomen sit inuisum, mirenturq. in ea tantum me operae, & temporis ponere. Ego autem, quam diu resp. per eos regebatur, quibus se ipsa commiserat, omnes meas curas, cogitationesq. in eam conferebam. cum autem dominatu unius omnia tenerentur; neque esset usquam consilio, aut auctoritati locus; socios denique tuendae reip. summos uiros amisissem; nec me angoribus dedidi, quibus essem cõfectus, nisi ijs restitissem; nec rursum indignis homine docto uoluptatibus. atque utinam resp. stetisset, quo coeperat, statu, nec in homines non tam commutandarum rerum, quam euertendarum, cupidos incidisset. primum enim, ut stante rep. facere solebamus, in agendo plus, quam in scribendo, operae ponebamus: deinde, ipsis scriptis non ea, quae nunc, sed actiones nostras mandaremus, ut saepe fecimus. cum autem resp. in qua omnis mea cura, cogitatio, opera poni solebat, nulla esset omnino; illae scilicet litterae conticuerunt, forenses, & senatoriae. nihil autem agere cum animus non posset, in ijs studijs ab initio uersatus aetatis; existimaui honestissime molestias deponi posse, si me ad philosophiam retulissem. cui cum multum adolescens, discendi caussa, temporis tribuissem: postea quam honoribus inseruire coepi, meq. totum reip. tradidi, tantum erat philosophiae loci, quantum superfuerat amicorum, et reip. temporis. id autem omne consumebatur in legendo: scribendi otium non erat. Maximis igitur in malis hoc tantum boni assecuti uidemur, ut ea litteris mandaremus, quae nec satis erant nota nostris, & erant cognitione dignissima. quid est enim, per deos, optabilius sapientia? quid praestantius? quid homini melius? quid homine dignius? hanc qui expetunt igitur, philosophi nominantur: nec quidquam aliud est philosophia, si interpretari uelis, quam studium sapientiae. Sapientia autem est, ut a ueteribus philosophis definitum est, rerum diuinarum, & humanarum, caussarumque, quibus hae res continentur, scientia. cuius studium qui uituperat, haud sane intelligo, quidnam sit, quod laudandum putet. nam, siue oblectatio quaeritur animi, requieq. curarum; quae conferri cum eorum studijs potest, qui semper aliquid acquirunt, quod spectet, & ualeat ad bene, beateq. uiuendum: siue ratio constantiae, uirtutisq. quaeritur; aut haec ars est, aut nulla omnino, per quam eas assequamur. nullam uero dicere maximarum rerum artem esse, cum minimarum sine arte nulla sit, hominum est parum considerate loquentium, atque in maximis rebus errantium. si autem est aliqua disciplina uirtutis; ubi ea quaeretur, cum ab hoc discendi genere discesseris? Sed haec, cum ad philosophiam cohortamur, accuratius solent disputari: quod alio quodam libro fecimus. hoc autem tempore tantum nobis declarandum fuit, cur, orbati reip. muneribus, ad hoc nos studium potissimum contulissemus. Occurritur autem nobis, & quidem a doctis, & eruditis, quaerentibus, satis ne constanter facere uideamur, qui, cum percipi nihil posse dicamus, tamen & alijs de rebus disserere soleamus, & hoc ipso tempore praecepta officij persequamur. Quibus uellem satis cognita esset nostra sententia. non enim sumus ij, quorum uagetur animus errore, nec habeat umquam, quid sequatur. quae enim esset ista mens, uel quae uita potius, non solum disputandi, sed etiam uiuendi ratione sublata? nos autem, ut ceteri, qui alia certa, alia

incerta

incerta esse dicunt, sic, ab his dissentientes, alia probabilia, contra, alia improbabilia esse dicimus. quid est ergo, quod me impediat, ea, quae mihi probabilia uideantur, sequi; quae contra, improbare; atque affirmandi arrogantiam uitare, fugere temeritatem, quae a sapientia dissidet plurimum? Contra autem omnia disputatur a nostris, quod hoc ipsum probabile e lucere non posset, nisi ex utraque parte causarum esset facta contentio. Sed haec explanata sunt in Academicis nostris satis, ut arbitror, diligenter. Tibi autem, mi Cicero, quamquam in antiquissima, nobilissimaq. philosophia Cratippo auctore uersaris, ijs simillimo, qui ista praeclara pepererunt; tamen haec nostra, finitima uestris, ignota esse nolui. Sed iam ad instituta pergamus.

EXPLANATIO



VEMADMODVM *officia ducerentur ab honestate, Marce fili,* &c. tres partes Cicero complectitur hoc prooemio. Proponit primum, quae secundi libri futura disputatio sit. Deinde respondet ijs, qui suum consilium de colenda, Latinisq. litteris illustranda philosophia ideo fortasse non probarent, quod homo reip. deditus, & in ea administranda diu cum laude uersatus, omissa rerum actione, Romanae gentis propria, ad bonarum artium, quae Graecos magis decere uiderentur, libenter amplecteretur. in qua parte, cum eas causas exposuit, quibus excusari iure posset, ornat philosophia diuinis laudibus. Tertio loco nihil a se ostendit inconstanter fieri, quod Academicus cum esset, idest ex eo philosophorum genere, qui percipi nihil posse putant, officiorum tamen praecepta persequatur. Dicit autem, *Officia ducerentur ab honestate*, quia ex quattuor uirtutibus honestum, ex honesto autem oritur officium. de quo lib. I. Atque, ab ijs rebus, quae sunt in iure societatis humanae, quemadmodum duceretur honestum, ex quo aptum est officium, satis fere diximus. AB *omni genere uirtutis*, &c. a prudentia, a iustitia, cui coniuncta beneficentia est, a fortitudine, a temperantia. attingit eum locum, quem libro primo descripsit his uerbis: Omne, quod honestum est, id quattuor partium oritur ex aliqua. aut enim in perspicientia ueri, sollertiaq. uersatur; aut in hominum societate tuenda, tribuendoq. suum cuique, & rerum contractarum fide: aut in animi excelsi, atque inuicti magnitudine, ac robore: aut in omnium, quae fiunt, quaeq. dicuntur, ordine, & modo, in quo inest modestia, & temperantia. Ibidem infra: Intelligendum est autem, cum proposita sint genera quattuor, e quibus honestas, officiumq. manaret, splendidissimum uideri, quod animo magno, elatoque, humanaq. res despiciente, factum sit. Et, in eodem extremo libro: Cum omnis honestas manet a partibus quattuor, quarum una sit cognitionis, altera communitatis, tertia magnanimitatis, quarta moderationis: hae in deligendo officio saepe inter se comparentur, necesse est. *Virtutis:* Virtutem uocat & Prudentiam: quod Aristoteles non sentit, tres tantum hoc nomine dignatus. SEQVITVR, &c. quod nos, Supereſt, Remanet. Sic lib. I. Sequitur, ut de una reliqua parte honestatis dicendum sit. VT *haec officiorum genera persequar, quae pertinent ad uitae cultum*, &c. ut disputem de utili. Infra: Hoc autem, de quo nunc agimus, id ipsum est, quod utile appellatur. Persequamur, legebat Vbaldinus. quo modo est in ueteribus duobus. AD *earum rerum, &c.* Graeci, τὰ χρήσιμα. FACVLTATEM, *opes, copias*, &c. Lib. I. Ad uitae commoditatem, iucunditatemque, ad facultates rerum, atque copias, ad opes, ad potentiam, quibus & se possint iuuare, & suos, conducat id, nec ne, de quo deliberant. DIXI, &c. libro superiore. TVM, *ex utilibus quid utilius, aut quid maxime utile*, &c. absunt haec a sex antiquis libris, & Tertii. Et sane recte abesse, docti uiri iudicant. DE *instituto*, &c. quod me ad scribendum contulerim, ut philosophiam Latinis litteris illustrarem. DE *iudicio meo* &c. quod haec mihi studia, cum illae, rep. oppressa, conticuissent litterae forenses, ac senatoriae, colenda maxime iudicauerim. LIBRI *nostri* &c. de Philosophia scripti. nam de Officiis postremi fuere, Caesare interfecto. COMPLVRES &c. ut Brutum, Varronem, alios. LEGENDI &c. scripta ab alijs. SCRIBENDI &c. de Philosophia. BONIS *uiris* &c. ideſt, fatuis. quod Graeci, ἰδιώτας. INVISVM, &c. quia nos auocet a rebus gerendis. boni autem uiri actionem plus prodesse reip. putant, quam contemplationem. De iisdem lib. II. Acad. Sunt enim multi, qui omnino non ament Graecas litteras; plures, qui philosophiam; reliqui, qui etiam si haec non improbent, tamen earum rerum disputationem principibus ciuitatis non ita decoram putent. Philosophos S. C. urbe eiectos, scribit Agellius lib. XV. cap. XI. Et Cicero Tusc. I. Philosophiam ad suam usque aetatem latuisse ait, nec ullum habuisse lumen litterarum Latinarum, quam illustrandam, & excitandam sibi otioso constituit. MIRENTVR, *in ea tantum me operae, & temporis ponere*. &c. Lib. I. de Fin. quattuor hominum genera commemorat, qui studium Philosophiae Latinis litteris explicandae non probarent. ac de secundo quidem genere sic: Quidam autem id non totum reprehendunt, si remissius agatur; sed tantum studium, tam multam operam ponendam in eo nō arbitrantur. Et paullo post: Qui autem, si maxime hoc placeat, moderatius tamen id uolunt fieri, difficilem quandam temperantiam postulant in eo, quod semel admissum coerceri, reprimiq. non potest. Ego *autem*, &c. defensionis initium. ut in epistola ad Lentulum: Ego autem cum illa sequor, quae paullo ante proposui, tum hoc non in postremis, de quo coeperā exponere. non offendes eūdem bonorum sensum, Lentule, quem reliquisti. Videndus Plutarchus in Cicerone, & praefatio Tusc. I. & ep. 8. lib. IX. Fam. ad Varronem, de Academicis. REGEBATVR, &c. duo ueteres libri, Gerebatur. Recte. Idem mendum irrepserat in Ouid. Metam. XV. Exemploq. suo mores reget. quo loco in ueteribus quibusdam exemplaribus, Geret, legi, obseruauit & probitatis, & litterarum laude insignis, mihiq. summa amicitia coniunctus, Hercules Ciofanus in ijs Obseruationibus, quas in ipsum Poetam edidit. QVIBVS *se ipsa commiserat*, &c. com-

miserat

miserat se senatui, populoq. Romano: nunc omnis ad unum armis translata potestas est. CVRAS, *cogitationesq.*} hinc Augustus ad nepotem suum, magna horum librorum parte lecta, dixit, Eloquens, eloquens, fili, fuit hic uir, & amans patriae. CVM *autem dominatu unius omnia tenerentur*;} Caesaris μοναρχίαν designat: quam nunquam Tyrannidis nomine appellauit. Dicit idem lib. II. de Diuin. Ac mihi quidem explicandae philosophiae causam attulit grauis casus ciuitatis; cum, in armis ciuilibus, nec tueri meo more remp. nec nihil agere poteram; nec, quid potius, quod quidem me dignum esset, agerem, reperiebam. CONSILIO,} liberae enim sententiae dici non poterant. AVCTORITATI} senatus enim auctoritas iacebat. DEDIDI,} sic octo ueteres libri, & Tertii. Elegantius uerbum, & ad rem significandam aptius. QVO *coeperat*,} statim post Caesaris necem. uidebatur enim restituta resp. ideo dixit lib. II. de Diuin. Nunc, quoniam de rep. consuli coepti sumus, tribuenda est opera reip. uel omnis potius in ea cogitatio, & cura ponenda: tantumq. huic studio relinquendum, quantum uacabit a publico officio, & munere. TAM *commutandarum rerum*,} hoc loco huiusmodi commutationes minime mirandas, uel nouas esse dicit. Et lib. II. de Diuin. eas Platonis auctoritate probat: his uerbis: Id ipsum a Platone, philosophiaq. didiceram, naturales esse conuersiones quasdam rerum publicarum, ut eae tum a principibus tenerentur, tum a populis, aliquando a singulis. QVAM *euertendarum*} ut esset non aliqua, sed nulla penitus resp. Antonium consulem notat, longe improbiorem Caesare dominum: IN *agendo plus, quam in scribendo*,} pleraque enim scripsit euersa rep. ACTIONES *nostras*} quae ageremus uel in foro defendendis amicis, uel in senatu pro rep. Ad hanc sententiam pertinet id, quod sequitur: Illae scilicet litterae conticuerunt forenses, & senatoriae. Quinctilianus ait commentarios orationum Ciceronianarum ita esse exactos, ut ab ipso sibi in memoriam posteritatis uideantur compositi. Et ipse in Bruto scribit, se orationes suas non minus diligenter elaboratas etiam, quã elucubratas attulisse. VT *saepe fecimus*.} multas enim scripsit orationes in foro habitas, aliquot in senatu, unam in Rullum, duas in Catilinam; eam, qua senatui gratias egit, in patriam restitutus, de harusp. resp. de prouinciis cons. & de consulatu suo, & de temporibus suis. Orationes autem significat, cum infert, Litterae forenses. NVLLA *esset omnino*;} exstincta, oppressa impio dominatu. CONTICVERVNT,} ita conticuerunt litterae illae forenses, & senatoriae, ut conticuit mea uox in foro, & in senatu. quae enim uel in foro, uel in senatu agerem, ea litteris mandabam. sublatis autem & forensibus actionibus, & senatoriis, quod scriberem, non erat. NIHIL *autem agere cum animus non posset*,} eo Cicero natus erat ingenio, ut inani tempus otio consumere non posset. propterea scripsit ad fratrem: Scribebam illa, quae dixeram, πολιτικά, spissum sane opus, & operosum: sed, si ex sententia successerit, bene erit opera posita: sin minus, in illud ipsum mare deiiciemus, quod scribentes spectabamus. aggrediemur alia, quoniam quiescere non possumus. Loquitur igitur non communiter de quocumque animo, ut nonnulli existimant, sed de suo, subiecta caussa, cur se ad philosophiam retulerit, quia regustare animus eadem studia cupierit, in quibus ab initio uersatus esset. IN *iis studiis*} forensibus, & senatoriis, quae mihi uis temporum eripuit. AB *initio uersatus aetatis*;} a prima adolescentia. quam aetatis suae partem copiose narrat in Bruto. Vide & Plutarchum in eius uita. EXISTIMAVI *honestissime posse deponi*,} deponi curam, cogitationem, operam: quae supra dicta sunt. ut, Deponi, accipiatur pro poni. quod Nonii testimonio probatur. cuius haec sunt uerba: Deponere, est ponere. Virg. Buc. De grege non ausim quidquam deponere tecum. M. Tull. Off. lib. 2. Existimaui honestissime molestias posse deponi, ubi me ad philosophiam retulissem. Sed, Molestias, delendum, recte, docti, ac diligentes uiri ante nos admonuerunt. abest autem a sex meis libris. & Tertii. nec requiritur a sententia: cum, Deponi, referatur, ut dixi, ad illa superiora, Cura, cogitatio, opera. Et ipse Nonius, cum Deponere, interpretatur Ponere, ostendit, uerbum, Molestias, locum non habere. quamquam ex uulgatis libris additum in omnibus Nonii exemplaribus legatur. *Honestissime*: propter ipsius philosophiae praestantiam: de qua proxime subiicitur. *Deponi*: abducit enim ab angoribus animum philosophia, recreatque, ac reficit languentem salutaris doctrinae remediis. unde illa ad Sulpicium: Tantum dicam, me, posteaquam illi arti, cui studueram, nihil esse loci neque in curia, neque in foro uiderim, omnem meam curam, atque operam ad philosophiam contulisse: quare non equidem te moneo, sed mihi ita persuasi, te quoque in iisdem uersari rebus, quae etiam si minus prodessent, animum tamen a sollicitudine abducerent. Et ad Varronem: Stet nobis illud, una uiuere in studiis nostris: a quibus antea delectationem modo petebamus, nunc uero etiam salutem. SI *me ad philosophiam retulissem*.} cultam antea. ut in Tusc. I. Cum defensionum laboribus, senatoriisq. muneribus aut omnino, aut magna ex paate essem aliquando liberatus, retuli me, Brute, te hortante maxime, ad ea studia, quae, retenta animo, remissa temporibus, longo interuallo intermissa reuocaui: & cum omnium artium, quae ad rectam uiuendi uiam pertinerent, ratio, & disciplina studio sapientiae, quae philosophia dicitur, contineretur, hoc mihi Latinis litteris illustrandum putaui. DISCENDI *caussa*,} ut eloquentiam grauiorum artium instrumento, & quasi dote, locupletarem. HONORIBVS *inseruire*} more ambitiosorum. Plutarchus ait, Ciceronem, laudis cupiditate, diligentius ad remp. animum adiecisse. QVANTVM *superfuerat amicorum, & reip. temporis*.} quantum ab amicis, & a rep. concedebatur, quantum superfuerat temporis agendis in foro caussis amicorum, capiendis in senatu de rep. consiliis; tantum erat philosophiae loci. Imitabatur Censorii Catonis industriam: qui, si quando otium nactus esset, ad studia se litterarum referebat. Ἀναπαύσειν, inquit Plutarchus, ἐχρῆτο καὶ παιδιᾶς, ὁπότε σχολάζοι, τῶν σωτηρίων θεσθαι τὰ βιβλία, καὶ τῶν γεωργιῶν. Nam & rusticam rem exercebat, de qua etiam libros composuit. Praeceptum Platonis est ἐν τῷ τῶν Πολιτειῶν 2. ut plurimum temporis in philosophia ponatur, deinde, cum res poscet, resp. administretur. Mendose in aliis libris, Temporibus: contra ueteres meos omnes,

& Ter-

Landesbibliothek Oldenburg

& Tertii. IN *legendo*, § in legendis philosophorum libris. Legendi autem maxime cupidum fuisse Ciceronem, scribunt Plutarchus, & Tertullianus. SCRIBENDI § de philosophia. nam suas actiones a se scriptis mandatas esse dixit. OTIVM *non erat*. § plus enim curae, operaeq. requiritur in scribendo, quà in legendo. MAXIMIS *igitur in malis* § Hesiodus: οὐ ποτε παγκακον ἦμαρ. QVAE *nec satis erant nota nostris*, § Philosophiam Romani homines, praeter paucos admodum, postremis quoque reip. temporibus ignorabant. Tusc. I. Philosophia iacuit usque ad hanc aetatem, nec ullum habuit lumen litterarum Latinarum. Scripsit autem Cicero post interitum reip. libros de Finibus, Tusculanas quaestiones, & alios. *Nostris*: Romanis, Latinis. Sic initio lib. I. Magnum attulimus adiumentum hominibus nostris. Et Ouidius Fastis:

Leucothee Graiis, Matuta uocabere nostris.

PRAESTANTIVS? § in Nonio, locum hunc recitante, in, Praestare, legitur, Praestabilius. mendose fortasse. nam ueteres libri omnes, Praestantius. SI *interpretari uelis*, § interpretatus est ex Platonis sententia. dixit enim ἐν τῷ τῶν Πολ. ἐ. Ουκοῦν καὶ τὸν φιλόσοφον σοφίας φύσομεν ἐπιθυμητὴν εἶναι. Aristoteles autem τω Μετα. α. ἐλαφρότερον: Ορθῶς δὴ ἔχει τὸ καλέσαι τὴν φιλοσοφίαν, ἐπιστήμην τῆς ἀληθείας θεωρητικήν. θεωρητικὴς μὲν γὰρ τέλος ἀλήθεια. STVDIVM *sapientiae*. § Studium alibi sic declarat: Studium est, animi assidua, & uehemens, ad aliquam rem applicata, magna cum uoluntate occupatio: ut philosophiae, poeticae, geometriae, litterarum. SAPIENTIA § Seneca Epist. lib. XIV. Primum itaque, sicut uidetur, tibi dicam, inter Sapientiam, & Philosophiam, quid interfit. Sapientia perfectum bonum est mentis humanae. Philosophia sapientiae amor est, & affectatio. haec ostendit, quo illa peruenit. Philosophia unde dicta sit, apparet. ipso enim nomine fatetur. Quidam enim sapientiam ita finierunt, ut dicerent eam diuinorum, & humanorum scientiam. quidam ita: Sapientia est nosse diuina, & humana, & horum causas. Superuacua mihi uidetur haec adiectio, quia causae diuinorum, humanorumq. partes sunt. philosophiam quoque fuerunt, qui aliter, atque aliter definirent. Alij studium illum uirtutis esse dixerunt, alij studium corrigendae mentis, a quibusdam dicta appetitio rectae rationis. illud, quasi constet aliquid inter philosophiam, & sapientiam interesse. neque enim fieri potest, ut idem sit, quod affectatur, & quod affectat. quo modo multum inter auaritiam, & pecuniam interest, cum illa cupiat, haec concupiscatur: sic inter philosophiam, & sapientiam. haec enim illius effectus, & praemium est: illa uenit, ad hanc itur. Sapientia est, quam Graeci σοφίαν uocant. hoc uerbo quoque Romani utebantur, sicut Philosophia nunc quoque utuntur. A VETERIBVS *philosophis* § sic omnes libri ueteres. SIVE *oblectatio quaeritur animi, requiesq. curarum*; § sententia Platonis ἐν τῷ τῶν Πολ. θ. Τριῶν οὐσῶν τῶν ἡδονῶν, ἡ τούτου τοῦ μέρους τῆς ψυχῆς, ᾧ μανθάνομεν, ἥδιστη ἂν εἴη: καὶ ἐν ᾧ ἡμῶν τοῦτο ἄρχει, ὁ τούτου βίος ἥδιστος. Aristoteles autem Ηθικῶν κ. Δοκεῖ ἡ σοφία θαυμαστὰς ἡδονὰς ἔχειν καθαριότητι, καὶ τῷ βεβαίῳ. SEMPER *aliquid acquirunt*, § sic Tertii liber: alij omnes quattuordecim, quibus utor, Inquirunt, ad ueram lectionē proxime accedentes. Antea in uulgatis, male, Acquirunt. Hanc lectionem uidetur confirmare Aristoteles Πολ. β. cum ait, Εἴτινες βούλοιντο δι' αὐτῶν χαίρειν, οὐκ ἂν ἐπιζητεῖεν, εἰ μὴ παρὰ φιλοσοφίας ἄκως. SPECTET, § pertineat, referatur. Refertur hoc uerbum ad Philosophum. VALEAT § eam uim habeat, ut ad bene, beateq. uiuendum perducat. Refertur ad Philosophiae facultatem. AD *bene, beateq. uiuendum:* § significat genus illud uitae, quod in contemplatione positum est: cum uero subiungit, Siue ratio constantiae, uirtutisq. quaeritur; eam, quae de moribus agit, Philosophiae partem significat. nam lib. III. Cum tota inquit, philosophia frugifera, & fructuosa, nec ulla pars eius inculta, ac deserta sit: tum nullus feracior in ea locus est, nec uberior, quam de officiis: a quibus constanter, honesteq. uiuendi praecepta ducuntur. QVAERITVR; § Ducitur, habent septem libri ueteres, & Tertii. AVT *haec ars est, aut nulla omnino*, § De Fin. Artem uitae appellat: de Oratore, Disciplinam: ibidem, laudatarum artium omnium procreatricem, & quasi parentem: in Tusculanis, artium donum, & inuentum: in orationibus, eam continere ait uirtutis, officii, & bene uiuendi disciplinam. MAXIMARVM *rerum* § quid autem ijs maius, quas proxime, ut bene, beateq. uiuatur, quod naturalis philosophia praestat; deinde, ut cum uirtute, atque constantia; quod ea docet, quae moralis appellatur? IN *maximis rebus errantium*. § nam propterea plerique, ait Seneca, necessaria ignoramus, quod superuacanea didicimus. SI *autem est aliqua disciplina uirtutis;* § Virtutem proxime collocauit in moribus, idest in actione rerum, cum dixit, Siue ratio constantiae, uirtutisq. quaeritur: at hic utramque Philosophiae partem Virtutis nomine comprehendi, satis constat. Plato in Protagora, & in Menone, disputat, utrum uirtus doceri possit, & utrum sit scientia. QVOD *alio quodam libro fecimus*. § in Hortensio, qui non exstat. quo libro Philosophiam, Hortensio uituperante, summis extulit laudibus. lib. 2. de Diu. Tusc. III. & lib. I. de Fin. Vide Lactantium lib. III. cap. 2. & lib. VI. cap. 2. Augustinum de uita beata. qui, in libris Confessionum, confitetur se ex Ciceronis Hortensio, quem anno undeuigesimo in rhetorum scholis audierit, tanto philosophiae amore flagrare coepisse, ut se totum ad eam transferre meditatus sit, seq. prorsus mutasse inde affectus, & mutasse ad Deum. Quodam (quomodo imprimi curauimus) est in omnibus libris, quibus utor. A DOCTIS, *& eruditis*, § a Peripateticis maxime. CVM *percipi nihil posse dicamus*, § ex Academicorum sententia. nam in ea haeresi Cicero fuit. percipi autem nihil posse, dixit in quattuor Academicis libris: in quibus cum Varrone disputauit, cum illi partes Antiochi tribuisset, Philonis ipse sumpsisset. ALIIS *de rebus* § de quibus disseruit in ijs libris, quos antea de Philosophia composuit. PRAECEPTA *officij* § quae tradi ab ijs non debent, qui percipi nihil posse dicunt. NON *enim sumus ij*, § sceptici. QVORVM *uagetur animus errore*, § Plato in Axiocho: Συκ ἐπαίει γὰρ ὁ νοῦς ἀποπλανόμενος. *Quorum uagetur animus errore:* qui nihil probemus, nulla in sententia consistamus. Eius auctorem philosophiae Pyrrhonem fuisse tradunt. cuius explosam sententiam esse dixit lib. I.

uide

1. uide Agellium lib. XI. cap. 5. Senecam lib. XIII. Epist. prope finem, Laertium in Pyrrhone. MENS, § cui proposita est inuestigatio ueritatis. VITA *potius*, § non modo mens. nam mens, paucorum; uita, omnium. DISPVTANDI, § Disputandi, ad scientiam; Viuendi, ad mores pertinet. RATIONE *sublata?* § quae enim potest esse disputatio, quae uita, si nihil certum putemus, nihil, quod sequamur, habeamus? VT *ceteri, qui alia certa, alia incerta esse dicunt*, § ut ceteri philosophi, ab Academicis dissentientes, qui non alia certa, alia incerta esse dicunt, sed ambigunt de omnibus. id enim est proprium Academicorum. Qui, non est in antiquis sex, & Tertij. AB *his dissentientes*, § qui alia certa, alia incerta esse dicunt. ALIA *probabilia, contra alia improbabilia esse dicimus*. § nihil affirmantes, sed probabilia sequentes. Sunt ergo tres philosophorum sectae, una eorum, qui percipi quidquam posse negant; altera, qui alia certa, alia incerta esse dicunt; tertia, qui, ab utrisque dissentientes, neque negant, neque affirmant, sed alia probabilia esse dicunt, alia improbabilia. Veteres nouem libri, & Tertij, Alia probabilia, contra alia dicimus. QVID *est ergo, quod me impediat*, § nulla me ratio detereret: non uideo, cur mihi non liceat. VITARE, § non displicet, quod est in uetere Tertij, Vitantem. duo alij, Euitare. A NOSTRIS, § ab eo genere Academicorum, qui non, percipi nihil posse, dicunt, ut Pyrrhonij, sed alia probabilia esse, alia improbabilia, cum nihil tamen affirment. & ideo contra omnia disputant, ut illud ipsum probabile, quod sequuntur, appareat. Ex *utraque parte* § disputant de eo, quod quaeritur, in utramque partem, non ut affirment quidquam, sed ut probabilia, & improbabilia distinguant. SED *haec explanata sunt in Academicis nostris* § non duobus prioribus libris, Catulo, & Lucullo, sed quattuor posterioribus ad Varronem scriptis. Lib. 2. de Diuin. Quod genus, inquit, philosophandi minime arrogans, maximeq. & constans, & elegans arbitraremur, quattuor Academicis libris ostendimus. TIBI *autem, &c.* § filium alloquitur in conclusione προσφωνητικὴ paraenetica. ANTIQVISSIMA, § Peripatetica, uetustiore, quam Stoica; ab ipso Aristotele, omnium principe, nobilitata. NOBILISSIMAQ. *philosophia* § nobilitarunt enim eam scriptis, ut mox dixi, Aristoteles, & Theophrastus, & alij deinceps. CRATIPPO *auctore* § quasi duce, & magistro. ISTA *praeclara* § quae tu nunc, doctore Crasippo, tractas. Intelligit autem Socratem, Platonem, Xenocratem, Speusippum, Aristotelem, Theophrastum, & similes Academiae ueteris, & sectae Peripateticae auctores, atque principes. HAEC *nostra*, § quae in his libris persequimur e Stoicorum sententia. FINITIMA *uestris*, § de quo dixit in prooemio libri primi, Nostra legens, non multum a Peripateticis disidentia. Quia Stoici, quos in his libris Cicero secutus est, idem fere, quod Peripatetici, de officio sentiebant.

CICERO

QVINQVE *igitur rationibus propositis officij persequẽdi; quarum duae ad decus, honestatemq. pertinent; duae ad commoda uitae, copias, opes, facultates; quincta ad eligendi iudicium; si quando ea, quae dixi, pugnare inter se uiderentur, honestatis pars perfecta est; quam quidem tibi cupio esse notissimam. hoc autem, de quo nunc agimus, id ipsum est, quod utile appellatur. in quo uerbo lapsa consuetudo deflexit de uia, sensimq. eo deducta est, ut ab honesto utile secerneret, & cõstitueret honestum aliquod, quod utile non esset; & utile, quod non honestum. qua nulla pernicies maior hominum uitae potuit afferri. Summa quidem auctoritate philosophi, seuere sane, atque honeste, haec tria genera, confusa cogitatione, distinguunt: quidquid enim iustum sit, id utile etiam esse censent; itemque, quod honestum, idem esse iustum. ex quo efficitur, ut, quidquid honestum sit, idem sit utile. quod qui parum prospiciunt, hi saepe, uersutos homines, & callidos admirantes, eorum malitiam, sapientiam iudicant. quorum error eripiendus est: omnisq. opinio ad eam spem traducenda, ut honestis consilijs, iustisq. factis, non fraude, & malitia, se intelligãt ea, quae uelint, consequi posse. Quae ergo ad uitam hominum tuendam pertinent, partim sunt inanimata, ut aurum, argentum, ut ea, quae gignuntur e terra, ut alia eiusdem generis; partim animalia, quae habent suos impetus, & rerum appetitus. eorum autem alia rationis expertia sunt, alia ratione utẽtia. expertes rationis sunt equi, boues, reliquae pecudes, apes, quarum opere efficitur aliquid ad hominum usum, atque uitam. Ratione autem utentium duo genera ponuntur; unum deorum, alterum hominum. deos placatos pietas efficiet, & sanctitas. proxime autem, & secundum deos, homines hominibus maxime utiles esse possunt. Earumq. item rerum, quae nocent, & obsint, eadem diuisio est. sed, quia nocere deos non putant; his exceptis, male hominibus plurimum obesse, recte arbitrantur. Sed enim ipsa, quae inanimata diximus, pleraque sunt hominum operis effecta: quae nec haberemus, nisi manus, & ars accessisset; nec his sine hominum administratione uteremur. neque enim ualetudinis curatio, neque nauigatio, neque agricultura, neque frugum, fructuumq. reliquorum perceptio, & conseruatio, sine opera hominum, ulla esse potuisset. Iam uero, & earum rerum, quibus abundaremus, exportatio, et earum, quibus egeremus, inuectio certe nulla esset, nisi his muneribus homines fungerentur. Eademq. ratione nec lapides exciderentur e terra ad usum nostrum necessarij, nec ferrum, aurum, aes, argentum effoderetur penitus abditum, sine hominum labore, & manu. Tecta uero, quibus & frigorum uis pelleretur, & calorum molestiae sedarentur, unde aut initio generi humano dari potuissent, aut postea subueniri, si aut ui tempestatis, aut terrae motu, aut uetustate cecidissent, nisi communis uita ab hominibus harum rerum auxilia petere didicisset? Adde ductus aquarum, deriuationes fluminum, agrorum irrigationes, moles oppositas fluctibus, portus manu factos: quae unde sine hominum opere habere possemus? Ex quibus omnibus, multisq. alijs, perspicuum est, qui fructus, quaeq. utilitates ex rebus ijs, quae sunt inanimatae, percipiantur, eas nos nullo modo sine hominum manu, atque opera capere potuisse. Qui denique ex bestijs fructus, aut quae commoditas, nisi homines adiuuarent, percipi posset? nam &, qui principes inueniendi fuerunt,*

Landesbibliothek Oldenburg

quem ex quaque bellua usum habere possemus, homines certe fuerunt; nec hoc tempore sine hominum opera aut pascere eas, aut domare, aut tueri, aut tempestiuos fructus ex his capere possemus: ab eisdemq. & ea, quae nocent, interficiuntur; &, quae usui possunt esse, capiuntur. Quid enumerem artium multitudinem, sine quibus uita omnino nulla esse potuisset? quid enim aegris subueniret? quae esset oblectatio ualentium, qui uictus, aut cultus, nisi tam multae nobis artes ministrarent? quibus rebus exculta hominum uita tantum destitit a uictu, & cultu bestiarum. Vrbes uero sine hominum coetu non potuissent nec aedificari, nec frequentari: ex quo leges, moresq. constituti, tum iuris aequa descriptio, certaq. uiuendi disciplina; per quas bene, beateq. uiuitur. quas res & mansuetudo animorum consecuta, & uerecundia est: effectumq. est, ut esset uita munitior, atque ut, dando, & accipiendo, permutandisq. facultatibus, & commodis, nullare egeremus. Longiores hoc loco sumus, quam necesse est. quis est enim, cui non perspicua sint illa, quae pluribus uerbis a Panaetio commemorantur, neminē neque ducē in bello, nec principem domi magnas res, & salutares sine hominum studijs gerere potuisse? Commemoratur ab eo Themistocles, Pericles, Cyrus, Agesilaus, Alexander: quos negat sine adiumentis hominum tantas res efficere potuisse. utitur in re non dubia testibus non necessarijs.

EXPLANATIO

QVINQVE *igitur rationibus propositis officij persequendi,* § duabus de honesto, duabus de utili: de honesto, utrum aliquid honestum sit, an turpe, &, duobus propositis honestis, utrum honestius: de utili, utrum aliquid utile, an inutile, &, duobus propositis utilibus, utrum utilius: quincta, de iudicio deligendi, si quando id, quod ad honestatem pertinet, cum eo, quod ad uitae commoda, pugnare uideretur. In hac diuisione dissentire se a Panaetio fatetur his uerbis, lib. I. Triplex est, ut Panaetio uidetur, consilij capiendi deliberatio. nam, honestum ne factu sit, an turpe, dubitant, id quod in deliberationem cadit: in quo considerando saepe animi in contrarias partes distrahuntur. Tum autem inquirunt, aut consultant, ad uitae commoditatem, iucunditatemque ad facultates rerum, atque copias, ad opes, ad potentiam, quibus & se possint iuuare, & suos, conducat id, nec ne, de quo deliberant: quae deliberatio omnis in rationem utilitatis cadit. Tertium dubitandi genus est, cum pugnare uidetur cum honesto id, quod uidetur esse utile. cum enim utilitas ad se rapere, honestas contra reuocare ad se uidetur; fit, ut distrahatur in deliberando animus, afferatq. ancipitem curam cogitandi. Hac in diuisione, cum, praeterire aliquid, maximum uitium in diuidendo sit, duo praetermissa sunt. nec enim solum, utrum honestum, an turpe sit, deliberari solet; sed etiam, duobus propositis honestis, utrum honestius; itemque, duobus propositis utilibus, utrum utilius. ita, quam ille triplicem putauit esse rationem, in quinque partes distribui debere reperitur. Primum igitur est de honesto, sed dupliciter, tum pari ratione de utili, post de comparatione eorum differendum. *officij persequendi*: officij inueniendi: ut agatur id, quod si omittatur, contra officium est. QVARVM *anae ad deus, honestatemq. pertinent*, § de quibus libro superiore dictum est. DVAE *ad commoda uitae*, § de quibus hoc libro dicetur. ideo subiungitur: Hoc autem, de quo nunc agimus, id ipsum est, quod utile appellatur. QVINCTA *ad eligendi iudicium*, § de qua nihil scripsit Panaetius, cum tamen se esse scripturum promisisset. Cicero autem hac de ratione lib. III. copiose disputat. EA, *quae dixi*, § ea, quae ad honestatem, & ea, quae ad commoda uitae pertinent. PVGNARE *inter se* § aliquid esse utile, quod inhonestum: & contra. HONESTATIS *pars perfecta est*; § absoluta a nobis libro superiore: in quo, quemadmodum ab honestate officia ducerentur, ostendimus. QVAM *quidem tibi cupio esse notissimam.* § quam cupio diligenter legas: ut actiones, & studia tua ad decus, honestatemq. dirigas. IN *quo uerbo lapsa consuetudo* § Sallustius, in oratione Catonis: Iampridem equidem nos uera rerum uocabula amisimus: quia, bona aliena largiri, liberalitas; malarum rerum audacia, fortitudo uocatur. Plato IIX. de rep. eiusmodi uocum inuersiones corruptis per prauam educationem animis acceptas refert. Τῶν, ait, παιδευσιν καλοῦντες, ἀναρχίαν δὲ ἐλευθερίαν, ἀσωτίαν μεγαλοπρέπειαν, ἀναίδιαν δὲ ἀνδρίαν. Plutarchus Alcibiadem huius peruersitatis auctorem scribit. Et idem Plut. de discrimine adulatoris, & amici Thucydidem auctorem citat, hoc in seditionibus maxime, ac bellis fieri, ut solita uocabulorum dignitas non his tribuatur factis, quibus oportebat, sed accommodetur his, quae fiebant. siquidem audacia temeraria, fortitudo contentiosa iudicetur, cunctatio prouida, timiditas decora: contra modestiae nomine praetexetur ignauia, & diligens in omni re prudentia segnities habeatur. DEFLEXIT *de uia*, § Naues decedere suo cursu, dixit Caesar extremo lib. III. de bello ci. Quo loco, Deflectere, libentius legerem. SENSIMQ. *eo deducta est*, § *Sensim*: quia non statim homines improbi sunt; uerum, ubi semel de uirtutis uia deflectere coeperunt, sensim in turpissima uitia deducuntur. unde illud Satyrici poetae:

Nemo repente fuit turpissimus.

NVLLA *pernicies maior* § omittitur enim saepe honestum propter uitae commoda: & utile putatur, quod re uera non est. SVMMA *quidem auctoritate philosophi* § Socrates apud Platonem lib. IIX de rep. SEVERE *sane, atque honeste* § non leuiter, neque temere. HAEC *tria* § iustum, utile, honestum: quae sua natura cohaereant, nec diuelli possint. GENERA *confusa*, § unum enim omnium genus est: nec distingui possunt, quod ad genus attinet. nam iustum, utile, honestum, simul sunt &, qui iustum dicit, idem utile; qui utile, idem iustum: qui honestum, idem utile. COGITATIONE *distinguunt*. § ut species, quo modo philosophi loquuntur, uni subiectae generi distinguuntur: nam equus, & homo specie differunt, genere idem sunt. IDEM *esse iustum*. § Id, est in septem ueteribus. Esse, abest a Tertii libro,

bro,& duobus alijs ueteribus. QVOD *qui parum prospiciunt*, § qui non intelligunt,quidquid honestum sint,utile idem esse. *Parum prospiciunt*: qui id modo, quod ante pedes est, uident, nec in longitudinem consulunt: ut ait Terentius. VERSVTOS *homines, & callidos* § qui ab honesto utile secernunt: & quia copias, opes, facultates fraude, & malitia adipiscuntur,uulgo sapientes existimantur. *Versutos*: πολυτροπους, καὶ πανούργους: qualem Philippum Demosthenes, Vlixem Poetae describunt. qui in omnem partem uersant animum,nihilq. intentatum relinquunt, quo suis rationibus consulturi esse uidcantur. *Callidos*: diuturno rerum usu ita eruditos,ex aliorum incommodis sua uti parent commoda,ut loquitur Comicus,nec a malis artibus abhorreant. Cicero de nat.de. Versutos dicit, quorum celeriter mens uersatur; Callidos,quorum tamquam manus opere,sic animus usu concalluit. HONESTIS *consilijs*, § quod est prudentiae. IVSTIS *factis*, § quod est iustitiae:cui fortitudo, & temperantia se comites adiungunt. QVAE *ergo,&c.* § Nunc ingreditur disputare de ijs,quae utilia hominibus sunt: quae duo sunt. quaedam animalia, ut homines; quaedam inanima,ut argentum,aurum,arbores.ex quibus duo alia nascuntur, quae prosunt hominibus,& quae nocent: ex ijs, quae prosunt, duo etiam nascuntur:quaedam rationis expertia, ut equi; quaedam, quae ratione utuntur,ut homo. Ex ijs uero, quae nocent, duo etiam nascuntur, quaedā inanima,ut gladij;quaedam uero animalia,ut scorpiones.sed omnia mala ex homine nascūtur, teste Plin.Haec Ciofanus. PARTIM *sunt inanima*, § non, Inanimata: ex antiquis libris quinque,& Tertij:& ex Nonio:cuius haec sunt: Inanima,sine anima. Cic. de Off. lib.II.&c.Et Hortensio: Nam,cū omnis sollertia admiranda est,tum ea,quae efficit,ut,inanima quae sunt, uiuere,& spirare uideantur. Cicero autem Animal pro Animatum,Inanimum,pro Inanimatum, dixit. AVRVM, *argentum*, § quae ipsa per se nec bona,nec mala sunt, sed pro eorum,qui utuntur,mente uel prodesse solent hominibus,uel obesse. Cicero neruos reip. Pecuniam dicit: sine qua Demosthenes nihil decenter fieri posse, nec utiliter, in Olynthiacis dixit. QVAE *gignuntur e terra*, § fruges, fructus, ligna, herbae, tam pabulo, quam medicinae seruientes. QVAE *habent suos impetus, & rerum appetitus*. § siue ratione praedita sint, siue rationis expertia. sed ex ratione praeditis excipit omnino deos. sic enim est putandum: quamquam subiungit, Vnum deorum, alterum hominum. nam, quis eum tribuisse deis impetus, & rerum appetitus existimet? Et tamen fuerunt, qui hoc sentire hoc loco Ciceronem crederent. BOVES, § Plinius lib. IIX.cap. 45. Socium laboris, agriq. culturae habemus hoc animal,tantae apud priores curae, ut sit inter exempla damnatus a populo R.qui concubino pro caci rure omasum edisse se negante,occiderit bouem,actusq. in exsiliū, tamquam colono suo interempto.Et Cicero de nat. de. scelus esse habitum scribit, uesci huius animalis uisceribus. Βᾶες,unde etiam Boues, Latina uox, ἀπὸ τοῦ βόσκειν, idest pascendo, dicti sunt. RELIQVAE *pecudes,apes, quarum opere efficitur aliquid ad hominum usum, atque uitam*. § sic malo, quam, Opera, suffragantibus meis tredecim antiquis libris,& Tertij. brutis enim, ratione carentibus, Opus tribuo libentius, quam Operam. nam, quod obijcitur, Opere perfectam rem significari, hoc non moueor. potest enim Cicero dicere,his rebus,quas equi, boues, reliquae pecudes,apesq. perficiunt,adiuuari uitam hominum. Sed, quid,si Opus interdum non id,quod effectum iam est, sed id, quod efficitur,accipiamus? Ego Latine dici posse credam,& de rusticis hominibus,& de equis, bobus, reliquisq. pecudibus: In opere uersantur. idest, ut opus faciant: cum eorum labor nondum ad rei exitum peruenerit. Lambino magis placuit, Opera, quam Opere: cum quo facit unus ex meis ueteribus libris. mihi, ut dixi, Opere, magis, quam Opera. Sequor autem, praeter ea, quae dixi, Ciceronem ipsum, qui paullo post, Adde,inquit,ductus aquarum, deriuationes fluminum, agrorum irrigationes, moles oppositas fluctibus, portus manu factos: quae non sine hominum opere habere possemus. Et infra: Secundae res, honores, imperia, uictoriae, quamquam fortuita sunt, tamen sine hominum operibus, & studijs neutram in partem effici possunt. Quibus ex locis, Opus, non id tantum esse,quod factum est,ut Lambinus putat, unde mutandi consilium cepit, uerum etiā id, quod fit,non obscure intelligitur. atque etiam, ut sensus meus est, plus quiddam inesse uidetur in Opere,quam in Opera. *Apes*: quarum remp. cum describisset Virgilius, subdit:

His quidam signis, atque haec exempla secuti,
Esse apibus partem diuinae mentis,& haustus
Aetherios dixere.

Aliquid: quanti sunt

Aerij mellis caelestia dona?

Aliquid: cuncta enim hominum gratia creata. Aristot.Polit.I.Cicero de nat.de.II.Socrates apud Xenophontem. lib. IV. λῶν ἀπομνημονευμάτων. *Hominum*: non dixit,Hominis; sed,Hominum:ut hominum auaritiam magis notaret. DVO *genera ponuntur*; § Ponunt,est in undecim meis, & Tertij. DEOS *placatos* § idest, propitios, uitaeq. hominum utiles. nam hic agitur de utilitate,quae ex animalibus ratione utentibus percipitur. PIETAS § iustitia aduersus deos. SANCTITAS. § scientia colendorum deorum. Vide Euthyphronem Platonis. PROXIME *autem, & secundum deos*, § Et, abest ab uno uetere libro. ITEM § Iterum, ueteres decem. DEOS *nocere non putant*, § quos non tantum non nocere,sed neque prodesse affirmarunt Epicurei. Lucretij uersus sunt:

Omnis enim per se diuum natura necesse est
Immortali aeuo summa cum pace fruatur,
Semota a nostris rebus, seiunctaq. longe.
Nam priuata dolo re omni, priuata periclis,
Ipsa suis pollens opibus,nil indiga nostri,

Landesbibliothek Oldenburg

Nec bene pro meritis capitur, nec tangitur ira.

Deos non nocere, ait Socrates apud Platonem in Theaeteto: Πορρωθεν τοῦ εἰ δέναι, ὅπι οὐδεὶς θεὸς δόσνους ἀνθρώποις. HIS *exceptis*, § has duas uoces quidam delent, contra ueterum omnium librorum fidem: sententiaq. eas non respuit: quodq. me in primis mouet, eas retinet Seruius Aen. lib. XII. HOMINES *hominibus* § hinc, Homo homini deus, Homo homini lupus. OBESSE, § si oderint, & contemnant. VEL *prodesse* § si ament, & admirentur. *Vel prodesse:* absunt hae duae uoces a sex meis libris ueteribus, & Tertij: nec eas agnoscit idem Seruius. QVAE *inanima diximus*, § aurum, argentum, & ea, quae gignuntur ex terra. sic octo ueteres, & Tertij. PLERAQVE *sunt hominum operis effecta*: § sic antiqui libri septem, & Tertij. Ab homine omnis manat utilitas. FRVGVM, *fructuumq. reliquorum perceptio*, § in dialogo, de Senectute. *Frugum*: de frumento, & leguminibus. *Fructuumque*: de arborum fetibus. CONSERVATIO § de qua Columella, & alij. IAM *uero, & earum* § Plato lib. IIX. de Leg. ciusmodi rerum uectigalia damnat. Τέλος δὲ ἐν τῇ πολει μηδένα μηδὲν τέλειν, μήτε ἐξαγομένων μήτε εἰσαγομένων. λιβανωτὸν δὲ, καὶ ὅσα περὶ θεοὺς, τὰ τοιαῦτα ἐσίξενικά. θυμιάματα, καὶ πορφύραν, καὶ ὅσα βαπτὰ χρώματα μὴ φερούσης τῆς χώρας, ἢ περί τινα ἄλλην τέχνην δεομένην, ξενικῶν τινῶν εἰσκυκλίμων, μηδενὸς ἀναγκαίου χάριν, μήτε τις ἀγέτω, μήτε αὖ τῶν ἐν τῇ χώρᾳ ἀναγκαίων ἐμμένειν ἐξαγέτω. EARVM *rerum, quibus abundaremus, exportatio, & earum, quibus egeremus, inuectio* § quarum rerum munera Cicero his hominibus tribuit, earum causa nummi usum inuentum esse dixit Aristoteles lib. I. Pol. Ξενικωτέρας, inquit, γινομένης τῆς βοηθείας, τῷ εἰσάγεσθαι, ὧν ἐνδεεῖς, καὶ ἐκπέμπειν ὧν ἐπλεόναζον, ἐξ ἀνάγκης ἡ τοῦ νομίσματος ἐπορίσθη χρῆσις. Cuius sententiae primam partem, de exportatione, & inuectione rerum Cicero in hunc locum transtulit: secundam, de nummi usu, cum ipse de hominibus loqueretur, omisit. AVRVM, *aes, argentum* § Haec non usui, aut necessitati, sed luxui, tribuit Plinius in praefatione libri XXXIII. Et Ouid. Metam. I.

Nec tantum segetes, alimentaq. debita diues
Poscebatur humus, sed itum est in uiscera terrae:
Quas recondiderat, Stygijsq. admouerat umbris.
Effodiuntur opes, irritamenta malorum.
Iamq. nocens ferrum, ferroq. nocentius aurum.

AVT *postea subueniri*, § Potuisset, subaudiri necesse est. Subuenire tamen, ueteres undecim, & Tertij. In uno, Neque subuenire, neque subueniri. HARVM *rerum auxilia* § uertit Graecum uerbum Aristotelis. nam Pol. I. Ἡ γὰρ, inquit, πρὸς τ' ἀναγκαῖα τῷ σώματι βοήθεια γίνεται παρ' ἀμφοῖν, παράτε τῶν ἡμέρων ζώων. DVCTVS *aquarum*, § de quibus exstant Sex. Iulij Frontini libri duo, quos, propediem a me emendatos, Scholijsq. illustratos, edendos curabo. DERIVATIONES *fluminum*, § cum unus alueus in plures diducitur, ad urbium, agrorum, nauigationumq. commoditatem. MOLES *oppositas fluctibus*, § aggeres, ad maris, fluminum, stagnorum exundationes prohibendas. Virg. Georg. II.

An memorem portus, Lucrinoq. addita clastra?
Atque indignatum magnis stridoribus aequor?

Et Horatius lib. III. Od. 2.

Contracta pisces aequora sentiunt,
Iactis in altum molibus: huc frequens
Caementa demittit redemptor
Cum famulis, dominusq. terrae
Fastidiosus.

QVAE *unde sine hominum opere habere possemus?* § sic decem ueteres libri, & Tertij. unus, Posimus? unus, Quae sine labore habere non possumus. Antea pro Vnde, Non, legebatur. Melior autem lectio est, quam in libro meo imprimi curaui. EX *quibus omnibus*, § hactenus inanimata nominauit. SVNT § Sint, quattuor libri, & Tertij. INANIMATAE, § duo, & Tertij, Inanima: tres, Inanimae. QVI *denique* § nunc de animatis, quae ipsa sine hominis industria nullum fructum ferrent, aggreditur dicere. QVI *denique ex bestijs fructus, aut quae commoditas, nisi homines adiuuarent, percipi posset?* § quod Aristoteles dixit lib. I. Politicorum: Βοήθεια γίνεται παρὰ τῶν ἡμέρων ζώων. QVI *principes inueniendi fuerunt*, § qui primi inuenerunt. HOMINES *certe fuerunt;* § ut Saturnus, Pallas, Ceres, Bacchus, opinione, & fama hominum dij facti. PASCERE *eas*, § male alios, Equos. nam ad belluas refertur hoc totum, Pascere, domare, tueri, tempestiuos fructus ex his capere. quod comprobatur quattuor ueterum librorum, & Tertij testimonio. QVID *enumerem artium multitudinem*, § Ouidius:

Scilicet ingenium placida mollitur ab arte,
Et studio mores conuenienter eunt.

QVID *enim aegris subueniret?* § ita est in sex uet. lib. Vnus, Quis enim aegris subuenisset? Tres, Quis enim aegris subueniretur? Tertij, Qui enim aegris subuenisset? Ciofano placet, Qui enim aegris subueniretur? TANTVM *destitit a uictu, & cultu bestiarum.* § sic nouem ueteres libri, & Tertij: pro, tantum discesit. unus, Desistit. alius, Deficit. Lambinus mutat, & reponit, Distitit: cum quo faciunt tres libri. mihi, cur mutatio fiat, causa non uidetur. &, Distitit, inusitatum est. quod etiamsi usitatum esset, legerem libentius, Distat. cur enim dicat, ijs rebus excultam hominum uitam, a uictu, & cultu bestiarum tam diuersam fuisse: potius quam, tam diuersam esse? Descisit, legit Ciofanus. VRBES *uero sine hominum coetu* § de Somnio Scipionis: Nihil est illi principi deo, qui omnem hunc mundum regit, quod quidem in terris fiat acceptius, quam concilia, coetusq. hominum iure sociati, quae Ciuitates appellantur. IVRIS *aequa*

de-

descriptio, § lib. I. dixit, Iura describere, magistratus officium esse. Descriptio Tertij liber. PER *quas bene, beateq. uiuitur. quas res &c.* § Per quas bene, beateq. uiuitur, non legitur in ullo uetere libro. EFFECTVMQ. *est*, § abest, Est, a duobus ueteribus. VT *esset uita munitior*, § legibus intra urbem, moenibus aduersus exteram uim. *Munitior*: minus obnoxia iniurijs tempestatum, grassationibus ferarum, & eorum uiolentiae, qui robore sunt superiores. PERMVTANDIS Q. *facultatibus*, § quod ueteres facere solitos esse, ait Sallustius, Iugurtha: Vino aduectitio mutare &c. IN *bello*, § omnes ueteres, Bello. unus, Belli. fortasse non male. CYRVS, § Cambysis filius, Persarum rex, qui, magnis rebus gestis, postremo a Thomiri, Scytharum regina, cum ducentis Persarum millibus caesus est. Nominari debuit, si ratio temporum habeatur, ante reliquos quattuor. ALEXANDER: § aetate ultimus, rerum gestarum gloria omnium praestantissimus. VTITVR *in re non dubia testibus non necessarijs*. § hoc est, exemplis. Argumenta, teste Quinctiliano, confessa ob id esse debent, quia dubijs adhibentur. Quid ergo opus est, in rebus confessis, & minime ambiguis, inanem operam sumere? Alibi: Vbi rerum testimonia adsunt, quid opus est uerbis?

CICERO

ATQVE, *ut magnas utilitates adipiscimur consPiratione hominum, atque consensu: sic nulla tã detestabilis pestis est, quae non homini ab homine nascatur. est Dicaearchi liber de interitu hominum, peripatetici magni, & copiosi: qui, collectis ceteris caussis, eluuionis, pestilentiae, uastitatis, belluarum etiam repentinae multitudinis, quarum impetu docet quaedam hominum genera esse consumpta, deinde comparat, quanto plures deleti sint homines hominum impetu, ideſt bellis, aut sedi tionibus, quam omni reliqua calamitate. Cum igitur hic locus nihil habeat dubitationis, quin homines plurimum hominibus & prosint, & obsint; proprium hoc statuo esse uirtutis, conciliare sibi animos hominum, & ad usus suos adiungere. itaque, quae in rebus inanimis, quaeq. in usu, & tractatione belluarum fiunt utiliter ad hominum uitam, artibus ea tribuuntur operosis: hominum autem studia, ad amplificationem nostrarum rerum prompta, ac parata, uirorum praestantium sapientia, & uirtute excitantur. Etenim uirtus fere omnis in tribus rebus uertitur: quarum una est in perspiciendo, quid in quaque re uerum, sincerumq. sit, quid consentaneum cuique, quid consequens, ex quo quaeque gignantur, quae cuiusque rei sit caussa. alterum, cohibere motus animi turbatos, quos Graeci πάθη nominant; appetitiones, quas illi ὁρμὰς, oboedientes efficere rationi. tertium, ijs, quibuscum congregamur, uti moderate, & scienter, quorum studijs ea, quae natura desiderat, expleta, cumulataq. habeamus: per eos denique, si quid importetur nobis incommodi, propulsemus: ulciscamurq. eos, qui nocere nobis conati sunt; tantaq poena afficiamus, quantam aequitas, humanitasq. patitur.*

EXPLANATIO

CONSPIRATIONE *hominum, atque consensu*: § In Rullum: Conspirate nobiscum, consentite cum bonis. De Fin. Aliqui magna amoris conspiratione consentientes. In Epist. Mirabiliter omnium gentium, atque ordinum consensus ad liberandam remp. conspirauit. In ijsdem uero Epist Conspirationis nomine usus est. Haec conspiratio, & concordia omnium ordinum ad defendendam libertatem. In Catil. Tanta conspiratio bonorum. Pro domo: Haec nostra conspiratio in rep. bene gerenda. NVLLA *tam detestabilis pestis est, quae non homini ab homine nascatur*. § homini enim ab homine pessima quaeque nascuntur: & homo homini plus, quam res aliae omnes, siue animatae, siue inanimae, nocet. DICAEARCHI § Surdas: Dicaearchus, Phidiae F. Siculus, Messenius, Aristotelis auditor philosophus, orator, geometer. Scripsit dimensiones montium Peloponnesi. Graeciae uitam libris III. Rempublicam Spartiatarum: qui liber ut quotannis in Ephororum praetorio puberibus auscultantibus recitaretur, lege sancitum fuit apud Lacedaemonios, & longo tempore obseruatum. Cicero Tusc. I. Aristoxeni condiscipulum, & aequalem facit, deliciasq. suas appellat, eumq. tres libros scripsisse ait, quibus Lesbiaci titulus, in quibus animam nihil esse docuerit. Laertius ait, cum Platonis scribendi genus improbasse. PERIPATETICI *magni, & copiosi*: § celebris, tam doctrina rerum, quam dicendi facultate instructi. COLLECTIS *ceteris caussis*, § alij legunt, Exteris. ut illae significentur, quae non oriuntur ab ipsis hominibus, sed extrinsecus quodam modo sunt. Tres ex meis non habent uerbum Ceteris. Alij omnes, & Tertij, Ceteris. ELVVIONIS, § κατακλυσμοῦ, inundationis. VASTITATIS, § uide Prouerb. Optimum non nasci. BELLVARVM *etiam repentinae multitudinis*, § ut ranarum, & murium. DEINDE *comparat*, § uide Prouerb. Dulce bellum in expertis. CONCILIARE *sibi animos, hominum*, § octo ex meis, & Tertij, non habent particulam Sibi. AD *usus suos adiungere*. § efficere, ut re, opera, consilio nos uiuent. IN *usu, & tractatione* § Vsu, &, non legitur in undecim meis, & Tertij. ARTIBVS *operosis*: § quae in opere consistunt, non a sapientia, & uirtute proficiscuntur: quae manum, laboremq. postulant: πρακτικαῖς. HOMINVM *autem studia uirorum praestantium sapientia, & uirtute excitantur*. § homines conciliantur sapientia, & uirtute. AD *amplificationem nostrarum rerum* § ad utilitatem nostram: ut conseruentur, augeanturq. res nostrae. nam in amplificatione conseruatio includitur. VIRTVS *fere omnis* § quae in hominem cadere possit, & quae nobis animos hominum conciliet, ad ususq. nostros adiungat. *Virtus fere omnis*: Virtutem diuidit in Logicen, Ethicen, & Politicen. Virtutem autem pro Philosophia dixit. Vnde Seneca Epist. lib. XIV. Philosophia sine uirtute non est, nec si-

ne

ne philosophia uirtus. VERTITVR. § consistit, tribus rebus continetur. QVARVM *una est in perspiciendo, quid in quaque re uerum, sincerumq. sit,* § haec prudentia est. de qua lib. I. Omne, quod honestum est, aut in perspicientia ueri, sollertiaq. uersatur. SIT *causa.* § undecim mei, & Tertij, ordine praeposterο, Caussa sit. ALTERVM, § dixit: Omnis fere uirtus in tribus rebus uertitur: quarum una est: nunc subiungit, Alterum: pro, Altera res. COHIBERE *motus animi turbatos,* § haec, temperantia. VTI *moderate,* § haec, industria. PER *eos denique,* § rectius, ut in antiquis libris, Per eosdemque. TANTAQ. *poena afficiamus,* § pergit in describenda iustitia. Fortitudinem omitti miror. propterea dixit: Virtus fere omnis in tribus rebus uertitur: non in quattuor. infra tamen perspicue fortitudinem describit, cum ait: Haec animi despicientia admirabilitatem magnam facit. Et lib. I. Omne, quod honestum est, id quattuor partium oritur ex aliqua: non, ex tribus. TANTA, *&c. quantam* § in puniendo modus est ab humanitate praescriptus. AEQVITAS, *humanitasq.* § ne & irae indulgeatur, & crudelitas in uictos exerceatur. HVMANITASQ. § hominem enim clementiam magis decet, quam crudelitas.

CICERO

QVIBVS *autem rationibus hanc facultatem assequi possimus, ut hominum studia complectamur, eaq. teneamus, dicemus, neque ita multo post. sed pauca ante dicenda sunt. Magnam uim esse in fortuna, in utramque partem, ad secundas res, uel aduersas, quis ignorat? nam &, cum prospero flatu eius utimur, ad exitus peruehimur optatos; &, cum restauit, affligimur. haec igitur ipsa fortuna ceteros casus uariores habet; primum ab inanimis procellas, tempestates, naufragia, ruinas, incendia; deinde a bestijs ictus, morsus, impetus. haec igitur, ut dixi, uariora. at uero interitus exercituum, ut proxime trium, saepe multorum; clades imperatorum, ut nuper summi, ac singularis uiri; inuidiae praeterea multitudinis; atque ob eas bene meritorum saepe ciuium expulsiones, calamitates, fugae. rursusq. secundae res, honores, imperia, uictoriae, quamquam fortuita sunt, tamen sine hominum operibus, & studijs neutram in partem effici possunt. hoc igitur cognito, dicendum est, quonam modo hominum studia ad utilitates nostras allicere, atque excitare possimus. quae si longior fuerit oratio, cum magnitudine utilitatis comparetur: ita fortasse etiam breuior uidebitur. Quaecumque igitur homines homini tribuunt ad eum augendum, atque honestandum; aut beneuolentiae gratia faciunt, cum aliqua de caussa quempiam diligunt: aut honoris, si cuius uirtutem suspiciunt, & si quem fortuna dignum quamamplissima putant; aut cui fidem habent, & bene rebus suis consulere arbitrantur; aut cuius opes metuunt; aut contra, a quibus aliquid exspectant, ut cum reges, populares ue homines largitiones aliquas proponunt: aut, postremo, pretio, aut mercede ducuntur. quae sordidissima quidem est ratio, & inquinatissima & ijs, qui ea tenentur, & illis, qui ad eam confugere conantur. male enim se res habet, cum, quod uirtute effici debet, id tentatur pecunia. sed, quoniam nonnumquam subsidium hoc necessarium est, quemadmodum sit utendum eo, dicemus, si prius ijs de rebus, quae uirtuti propiores sunt, dixerimus. Atque etiam subijciunt se homines imperio alterius, & potestati pluribus de caussis. ducuntur enim aut beneuolentia, aut beneficiorum magnitudine, aut dignitatis praestantia, aut spe, sibi id utile futurum; aut metu, ne ui parere cogantur; aut spe largitionis, promissionisq. capti; aut, postremo, ut saepe in nostra rep. uidemus, mercede conducti.*

EXPLANATIO

MAGNAM *uim esse in fortuna in utramque partem,* § haec interponit, ut occurrat obiectioni. dicet enim aliquis: A fortuna proficiscuntur omnia: quid ego de studiis hominum laborem? Respondet: Fortuitae quidem sunt secundae res, honores, imperia, uictoriae, tamen sine hominum operibus, & studijs neutram in partem effici possunt. *Magnam uim esse in fortuna:* Demosthenes Olynth. II. Μεγάλη ῥοπὴ, μᾶλλον δὲ, ὅλον ἡ τύχη παρὰ παντ' ἐστὶ τὰ τῶν ἀνθρώπων πράγματα. Iuuenalis uero fortunam irridet:

Nullum numen abest, si sit prudentia. Sed nos
Te facimus, fortuna, deam, caeloq. locamus.

Vide Lact. Firm. lib. III. cap. 29. AD *exitus peruehimur optatos,* § ut in portum. AFFLIGIMVR. § ut in scopulis. VT *proxime trium,* § in Pharsalia, in Africa, in Hispania; ducibus, in Pharsalia, Pompeio Magno; in Africa, Scipione Pompeii socero, & Iuba Mauritaniae rege; in Hispania, Pompeij liberis. SVMMI, *ac singularis uiri:* § Pompeij Magni. BENE *meritorum ciuium expulsiones,* § exempla sunt apud Valerium lib. V. cap. de Ingratis. NEVTRAM *in partem effici possunt.* § neque aduersae res, ut interitus exercitium, neque secundae, ut honores. HOC *igitur cognito,* § beneuolentiam conciliat ab utilitate. *Hoc igitur cognito:* ex quo intelligitur, allicienda esse hominum studia ad utilitates nostras. Narrat sex praecipuas esse caussas, quae homines saepe commouere solent, ut aliis faueant. quidam mouetur beneuolctiae Gratia. II, quidam opinione uirtutis. III, fide. IV, quia rebus suis bene consulere arbitrantur. V, metu. VI, mercede conducti. quia ab illis aliquid exspectant, ut fecit Caesar diuisiones agrorum: ut etiã Clodius adduxit multos mercede, ut sibi fauerent. Haec Ciofanus. QVAECVMQVE *igitur etc.* § caussae, cur quidque fiat ab hominibus erga homines. Sunt autem sex. AD *eum augendum,* § ideest, ad augendam eius diuitias, potentiam, & eam auctoritatem, quae ex ijs oritur. Et est Graeca phrasis, αὐξάνειν τινά. Demosthenes Olynth. II. Νῦν δὲ, τὰ μὲν παρόν, ἀεὶ προιέμενοι, τὰ δὲ μέλλοντα αὐτόματα οἰόμενοι σχήσειν καλῶς, καὶ ηὐξήσαμεν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, Φίλιππον ὑμεῖς, καὶ κατεσκευάσαμεν τηλικοῦτον, ὥλίγος οὐδεὶς πω βασιλεὺς

γέγονε

γέγονε Μακεδονίας. HONESTANDVM; ℈ honoribus cumulandum. HONORIS, *si cuius uirtutem suspiciunt*, ℈ Plautus Amphitruone:

Virtute ambite oportet, non fauitoribus.

Cicero ad Appium, ep. ult. lib. III. Insignia uirtutis multi etiam sine uirtute assecuti sunt: talium uirorum tanta studia assequi sola uirtus potest. Et ad Plancum, lib. x. ep. 3. Omnia summa consecutus es, uirtute duce, comite fortuna. ET *si quem fortuna dignum quamampliß.* ℈ Quemq. fort. d. q. habent sex mei, & Tertij. CVI *fidem habent*, ℈ ut, expulsis regibus, primis consulibus. CVIVS *opes metuunt*; ℈ quas periculosas in rep. esse, si magnae sint, ait Plato: quod, eas qui possident, nisi eis magistratus pro eorum libidine deferantur, libertati publicae insidias struunt. QVI *ea tenentur*, ℈ qui mercede ducuntur. AD *eam confugere* ℈ ut pecunia corrumpant eos, a quibus aliquid expetunt: cum id, quod cupiunt, uirtute potius consequi debeant. MALE *enim se res habet*, ℈ uidetur Aristotelem imitatus lib. II. Pol. cap. 9. Φαῦλον τὸ τὰς μεγίστας ὠνητὰς εἶναι τῶν ἀρχῶν, τήν τε βασιλείαν, καὶ τὴν στρατηγίαν. Propterea Macedonum rex Philippus Alexandrum filium, quod largitione Macedonum animos consectaretur, in epistola quadam accusauit, his uerbis: Quid te, malum, rationis in istam spem induxit, ut eos tibi fideles putares fore, quos pecunia corrupisses? an tu id agis, ut Macedones non te regem suum, sed ministrum, & praebitorem putent? quo quid regi sordidius? SVBSIDIVM *hoc necessarium est*, ℈ uel cum cetera subsidia desunt, uel cum infirma sunt. QVEMADMODVM *sit utendum eo*, ℈ id infra docet, his uerbis: Nonnumquam est largiendum: & saepe idoneis hominibus indigentibus de re familiari impertiendum, sed diligenter, atque moderate. multi enim patrimonia effuderunt, inconsulte largiendo. QVAE *uirtuti propiores sunt*, ℈ cum haec a uirtute longe absit. non enim a uirtute, & industria sumitur. ATQVE *etiam subijciunt se homines imperio alterius, & potestati pluribus de caussis*. ℈ has caussas exposuit paulo ante, in eo loco: Quaecumque igitur homines homini tribuunt ad eum augendum, atque honestandum; aut beneuolentiae gratia faciunt, &c. Sed illud animaduertendum: caussas quidem easdem commemorari, quae supra dictae sunt, diuersarum tamen rerum. aliud enim est, homines homini tribuere, quae possunt, ad eum augendum, atque honestandum; aliud, subijcere se homines imperio alterius, & potestati. & ipsa uerba, Atque etiam, diuersae rei narrationem significant. AVT *beneficiorum magnitudine*, ℈ non haec secunda caussa est, sed ea, quae sequitur, Aut dignitatis praestantia: quantum ex earundem caussarum ordine supradicto licet intelligere. itaque pro, Aut, uel sacramento contenderem legendum, Et; aduersantibus omnibus antiquis libris. Ita beneficiorum magnitudo ad beneuolentiam addetur, tamquam ipsius beneuolentiae caussa, quod supra dixit, Cum aliqua de caussa quempiam diligunt. AVT *dignitatis praestantia*, ℈ supra: Aut honoris, si cuius uirtutem suspiciunt, & si quem dignum fortuna quamampliſsima putant. AVT *spe, sibi id utile futurum*; ℈ supra: Aut cui fidem habent, & bene rebus suis contulere arbitrantur. Haec autem spes ab ea differt, quae capitur ex largitione proposita: de qua supra: Aut contra, a quibus aliquid exspectant, ut cum reges, populares ue homines largitiones aliquas proponunt. AVT *metu, ne ui parere cogantur*; ℈ supra: Aut cuius opes metuunt. AVT *spe largitionis, promissionisq. capti*; ℈ supra: Aut contra, a quibus aliquid exspectant. Vnus ex meis, Promisionibusq. utroque modo recte. AVT, *postremo*, ℈ sexta caussa & hic, & supra: hic, cur se homines alterius imperio sponte subiiciant; supra, cur ad aliquem augendum, atque honestandum adducantur. MERCEDE *conducti*. ℈ cum pecunia per tribus diuideba tur. qua de re lata lex de ambitu: de qua in oratione pro Murena.

CICERO

RERVM *autem omnium nec aptius est quidquam ad opes tuendas, ac tenendas, quam diligi; nec alienius, quam timeri. praeclare Ennius:*

Quem metuunt, oderunt:
Quem quisque odit, perisse expetit.

Multorum autem odijs nullas opes posse obsistere, si antea fuit ignotum, nuper est cognitum. nec uero huius tyranni solum, quem armis oppressa pertulit ciuitas, interitus declarat, quantum odium hominum ualet ad pestem; sed reliquorum similes exitus tyrannorum: quorum haud fere quisquam interitum simile effugit. malus enim est custos diuturnitatis metus, contraq. beneuolentia fidelis uel ad perpetuitatem. Sed ijs, qui ui oppressos imperio coercent, sit sane adhibēda saeuitia, ut heris in famulos, si aliter teneri non possunt. qui uero in libera ciuitate ita se instruunt, ut metuantur; his nihil potest esse dementius, quamuis. n. demersae sint leges alicuius opib. quāuis timefacta libertas: emergunt tamē haec aliquando aut iudicijs tacitis, aut occultis de honore suffragijs. acrio res autē morsus sunt intermissae libertatis, quā retētae.

EXPLANATIO

RERVM *autem omnium* ℈ paullo suauius, quod est in ueteribus septem, & Tertii, Omnium autem rerum. AD *opes tuendas, ac tenendas, quam diligi:* ℈ sic est in quattuordecim, & Tertij. NEC *aptius, quam diligi; nec alienius, quam timeri.* ℈ Securitatem ex mansuetudine tutiorem ait esse Seneca. Vide librum eius de Clementia. Terentius Adelph. act. I. se. I.

Et errat longe mea quidem sententia,
Qui imperium credat grauius esse, aut stabilius,
Vi quod fit, quam illud, quod amicitia adiungitur.

Sallustius Iugurtha, in oratione Micipsae, regis Numidarum: Non exercitus, neque thesauri praesidia regni

regni sunt,uerum amici: quos neque armis cogere,neque parare queas: officio, & fide parantur. Imitatus autem est Sallustius Xenophontem in Cyro, qui, moriens, Cambysen filium sic alloquitur: Οἶσθα μὲν οὖν καὶ σύ, ὦ Καμβύση, ὅτι οὐ τόδε τὸ χρυσοῦν σκῆπτρον, τὸ τὴν βασιλείαν διασῴζον ἐστιν, ἀλλ' οἱ πολλοὶ φίλοι σκῆπτρον βασιλεῦσιν ἀληθέστατον, καὶ ἀσφαλέστατον. πιστοὺς δὲ μὴ νόμιζε φυέσθαι ἀνθρώπους. πᾶσι γὰρ ἂν οἱ αὐτοὶ πιστοὶ φαίνοιντο, ὥσπερ καὶ τ' ἄλλα τὰ πεφυκότα πᾶσι τὰ αὐτὰ φαίνεσθαι, ἀλλὰ τοὺς πιστοὺς τίθεσθαι δεῖ ἕκαστον ἑαυτῷ. ἡ δὲ κτῆσις αὐτῶν, ἐστὶν οὐδαμῶς σὺν τῇ βίᾳ, ἀλλὰ μᾶλλον σὺν τῇ εὐεργεσίᾳ. Apud Herodianum quoque Marcus Imperator, filium amicis, & propinquis commendans, haec ait: Οὔτε γὰρ χρημάτων πλῆθος οὐδὲν αὔταρκες πρὸς τυραννίδος ἀκρατίαν οὔτε δορυφόρων φρουρὰ ἱκανὴ ἐνέσθαι τὸν ἄρχοντα, εἰ μὴ προυπάρχοι τῶν ὑπηκόων εὔνοια. μάλιστα δὲ ἐκεῖνοι εἰς ἀρχῆς μῆκος ἀκινδύνως ἤλασαν, ὅσοι μὴ φόβον ἐξ ὠμότητος, πόθεν δὲ τῆς αὐτῶν χρηστότητος ταῖς τῶν ἀρχομένων ψυχαῖς ἐνέσαξαν. οὐ γὰρ οἱ ἐξ ἀνάγκης δουλεύοντες, ἀλλ' οἱ μετὰ πειθοῦς ὑπακούοντες ἀνύποτοι, καὶ ἔξω καλακείας προσποιήτου δρῶντές τε καὶ πάσχοντες διατελοῦσιν, οὐδέ ποτε ἀφεωνίαζουσιν, ἢν μὴ βία καὶ ὕβρει ἐπὶ τοῦτο ἀχθῶσι. *Quem quisque odit,perüsse expetit.* § Arist. II.Rhet.Iram tempore mitigari ait, odium minime. HVIVS *tyranni,quem armis oppressa pertulit ciuitas,* § non tamen diu: quod Brutus ad M. Antonium scripsit, Fam. lib.XI. ep.3.Non quamdiu,ait, uixerit Caesar, sed quam non diu regnarit, fac cogites. VALET *ad pestem;* § ad hominem perdendum. INTERITVM *similem effugit.* § Talem,est in octo,& Tertij.Langius uero, qui duo uerba, Interitum similem,omittit,discedens ab omnibus antiquis libris,errare mihi uidetur. MALVS *enim est custos diuturnitatis metus:* § neminem diu custodit metus: qui se metui potius,quam diligi uult,non diu tutus est: malum suae salutis custodem habet is, qui metuitur: putat enim eo se tutum esse, quo diu tutus non est: atque hoc tyrannorum exitus docet. Demosthenes Olynth. II. Ὅταν ὑπ' εὐνοίας τὰ πράγματα συσῇ, καὶ πᾶσι ταὐτὰ συμφέρῃ τοῖς μετέχουσι τοῦ πολέμου: καὶ συμπονεῖν, καὶ φέρειν τὰς συμφοράς, καὶ μένειν ἐθέλουσιν οἱ ἄνθρωποι: ὅταν δ' ἐκ πλεονεξίας, καὶ πονηρίας τις, ὥσπερ οὗτος, ὑσχύσῃ, καὶ πρώτη πρόφασις, καὶ μικρὸν πταῖσμα ἅπαντα ἀνεχαίτισε καὶ διέλυσε. Hinc illud Simonis de Pamphilo filio cum Sosia colloquentis, Andr. act. I. sc. I.

-- nam antea
Qui scire posses, aut ingenium noscere,
Dum aetas, metus, magister prohibebant?

BENEVOLENTIA *fidelis uel ad perpetuitatem.* § perpetua fides oritur ex beneuolentia. qui diligit, uel perpetuo, non modo diu,fidus est. Quia dixerat, Diuturnitatis, subiungit, Vel ad perpetuitatem. plus enim est, Perpetuo, quam, Diu. sed metus nec diu bonus custos est: at beneuolentia uel perpetuo fidem seruat. quod Isocrates ad Nicoclem scripsit.

Seneca: Ferrum tuetur principem,melius Fides.

SIT *sane adhibenda saeuitia,* § Sane, permittentis est,potius,quam probantis, habita ratione eorum, de quibus loquimur. nam tyrannos non probat,sed,si qui sunt, ijs permittit tamquam tyrannis, ut ad suas opes conseruandas in eos, qui sine ui teneri non possunt,saeuitia utãtur. Aristoteles quoque tyrannis praecepta dat, licet eos non probet, in Politicis libris. ITA *se instruunt,* § sic antiqui libri duodecim,& Tertij. duo, Instituunt. TIMEFACTA *libertas:* § ita est in uno Tertij libro. tredecim, Tremefacta. unus, Labefactata. ex quo licet conijcere, illud, Tremefacta, esse glossema ad, Timefacta. quod cum duriusculè dictum uideretur,immutatum est. Lucretius eo uerbo usus est lib.II.

His tibi tum rebus timefactae relligiones
Effugiant animo pauidae, mortisq. timores.

Pacuuius Periboea, apud Nonium Marcellum, de contrarijs generibus uerborum, in, Vagas, pro Vagaris:

In triplici pertimefactus maerore animi,incerte errans uagat.

Et D.Brutus, ad Ciceronem,Fam. lib.XI. ep. 20. Denunciatione periculi sperare eos,te pertimefacto, adolescente impulso,posse magna consequi praemia. EMERGVNT § hoc ad illud spectat, Quamuis demersae sint leges. quod translatum est ab agrorum inundatione. IVDICIIS *tacitis,* § cum de reis per tabellam, non uoce, sententia fertur, nulla eorum, qui dominantur, ratione habita. OCCVLTIS *de honore suffragijs.* § cum populus bonis ciuibus honores mandat, & suam in eo libertatem retinet. Sic Demosth. Phil. IV. Ἑτέραν εἶναι τὴν κρύβδην ψῆφον τοῦ φανερῶς θορύβου. ACRIORES *autem morsus* § libertas intermissa mordet acrius, quam retenta. Translatio ab animantibus: quae, cum laesa sunt, mordent acrius, ad ultionem doloris, & iniuriae, quam quae laesa non sunt. In eam sententiam dictum est illud a Plauto:

Tum denique homines nostra intelligimus bona,
Cum, quae in potestate habuimus, ea amisimus.

CICERO

QVOD *igitur latissime patet, neque ad incolumitatem solum, sed etiam ad opes, & potentiam ualet plurimum, id amplectamur, ut metus absit, caritas retineatur. ita facillime, quae uolumus, & priuatis in rebus, & in rep. consequemur. etenim, qui se metui uolent, a quibus metuuntur, eosdem metuant ipsi, necesse est. quid enim censemus Superiorem illum Dionysium, quo cruciatu timoris angi solitum, qui, cultros metuens tonsorios, candente carbone sibi adurebat capillum? quid Alexandrum Pheraeum, quo animo uixisse arbitramur? qui, ut scriptum legimus, cum uxorem Theben admodum diligeret, tamen, ad eam ex epulis in cubiculum ueniens, bar-*

barbarum, & eum quidem, ut scriptum est, compunctum notis Threicijs, districto gladio iubebat anteire: praemittebatq. de stipatoribus suis, qui perscrutarentur arculas muliebres, et, ne quod in uestimentis occultaretur telũ, exquirerent. o miserum, qui fideliorem & barbarum, & stigmatiam putaret, quam coniugem. nec eum fefellit: ab ea est enim ipse, propter pellicatus suspicionem, interfectus. Nec uero ulla uis imperij tanta est, quae, premente metu, possit esse diuturna. testis est Phalaris: cuius est praeter ceteros nobilitata crudelitas: qui non ex insidijs interijt, ut is, quem modo dixi, Alexander; nõ a paucis, ut hic noster; sed in quem uniuersa Agragantinorum multitudo impetum fecit. Quid Macedones, non ne Demetrium reliquerunt, uniuersiq. se ad Pyrrhum contulerunt? Quid? Lacedaemonios, iniuste imperantes, non ne repente omnes fere socij deseruerunt, spectatoresq. se otiosos praebuerunt Leuctricae calamitatis? Externa libentius in tali re, quam domestica, recordor. uerumtamen, quamdiu imperium populi R. beneficijs tenebatur, non iniurijs, bella aut pro socijs, aut de imperio gerebantur; exitus erant bellorum aut mites, aut necessarij. regum, populorum, nationum portus erat, & refugium senatus. nostri autem magistratus, imperatoresq. ex una hac re maximam laudem capere studebant, si prouincias, si socios aequitate, & fide defendissent. itaque illud patrocinium orbis terrae uerius, quam imperium poterat nominari. sensim hanc consuetudinem, & disciplinam iam antea minuebamus, post uero Sullae uictoriam penitus amisimus. desitum est enim uideri quidquam in socios iniquum, cum exstitisset etiam in ciues tanta crudelitas. ergo in illo secuta est honestam caussam non honesta uictoria. est enim ausus dicere, hasta posita, cum bona in foro uenderet & bonorum uirorum, & locupletum, & certe ciuium, praedam suam se uendere. Secutus est, qui in caussa impia, victoria etiam foediore, non solum singulorum ciuium bona publicaret, sed uniuersas quoque prouincias, regionesq. uno calamitatis inre comprehenderet. itaque, uexatis, ac perditis exteris nationibus, ad exemplum amissi imperij portari in triumpho Massiliam uidimus, & ex ea urbe triumphari, sine qua numquam nostri imperatores ex transalpinis bellis triumpharunt. multa praeterea commemorarem nefaria in socios, si hoc uno sol quidquã uidisset indignius. iure igitur plectimur, nisi. n. multorum impunita scelera tulissemus, numquam ad unum tanta peruenisset licentia: a quo quidem rei familiaris ad paucos, cupiditatum ad multos improbos uenit hereditas. nec uero unquam bellorum ciuilium semẽ, & caussa deerit, dum homines perditi hastam illam crudelitatem & meminerint, & sperabunt, quam P. Sulla cum uibrasset, dictatore propinquo suo, idem sexto & tricesimo anno post a sceleratiore hasta eadem non recessit. alter autem, qui in illa dictatura scriba fuerat, in hac fuit quaestor urbanus: ex quo debet intelligi, talibus praemijs propositis, numquam defutura bella ciuilia. itaque parietes urbis modo stant, & manent, ijq. ipsi iam extrema scelera metuentes; rem uero publicam penitus amisimus. atque in has clades incidimus, (redeundum est enim ad propositum) dum metui, quam cari esse, & diligi, maluimus. quae si populo R. iniuste imperanti accidere potuerunt: quid debent putare singuli? Quod cum perspicuum sit, beneuolentiae uim esse magnam, metus, imbecillem: sequitur, ut differamus, quibus rebus possimus facillime eam, quam uolumus, adipisci, cum honore, & fide caritatem. sed ea non pariter omnes egemus. nam ad cuiusque uitam instituendam accommodandum est, a multis ne opus sit, an satis sit a paucis diligi. Certum igitur hoc sit, id quod & primum, & maxime necessarium, familiaritates habere fidas amantium nos amicorum, & nostra mirantium. haec enim est una res prorsus, ut non differat multum inter summos, & mediocres uiros: eaq. utrisque propemodum comparanda. honore, & gloria, & beneuolentia ciuium fortasse non aeque omnes egent: sed tamen, si cui haec suppetunt, adiuuant aliquantum tum ad cetera, tum ad amicitias comparandas.

EXPLANATIO

VT *metus absit, caritas retineatur*. § quod & paullo ante expressit his uerbis: Omnium rerum nec aptius est quidquam ad opes tuendas, ac tenendas, quam diligi; nec alienius, quam timeri. QVI *se metui uolent, a quibus metuuntur, eosdem metuant ipsi, necesse est*. § Isocrates ad Nicoclem: Οπως ἂν τοὺς ἄλλους πρὸς σεαυτὸν διαθῇς, οὕτω καὶ σὺ πρὸς ἐκείνους ἔξεις. Metuentur, est in uno, & Tertij. In alio, Metuantur. QVID *enim censemus, &c. quo &c.* § Sic locutus pro Roscio Amerino: Quid censes hunc ipsum Sex Roscium, quo studio, & qua intelligentia esse in rusticis rebus? Et Agr. II. Quid censetis, cum isti Xuiri cum imperio, cũfascibus, cum illa delecta finitorum iuuentute, per orbem terrarum uagabantur, quo tandem animo, quo motu, quo periculo miseras nationes futuras? Et lib. I. de Orat. Quid censes, si ad aliculus futurum? SVPERIOREM *illum Dionysium*, § Syracusium tyrannum, Hermocratis filium, qui tyrannidem in Sicilia inuasit anno III. Olymp. XCIII. hoc est anno ab v. c. CCCXLVII. Arist. Polit. lib. v. cap. 5. Xenophon lib. II. Dionys. lib. VII. Plut. in Dione, Cic. Tusc. v. Valer. lib. IX. cap. 15. Agell. lib. XVII. cap. 21. Macrob. lib. I. de Somn. Scip. c. x. Dicebat, se filio imperium relicturum adamantinis uinculis: Metum, & Violentiam intelligens. Eius filius, regno pulsus, Corinthi ludum aperuit: ut, cum reipsa non posset, specie saltem quadam regnare uideretur. CVLTROS *metuens tonsorios*, § nam tonsor gloriatus erat, in sua potestate esse tyranni uitam. de quo poenas dedit. ALEXANDRVM *Pheraeum*, § Val. lib. IX. cap. 15. Cicero autem Tusc. v. ait Dionysium Syracusanum ad Aristomacham, & Doridem coniuges sic noctu ingredi solitum. THEBEN § Pheraei Iasonis filiam, eius, quem calliditate, scientiaq. militari comparat Cicero superiore libro tribus maximis trium gentium ducibus, Hannibali Poeno, Q. Fabio Maximo Romano, Themistocli Atheniensi. Mirum autem non fuit, si resciuit ipsam cum Pelopida, Thebanorum imperatore, hoste suo, ipsius propinquo, & familiari paterno, colloquium habuisse. nec fefellit ipsum praesagium.

gium. nam coniux, mulier cordata,& animo praesente, tum uitae tyranni pertaesa, tum quia fratre iunio re foede abutebatur, adiunctis sibi tribus fratribus, Tisiphono, Pitholao, Lycophrone, tyrannum in lecto decumbentem oppressit. Ouidius in Ibin:

Inq. tuo thalamo iugulatus more Pheraei,
Qui datus est leto coniugis ipse suo.

Vide Plut.in Pelopida,& Cic.de Inu.II. BARBARVM, ℈ nam ij naturali odio Graecos persequuntur. Isocrates in Panegyrico. COMPVNCTVM *notis Threicijs*, ℈ signatum, stigmate notatum. nam, ut Herodotus lib. v. ait, apud Thraces punctas esse frontes, nobile iudicabatur; non esse notatas punctis, ignobile. Haec Marsus. Quibus addo Sexti Empirici philosophi testimonium. qui lib. III. Pyrrhoniarum hypotheseon, cap.24. Compunctum notis esse, apud nos, ait, turpe, & infame uideri: at multi Aegyptij, & Sarmatae suos fetus compungunt. DISTRICTO *gladio* ℈ tres, & Tertij, Destricto. STIPATORIBVS ℈ sic omnes libri. quo magis miror esse, qui Spiculatoribus, legant. PERSCRVTARENTVR ℈ sic tres libri. unus, Praescrutarentur. decem,& Tertij, Scrutarentur. STIGMATIAM ℈ proxime dixit, Compunctum notis Threicijs: quod seruitutis erat signum. Quid sibi uelit Nonius, qui hoc loco Stigmatias dictos a ueteribus punctos in notis, non assequor. nam errasse cum existimo. Graecum autem nomen Latine pronunciauit, ut alia multa. Caligulam ait Suetonius multos honesti ordinis, deformatos prius stigmatum notis, ad metalla, & munitiones uiarum, aut ad bestias condemnasse. NEC *cum fefellit opinio*: ℈ Tertij liber, & alius, non habent τὸ Opinio. In alio est additum. Quo modo illud a Cicerone dictum Fam. lib.XIV. Sed nos, ni me fallit, iacebimus. Et in Oratore. Varro lib. 2. de re rust. & Tacitus. AB *ea* ℈ a tribus eius fratribus, ipsa cohortante. Plutarchus in Pelopida. PREMENTE *metu*, ℈ ita Pheraeus, interfectus; Caesar, tribus & uiginti uulneribus confossus; Phalaris, lapidibus obrutus. PHALARIS: ℈ Astyalensis tyrannus Siculus. Cic. Tusc. II Plin. lib. XXXIIX. cap. 8. Ouid. I. de Arte, Persius Sat. 3. Plut. Parall. cap. 74. Seneca de Ira,& de clementia, Oros. lib. I. cap. 20. Pindarus Od. I. Pyth. August. ad Macedonium, de uera felicitate. CVIVS *est praeter ceteros nobilitata crudelitas*: ℈ ex illo praesertim aeneo tauro, quo homines inclusos, ut gemitu mugitum referrent, igni subiecto necabat. HIC *noster*; ℈ Caesar. IN *quem* ℈ ita duodecim, & Tertij. Duo, In eum. IMPETVM *fecit*. ℈ in foro enim lapidibus est obrutus. DEMETRIVM *reliquerunt*, ℈ superbissimum. Plut. in Pyrrho, & Demetrio. AD *Pyrrhum* ℈ humanissimum, Epirotarum regem. LACEDAEMONIOS ℈ quibus iustitia numquam curae fuit. Isocr. in Panathenaico. nec a confoederatis, nec a benefactoribus sibi temperarunt. Isocr. pro Pace,& in Panathen. testatur, Lacedaemonios plures indicta caussa necasse, quam Athenienses conuictos iudicio. quo factum est, ut, cum Epaminondas, Thebanorum dux, libertatis spem faceret, socij omnes ad ipsum deficerent, nec Lacedaemonijs opem ferrent. Imperarunt in Graecia Lacedaemonij, Athenienses, Thebani. principatum Lacedaemonijs, ut dixi, ademit iniustitia. LEVCTRICAE *calamitatis*? ℈ superiorum temporum iniurias, non Leuctricam cladem, ipsis exitio fuisse, scripsit Isocrates in oratione Sociali. Leuctra, Boeotiae urbs, ad quam ab Epaminonda profligati sunt. EXTERNA *libentius in tali re, quam domestica, recordor*. ℈ oratorie hoc dictum. nam a malorum nostrorum commemoratione natura abhorremus. Sic apud Ouidium Achelous Metam. IX.

—quis enim sua proelia uictus
Commemorare uelit?

PRO *socijs*, ℈ defendendis contra externam uim. DE *imperio* ℈ conseruando, uel prolatando. Hinc illud Sallustij de Romanis, in Coniuratione Catilinae: Vbi pericula uirtute propulerunt, socijs, atque amicis auxilia portabant: magisq. dandis, quam accipiendis, beneficijs, amicitias parabant. EXITVS *bellorum aut mites, aut necessarij*. ℈ Virgilius lib. VI.

Parcere subiectis,& debellare superbos.

Mites: uictos aut in ciuitatem, aut in fidem,& clientelam recipiendo, modico tributo imposito. *Necessarij*: cum excinduntur urbes, captiuiq. sub corona ueneunt. quales Campani, Fregellani, Numantini, Carthaginienses, Corinthij. REGVM, *populorum*, ℈ coniungit haec duo uerba Sallustius, Catilina: Reges, populiq. finitimi bello tentare. Et Iugurtha: Auxilia a populis, & regibus, socijsque, accersere. PORTVS, *& refugium* ℈ Machabaei, a Syriae regibus cum urgerentur, Romanorum opem imploraruntSic & Hieron, Ptolemaeus, Ariobarzanes, Deiotarus, Macedones, Graeci Romanorum auxilijs usi sunt. PATROCINIVM *orbis terrae* ℈ clientium enim utilitatem patroni spectant. Plutarchus illud T. Flaminij dictum refert, quod Romani Graecos absoluunt iudicio incustoditos, liberos, & expertes tributi, legibusq. utentes patrijs. POST *uero Sullae uictoriam* ℈ is, hostibus deuictis, multa ciuium millia partim occidit in uilla publica, partim proscripsit. Sallustius, Catilina: Postquam L. Sulla, armis recepta rep. bonis initijs malos euentus habuit; rapere omnes, trahere; domum alius, alius agros cupere; neque modum, neque modestiam uictores habere; foeda, crudeliaq. in ciues facinora facere. ETIAM *in ciues* ℈ τὸ Etiam non est in sex meis,& Tertij. Et natum puto ex extremis litteris uerbi Exstitisset, quae repetitae librarijs occasionem dederunt addendi nouam uocem, Etiam. HONESTAM *caussam non honesta uictoria*. ℈ pugnauit enim Sulla pro optimatibus contra plebem, uictorq. leges, & iudicia reip. restituit. ET *certe ciuium*, ℈ correctio quaedam. quasi dicat, si minus erant boni uiri, nec locupletes, (locupletes autem, ut rerum nouarum haudquaquam cupidi, inter bonos uiros referuntur) ciues tamen erant. PRAEDAM *suam se uendere*. ℈ quasi hostes essent, non ciues. idem fere repetit in Verrem, act. II. libro III. Tantum animi habuit ad audaciam, ut dicere in concione non dubitarer, bona ciuium R. cum uenderet, se

praedam

praedam suam uendere. Largitus est autem supra modum uenustis mulieribus, fidicinis, histrionibus: teste Plutarcho. SECVTVS *est*, ℈ C. Caesar. IN *causa impia*, ℈ contra optimates, & communem libertatem: cum Sulla optimates, libertatemq. defenderit. VICTORIA *etiam foediore*, ℈ ob ea, quae statim sequuntur. *Foediore:* crudeliore. Lib. I. Sunt quaedam partim ita foeda, partim ita flagitiosa, ut ea ne conseruandae quidem patriae aussa sapiens facturus sit. Sallustius foedos Catilinae oculos uocat; id est, saeuitiam, & immanitatem praeseferentes. Ter. Eun. act. 5. sc. 5. Facinus foedum. i. crudele, Donato. Cicero pro Sextio Foedus uulnus P. Clodij dicit. Virgilius, Aen. II.

Impulerat ferro Argolicas foedare latebras.

Vbi Seruius: Foedare, lacerare. nam Foedum tam apud hunc, quam apud Sallustium, non turpe, sed crudele significat: ut,

Sanguine foedantem quos ille sacrauerat ignes.

Sallustius, Foedi oculi. Sic & ingeniosissimum Poetarum Ouidium, Metam. I. locutum esse, obseruauit ante quinquennium Hercules Ciofanus:

Foeda Lycaoniae referens conuiuia mensae.

Quem uersum prope repetit in Ibin. SED *uniuersas quoque prouincias*, ℈ quae pro Pompeio steterant. VNO *calamitatis iure* ℈ sic antiqui libri septem, & Tertij. Lambinus Genere legit, & sine causa mutat: quasi, Iure, suum sensum non habeat. nam, quae condicio singulorum ciuium, eadem fuit omnium prouinciarum, & regionum, ut pari scilicet calamitate uexarentur. EXTERIS *nationibus*, ℈ Graecia primum, deinde Africa, postremo Hispania. AD *exemplum amissi imperij* ℈ Terentius praepositionem omittit:

Enimuero spectatum satis putabam, & magnum exemplum continentiae.

Amissi imperij: euersae reip. cum de hostibus, non de socijs, triumphari soleret. PORTARI *in triumpho* ℈ portabantur in triumpho imagines opidorum, quae quis bello ceperat. portatam autem Massiliam arbitror in Gallico triumpho. nam quinquies Caesar triumphauit, de Gallia, de Aegypto, de Ponto, de Africa, de Hispania. Massilia uero belli ciuilis initio portas Caesari clauserat. ex quo diu obsessa, capta denique per nim est. MASSILIAM ℈ Massiliae simulacrum ex ebore. Quinctilianus. Eam fide meliorem, quam consilio prudentiorem, dicit Velleius. Lucanus lib. III. Florus lib. IV. Epit. Liu. CX. Oros. lib. VI. cap. 15. Eutrop. lib. VI. cap. ult. ET *ex ea urbe triumphari, sine qua numquam nostri imperatores ex transalpinis bellis triumpharunt.* ℈ eadem res Phil. IIX. narratur, his uerbis: Quousque Massiliam oppugnabis? ne triumphus quidem finem facit belli? per quem laeta est urbs ea, sine qua numquam ex transalpinis gentibus maiores nostri triumpharunt. quo quidem tempore populus R. ingemuit. Eius laudes persequitur Cicero pro Flacco: Massiliae disciplinam, atque grauitatem non solum Graeciae, sed haud scio, an cunctis gentibus anteponendam iure dicam. Massilienses ait Liuius in eo honore, in ea dignitate apud Romanos fuisse, ac si mediae Graeciae umbilicum incolerent. SI *hoc uno Sol quidquam uidisset indignius.* ℈ fortasse a Plauto sumpsit, qui Sticho sic ait:

Meliorem nec tu reperies, nec Sol uidet.

HASTAM *illam cruentam* ℈ uenditionem bonorum. nam & Sulla, & Caesar bona proscriptorum ciuium, hasta posita, ut praedam suam uendiderunt. ET *meminerint, & sperabunt.* ℈ Antonium significat. Phil. IIX. Inuitus dico: sed dicendum est: Hasta Caesaris, P. C. multis improbis & spem affert, & audaciam. uiderunt enim ex modicis repente diuites. itaque hastam semper cupiunt uidere ij, qui nostris bonis imminent, quibus omnia pollicetur Antonius. *Cruentam:* translatum a re militari. nam, cum hasta ante opidum ponebatur, signum erat diripiendae urbis, & crudelitatis in ciues exercendae. QVAM P. *Sulla cum uibrasset, dictatore propinquo suo*, ℈ hic, L. Sulla dictatore, proscriptorum ciuium bona emit ad hastam, idest in auctione publica, quae, hasta prope fixa, fieri solebat. propterea dicitur hastam uibrasse, μεταφορικῶς. Quod autem infert Cicero, Sexto & tricesimo anno post (tot enim numerantur, a DCLXXIV. ad DCCIX.) a sceleratiore hasta eadem non recessit: significat, eundem P. Sullam, ut emerat bona proscriptorum Marianorum L. Sulla dictatore, itidem emisse proscriptorum Pompeianorum Caesare dictatore. De hoc P. Sulla ita iocatus est Cicero in epistola ad Dolabellam, X. lib. IX. Te tamen hoc scire uolo, uehementer populum sollicitum fuisse de P. Sullae morte ante quam certum scierit. nunc quaerere desierunt, quo modo perierit. satis putant se scire, quod sciunt. Ego ceteroqui animo aequo fero: unū uereor, ne hasta Caesaris refrixerit. Et, ad Casium, lib. XV. ep. 17. Nos hic, P. Sullam patrem mortuum, habebamus. alij, a latronibus; alij, cruditate, dicebant. populus non curabat: combustum enim esse constabat. Caesarem putabant molestе laturum, uerentem, ne hasta refrixisset. Cui Casius festiue respondit, ep. 19. Sulla, cuius iudicium probare debemus, cum dissentire philosophos uideret, non quaesciuit quid bonum esset, & omnia bona coemit. cuius ego mortem forti mehercule animo tuli. nec tamen Caesar nos eum desiderare patietur. nam habet damnatos, quos pro illo nobis restituat: nec ipse sectorem desiderabit, cum filium uiderit. SCELERATIORE *hasta* ℈ Phil. II. Auctionis uero miserabilis adspectus? uestis Pompeij, non multa, eaq. maculosa: eiusdem quaedam argentea uasa collisa, sordidata mancipia. EADEM ℈ non legitur hoc uerbum in septem libris, & Tertij. SCRIBA ℈ uide Sallustium in concione Lepidi. IAM *extrema scelera metuentes:* ℈ dat sensum inanimis rebus, quo magis publica calamitas exprimatur. *Extrema scelera:* utrum, quae reip. impendent? non puto. iam enim amissam penitus esse remp. statim dicit. quae igitur scelera? euersionem ipsorum parietum. REM *uero publicam penitus amisimus.* ℈ quod alibi dicit, πρόσωπον πόλεως. INIVSTE *imperanti* ℈ quia leges pro Caesaris potentia tulit; & metui ma-

Landesbibliothek Oldenburg

luit, quam diligi. ACCIDERE *potuerunt:* § quae non uidebantur accidere posse. QVID *debent putare singuli?* § argumentum a maiori. IMBECILLEM: § Imbecillam, septem, & Tertij. SEQVITVR, *ut diſseramus*, § hactenus de priuata amicitia dixit: nunc de gloria dicturus est, in qua ipsa publicus amor includitur. CVM *honore, & fide caritatem.* § Gloriae descriptio. nam, si diligimur a multitudine: si fides ab ea nobis habetur: si honore digni putamur: tunc adepti gloriam sumus. id perspicue narratur infra. SED *ea* § ea, quae cum honore, & fide coniuncta sit. nam priuata quidem amicitia pariter omnes egent. AD *cuiusque uitam instituendam* § Vitam institutam, undecim, & Tertij. CERTVM *igitur hoc sit*, § concludit hoc praecepto disputationem de priuata amicitia: nec addit plura propter librum ea de re copiose scriptum, qui inscribitur Laelius. ID *quod & primum*, § undecim, & Tertij, Idq. primum. Vnus, Quod & pr. Vnus, Idq. pr. FAMILIARITATES *habere fidas amantium nos amicorum*, § de fide supra dixit, Cum honore, & fide caritatem. Sed ibi agit ea de fide, quae publice habetur a ciuibus, hic de ea, quae priuatim ab amicis. NOSTRA *mirantium.* § ut apud eos in honore simus. VT *non differat multum inter summos, & mediocres uiros:* § ut ea pariter omnes egeant: nam sine amicitia uita nulla est: sine honore tamen, & gloria, & beneuolentia ciuium licet uiuere. Hoc ad illa superiora pertinet: Ad cuiusque uitam instituendam accommodandum est, a multis ne opus sit, an satis sit a paucis diligi. VTRISQVE § ex aequo. SI *cui haec suppetunt*, § si quis habet haec tria, honorem, fidem, beneuolentiam ciuium. TVM *ad cetera*, § Cum, Tertij liber. AD *amicitias* § priuatas.

CICERO

SED *de amicitia libro dictum est, qui inscribitur Laelius. nunc dicamus de gloria. quamquam ea quoque de re duo sunt nostri libri. sed attingamus, quandoquidem ea in rebus maioribus administrandis adiuuat plurimum. Summa igitur, & perfecta gloria constat ex tribus his: si diligit multitudo; si fidem habet; si cum admiratione quadam, honore nos dignos putat. haec autem, si est simpliciter, breuiterq. dicendum, quibus rebus pariuntur a singulis, eisdem fere a multitudine. sed est alius quoque quidam aditus ad multitudinem, ut in uniuersorum animos tamquam influere possimus. Ac primum de illis tribus, quae ante dixi, beneuolentiae praecepta uideamus: quae quidem capitur beneficijs maxime: secundo autem loco benefica uoluntate beneuolentia mouetur, etiam si res forte non suppetit. uehementer autem amor multitudinis commouetur ipsa fama, & opinione liberalitatis, beneficentiae, iustitiae, fidei, omniumq. earum uirtutum, quae pertinent ad mansuetudinem morum, ac facilitatem. etenim illud ipsum, quod decorum, honestumq. diximus, quia per se nobis placet, animosq. omnium natura, & specie sua commouet, maximeq. quasi perlucet ex ijs, quas commemorauimus, uirtutibus; iccirco illos, in quibus eas uirtutes esse remur, a natura ipsa diligere cogimur. Atque hae quidem caussae sunt diligendi grauissimae: possunt enim praeterea nonnullae esse leuiores. Fides autem ut habeatur, duabus rebus effici potest; si existimabimur adepti coniunctam cum iustitia prudentiam. nam & ijs fidem habemus, quos plus intelligere, quam nos, arbitramur; quosq. & futura prospicere credimus, & cum res agatur, in discrimenq. uentum sit, expedire rem, & consilium ex tempore capere posse: (hanc enim omnes existimant utilem, ueramq. prudentiam) iustis autem, & fidis hominibus, ideſt bonis, ita fides habetur, ut nulla sit in his fraudis, iniuriaeq. suspicio: itaque his salutem nostram, his fortunas, his liberos rectissime committi arbitramur. harum igitur duarum ad fidem faciendam iustitia plus pollet, quippe cum ea sine prudentia satis habeat auctoritatis, prudentia sine iustitia nihil ualeat ad faciendam fidem. quo enim quis uersutior, & callidior est, hoc inuisior, & suspectior, detracta opinione probitatis. quamobrem intelligentiae iustitia coniuncta, quantum uolet, habebit ad faciendam fidem uirium: iustitia sine prudentia multum poterit; sine iustitia nihil ualebit prudentia. Sed, ne quis sit admiratus, cur, cum inter omnes philosophos constet, a meq. ipso saepe disputatum sit, qui unam haberet, omnes habere uirtutes; nunc ita sentiam, quasi possit quisquam, qui non idem prudens sit, iustus esse. alia est illa, cum ueritas ipsa limatur in disputatione, subtilitas; alia, cum ad opinionem communem omnis accommodatur oratio: quamobrem, ut uulgus, ita nos hoc loco loquimur, ut alios fortes, alios bonos uiros, alios prudentes dicamus. popularibus enim uerbis est agendum, & usitatis, cum loquamur de opinione populari: idq eodem modo fecit Panaetius. Sed ad propositum reuertamur.*

EXPLANATIO

NVNC *dicamus de gloria. quamquam ea quoque de re duo sunt nostri libri.* § de quibus ad Att. lib. xv. ep. 27. & lib. xvi. ep. 3. Eos autem libros furto auertit Petrus Alcyonius, is, qui de Exsulio scripsit. qua de re uide Paulli patris Commentarium in ep. ad Att. lib. xv. ep. 27. *Duo sunt nostri libri:* supra: Sed haec, cum ad philosophiam cohortamur, accuratius solent disputari: quod alio quidem libro fecimus. ATTINGAMVS, § pauca dicamus: cum plura dixerimus in ijs libris. SVMMA *igitur &c.* § causſae, gloriam gignentes. HONORE *nos dignos putat.* § Nos, abest a tredecim meis, & Tertij. ALIVS *quoque quidam aditus ad multitudinem*, § qui non est ad singulos. Vnus, Sed est quoque alijs quidam aditus. Vnus, Sed est alius quidam aditus. Tres, Sed est alius quoque aditus. Nouem, & Tertij faciunt cum impressa lectione. QVAE *ante dixi, beneuolentiae praecepta uideamus:* § sic undecim, & Tertij. Vnus non habet *to*, Beneuolentiae. Vnus, Quae ante dixi, beneuolentiae praeceptis. QVAE *quidem capitur beneficijs maxime:* § Capitur, est, Acquiritur. sed leporis quiddam plus habet, ad exprimendam beneficiorum

ciorum uim, quibus capiuntur, atque obstringuntur animi. propterea, Aucupari gratiam, dixit in epistola ad Lucceium. Et, Venari uiduas frustis, ac pomis, Horatius. Quod utrumque uerbum ad Capiendi uoluntatem spectat. Capitur, igitur, ex multitudine: pro, sumitur, obtinetur. Sic, Capere fructum, Capere laudē. Praeterea, si, Beneuolentiam aucupari, Latinum est: cur, Beneuolentiam capere, Latinum non esse uideatur? Quid laboras, Lambine? cur ad mutandum tam procliuius es? nihil hic pro te faciunt antiqui libri: sermo Latinus est: mutationem sententia non postulat. Maximis, est in sex meis. *Capitur beneficus maxime:* Hinc illud, Gratia gratiam parit. BENEFICA *uoluntate beneuolentia mouetur*, § Legendum, mutato uerborum ordine, ut est in meis octo ueteribus libris, & Tertij: Voluntate benefica beneuolentia mouetur. Ouid. de Ponto:

Vt desint uires, tamen est laudanda uoluntas.

QVOD *decorum, honestumq. diximus*, § Dicimus, est in septem, & Tertij. PER *se* § uel si nullum ex eo fructum capiamus. NATVRA, *& specie sua* § ui, & forma sua. PERLVCET § sic ueteres omnes libri. Langius, Prolucet. cur mutetur, caussam non uideo. CAVSSAE *diligendi* § sic illud Virgilij:

uritq. uidendo
Femina.

Quod & actiue, & passiue intelligi potest. PRVDENTIAM. § intelligentiam. ET *futura prospicere* § definitio prudentiae. CVM *res agatur, in discrimenq. uentum sit*, § Isocrates: Τὸ ἐπὶ τῶν καιρῶν θεωρεῖν τοὺς συμβουλεύοντας: τοὺς δὲ καθόλου λέγοντας καὶ μηδὲν γινώσκοντας τῶν δεόντων, ἀποδοκιμάζειν. EXPEDIRE *rem*, § explicare. HANC *enim omnes existimant utilem, ueramq. prudentiam*. § Homines, noquem, & Tertij, Septem, & Tertij, Hanc enim utilem homines existimant, ueramq; prudentiam. IDEST *bonis*, § Bonis uiris, octo, & Tertij. Infra quoque pro iustis Bonos appellat. IVSTITIA *sine prudentia multum poterit: sine iustitia nihil ualebit prudentia*. § libro primo, easdem comparans uirtutes, Placet, inquit, aptiora esse naturae ea officia, quae ex communitate, quam ea, quae ex cognitione ducantur. NE *quis sit admiratus*, § ne qua sit admiratio. CVM *inter omnes philosophos constet*, § non eos quidem, quorum libri exstant. nam Aristoteles id non docet. Plato autem ex aliorum sententia disputat: ut in Euthydemo: Εἴπερ καὶ ἓν ἐπίσασε, πάντα ἐπίσασε. In Protagora autem: Πότερον καὶ μεταλαμβάνουσιν οἱ ἄνθρωποι τούτων τῶν τῆς ἀρετῆς μερίων οἱ μὲν ἄλλο, οἱ δὲ ἄλλο, ἢ ἀνάγκη, ἐὰν περ τις ἓν λάβῃ, ἅπαντα ἔχειν. CVM *ueritas ipsa limatur* § cum ueritas ipsa diligentissime quaeritur. AD *opinionem &c.* § O uocalis uigesies a Cicerone hic duabus lineis usurpatur. ALIOS *bonos* § pro, iustos, & Aristoteles lib. VI. Et hic ἀγαθὸν pro iusto posui ipse Cicero infra: Ex qua una uirtute, inquit de iustitia, uiri boni appellantur. CVM *loquamur de opinione populari*: § opinatur enim populus diuersas esse uirtutes.

CICERO

ERAT *igitur ex tribus, quae ad gloriam pertinerent, hoc tertium, ut cum admiratione hominum honore ab his digni iudicaremur. Admirantur igitur communiter illi quidem omnia, quae magna, & praeter opinionem suam animaduerterunt; separatim autem in singulis, si perspiciunt nec opinata quaedam bona: itaque eos uiros suspiciunt, maximisq. efferunt laudibus, in quibus existimant se excellentes quasdam, & singulares uirtutes perspicere; despiciunt autem eos, & contemnunt, in quibus nihil uirtutis, nihil animi, nihil neruorum putant. non enim omnes eos contemnunt, de quibus male existimant. nam, quos improbos, maledicos, fraudulentos putant, & ad faciendam iniuriam instructos, eos haud contemnunt quidem, sed de ijs male existimant. quamobrem, ut ante dixi, contemnuntur ij, qui nec sibi, nec alteri, ut dicitur; in quibus nullus labor, nulla industria, nulla cura est: admiratione quadam afficiuntur ij, qui anteire ceteros uirtute putantur, & cum omni carere dedecore, tum uero ijs uitijs, quibus alij non facile possunt obsistere. nam & uoluptates, blandissimae dominae, saepe maiores partes animi a uirtute detorquent; &, dolorum cum admouentur faces, praeter modum plerique exterrentur: uita, mors, diuitiae, paupertas omnes homines uehementissime permouent. quae qui in utramque partem excelso animo, magnoq. despiciunt; cumq. aliqua his ampla, & honesta res obiecta est, totos ad se conuertit, & rapit: tum quis non admiretur splendorem, pulchritudinemq. uirtutis? ergo & haec animi despicientia admirabilitatem magnam facit: & maxime iustitia, ex qua una uirtute uiri boni appellantur, mirifica quaedam res multitudini uidetur: nec iniuria. nemo enim iustus esse potest, qui mortem, qui dolorem, qui exsilium, qui egestatem timet; aut qui ea, quae his sunt contraria, aequitati anteponit. maximeq. admirantur eum, qui pecunia non mouetur: quod, in quo uiro perspectum sit, hunc igni spectatū arbitrantur. itaque illa tria, quae proposita sunt ad gloriam, omnia iustitia conficit; & beneuolentiam, quod prodesse uulti plurimis; & ob eandem caussam fidē, & admirationem, quod eas res spernit, & negligit, ad quas plerique inflammati auiditate rapiuntur.*

EXPLANATIO

PERTINERENT, § sic tres mei, & Tertij. undecim, Pertinent. ADMIRANTVR *igitur communiter illi* § indocti scilicet, & paruo animo praediti. Horatius:

Nil admirari, prope res est una, Numici,
Solaque, quae possit facere, & seruare beatum.

PRAETER *opinionem suam* § παράδοξα: uel, παρὰ προσδοκίαν. NON *enim omnes eos contemnunt, de quibus*

quibus male existimant. § Contemnere & Male existimare, non idem sunt. *De quibus male existimant*: nam ij nocere possunt. Aristoteles hoc disputat Rhet. lib. II. *Eos haud* {*contemnunt quidem*, § Tres, & Tertij, Eos contemnunt quidem neutiquam. quod, ut magis antiquum, magis probo. & ex eo impressam lectionem natam existimo. NEC *sibi, nec alteri prosunt, ut dicitur*; § Prosunt, abest ab uno Tertij libro. & recte abesse arbitror. breuitas enim prouerbij similitudinem facit. Et, Vt dicitur, multorum sermone tritum esse, & intelligi posse per se ostendit. Horatius hos ait fruges consumere natos. & Graecus poeta, ἐτώσιον ἄχθος ἀρούρης, Telluris inutile pondus. Hesiodus:

Οὗτος μὲν πανάριστος, ὃς αὐτῷ πάντα νοήσει,
Φραζάμενος τά τ' ἔπειτα, καὶ ἐς τέλος ἥσιν ἀμείνω.
Ἐσθλὸς δ' αὖ κἀκεῖνος, ὃς εὖ εἰπόντι πίθηται.
Ὃς δὲ κε μήθ' αὐτῷ νοέῃ, μήτ' ἄλλου ἀκούων
Ἐν θυμῷ βάλληται, οὗτος δ' αὖτ' ἀχρήιος ἀνήρ.

ADMIRATIONE *quadam afficiuntur ij, qui anteire ceteros uirtute putantur*, § quemadmodum Latine dicitur, Laude afficitur, Honoribus afficitur; pro, Laudem consequitur, Honores, consequitur: sic hoc in loco Cicero dixit, Admiratione quadam afficiuntur ij; pro, Admirationem quandam hominum consequuntur. Itaque non uideo, cur quidquam mutetur. cum praesertim libri omnes antiqui, Afficiuntur, habeant, non, Afficiunt, ut ex ingenio Lambinus reponit: meo quidem iudicio, non satis recte, ut leuiter dicam. Vnus, Adm. quadam uero aff. Duo, Adm. autem quadam aff. Vnus, Adm. quadam autem aff. Sex, & Tertij, Adm. autem aff. Quattuor cum impressa lectione faciunt. *Ceteros*: Vnus, & Tertij, Ceteris. IIS *uitijs*, § fraude, dolo, uiolentia. VOLVPTATES, *blandissimae dominae*, § propterea δέλεαρ κακῶν Voluptatem appellauit Plato ἐν τῷ τῶν Νόμων H: quod, Escam malorum, Cicero conuertit in Catone. SAEPE *maiores partes animi a uirtute detorquent*: § Τὸ Saepe, non legitur in ullo uetere libro. IN *utramque partem* § tam uoluptates, quam dolores. uel, Siue cum adsunt, siue cum absunt. EXCELSO *animo, magnoq.* § qui uirtutem rebus omnibus anteponat. TVM *quis non admiretur splendorem, pulchritudinemq. uirtutis*? § hoc non uidetur cum eo coniungi posse, quod dictum est: Quae qui in utramque partem excelso animo, magnoq. despiciunt. Potius enim sententia requirebat, Tum quis non eos admiretur? aut: Quis non admiretur splendorem in ijs, pulchritudinemq. uirtutis? Modo subiungatur aliquid, quod ad, Qui, referatur. HAEC *animi despicientia* § cum & uoluptates, & dolores despiciuntur. Sic est in omnibus uet. libris. Male in uulgatis, Perspicientia. ET *maxime iustitia*, § Plato Politic. II. Ὁ μὲν ἄρα δίκαιος ἡμῖν ἀναπέφανται, ὢν ἀγαθός τε καὶ σοφός. ὁ δὲ ἄδικος, ἀμαθής τε καὶ κακός. QVI *mortem, qui dolorem*, § Stoici, contra Peripateticos. nam Aristoteles naturales effectus esse dicit. QVAE *his sunt contraria*, § Nouem, & Tertij, Quae sunt his contr. MAXIME Q. *admirantur* § Valerius Max. lib. IV. cap. 3. HVNC *dignum spectatu arbitrantur*. § sic quattuordecim mei. unus Tertij, Hunc igni spectatum. idest, probe cognitum: ut ego interpretor: ut aurum spectatur igni. Similiter ad Paetum, Fam. lib. IX. ep. 16. Non facile dijudicatur amor uerus, & fictus, nisi aliquod incidat eiusmodi tempus, ut, quasi aurum igne, sic beneuolentia fidelis periculo aliquo perspici possit. quod ex Isocrate sumptum, Pater annotauit, ex oratione ad Demonicum: Τὸ μὲν χρύσιον ἐν τῷ πυρὶ δοκιμάζομεν. Sic & Ouidius Trist.

Scilicet ut fuluum spectatur in ignibus aurum. &c.

Huc facit illud Chilonis: Ἐν λιθίναις ἀκόναις ὁ χρυσὸς ἐξετάζεται, διδοὺς βάσανον φανερὰν· ἐν δὲ χρυσῷ ἀνδρῶν ἀγαθῶν τε καὶ κακῶν τε νοῦς ἔδωκ' ἔλεγκον. Lambinus, Tamquam, addit. Alij, Hunc uirum spectatum. Alij, Hunc dignum adspectu. Mollius omnino erat, Vt igni. sed', ut absit, Vt, quid incommodi? praesertim in communi, tritaq. sententia, quam usus ipse iam satis emolliuerat. OB *eandem causam* § quia prodesse uult plurimis. nam ideo spernit, & negligit eas res, ad quas plerique inflammati auiditate rapiuntur. AD *quas plerique inflammati auiditate rapiuntur*. § plus est, quam, Cupiditate. Vnus meus, Auide.

CICERO

AC, *mea quidem sententia, omnis ratio, & institutio uitae adiumenta hominum desiderat, in primisq. ut habeas, quibuscum possis familiares conferre sermones: quod est difficile, nisi speciem prae te boni uiri ferat. ergo etiam solitario homini, atque in agro uitam agenti, opinio iustitiae necessaria est, eoq. etiam magis, quod, si eam non habebunt, iniusti habebuntur; &, nullis praesidijs saepti, multis afficientur iniurijs. Atque his etiam, qui uendunt, emunt, conducunt, locant, contrahendisq. negotijs implicantur, iustitia, ad rem gerendam, necessaria est. cuius tanta uis est, ut nec illi quidem, qui maleficio, & scelere, pascuntur, possint sine ulla particula iustitiae uiuere. nam, qui eorum cuipiam, qui una latrocinantur, furatur aliquid, aut eripit, is sibi ne in latrocinio quidem relinquit locum. ille autem, qui archipirata dicitur, nisi aequabiliter praedam dispertiat, aut occidetur a socijs, aut relinquetur. quin etiam leges latronum esse dicuntur, quibus pareant, quas obseruent. itaque, propter aequabilem praedae partitionem, & Bargulus, illyricus latro, de quo est apud Theopompum, magnas opes habuit; & multo maiores Viriathus Lusitanus: cui quidē exercitus nostri, imperatoresq. cesserunt: quem C. Laelius, is, qui Sapiens usurpatur, praetor fregit, & comminuit; ferocitatemq. eius ita repressit, ut facile bellum reliquis traderet. Cum igitur tanta uis iustitiae sit, ut ea etiam latronum opes firmet, atque augeat; quantam eius uim inter leges, & iudicia, & instituta reip. fore putamus? Mihi quidem non apud Medos solum, ut ait Herodotus, sed etiam apud maiores nostros fruendae iustitiae causa uidentur olim bene morati reges constituti. nam, cum premeretur imitio multitudo ab ijs, qui maiores opes habebant, ad unum aliquem confugiebant, uirtute praestantem; qui, cum prohiberet*

Landesbibliothek Oldenburg

hiberet iniuria tenuiores, aequitate constituenda summos cum infimis pari iure retinebat. Eademq. constituendarum legum fuit causa, quae regũ. ius enim semper quaesitum est aequabile. neque enim aliter esset ius. id si ab uno iusto, & bono uiro consequebantur, eo erant contenti. cum id minus contingeret, leges sunt inuentae, quae cum omnibus semper una, atque eadem uoce loquerẽtur. Ergo hoc quidem perspicuum est, eos ad imperandum deligi solitos, quorum de iustitia magna esset opinio multitudinis. adiuncto uero hoc, ut ijdem etiam prudentes haberentur, nihil erat, quod homines his auctoribus non posse consequi se arbitrarentur.

EXPLANATIO

NISI *speciem prae te boni uiri feras*. § nisi iustus uideare. *Boni uiri*: iusti, subiungit enim: Etiam solitario homini opinio iustitiae necessaria est. Et paullo ante dixit de iustitia: Ex qua una uirtute uiri boni appellantur. INIVSTI *habebuntur*; § mihi hoc uidetur abundare: cum dixerit, Si eam non habebunt. Cum hoc iam scripsissem, animaduerti coniecturam meam unius libri ueteris testimonio confirmari. NVLLIS *praesidijs saepti*, § quibus maximum opinio iustitiae praesidium esset. AD *rem gerendam* § dum eas res gerunt. Male Lambinus, contra ueteres omnes libros, Ad remp. cum sit sermo de priuatis rebus. QVI *maleficio, & scelere pascuntur*, § ut Terentianus Sannio:

Leno ego sum: at ita, ut usquam fuit fide quisquam optima.

NAM, *qui &c.* § iustitia etiam apud latrones necessaria. Plutarchus in Pompeio narrat de latronibus sacra facientibus. Argumentum a minori ad maius. FVRATVR *aliquid, aut clam eripit*, § docti uiri legunt, Clam furatur aliquid, aut eripit. Ego sic, Furatur aliquid, aut eripit. Nam in uerbo, Furari, occulta, & insidiosa includitur actio; in, Eripere, aperta, & uiolenta. Sequor autem in hoc, praeter morem Latini sermonis, omnes, quibus utor, ueteres libros. IN *latrocinio* § inter latrones. argute. ne inter latrones quidem latroni furari licet. AVT *occidetur a socijs, aut relinquetur*. § Quinque lib. uet. Occidatur, Relinquatur. duo alij, Interficietur, Relinquetur. Septem alij, & Tertij, Interficiatur, Relinquatur. magis probo. quam lectionem merito probatam fuisse clarissimo, disertissimoq. uiro M. Ant. Mureto affirmauit Ciofanus meus: eamq. & Lambinus in uet. codicibus reperit. LEGES *latronum esse dicuntur*, § Thucydides scribit, ante bellum Troianum latrocinium non fuisse infame, sed periculosum potius. Hinc apud Homerum hospites rogantur, ac praedones sint: Παρθέμενοι κεφαλὰς, κακὸν ἀλλοδαποῖσι φέροντας. PRAEDAE *partitionem* § Sic Tertij liber, & nouem alij mei. Reliqui uero, Portionem. libentius sequor superiorem lectionem. dixit enim paullo supra: Aequabiliter praedam dispertiat. BARGVLVS, § dictus a Bargo, Illyrico flumine. De bello Illyrico, gesto anno V. C. DXXV. Polybius lib. 2. & alij. QVIDEM *exercitus nostri*, § Decem, & Tertij, Quidem etiam ex. n. IMPERATORES Q. § M. Vetillius, & C. Plautius praetores. & Q. Fabius proconsul pacem cum eo fecit. tandem a proditoribus, Caepionis consilio, interemptus est. IS, *qui Sapiens usurpatur*, § appellari solitus est. consuetudinem enim hoc uerbum significat. In libro de Amicitia: Non ab isto officio, quod semper usurpaui cum ualerem, abduci incommodo meo debui. De Oratore: Aut non eo nomine usurpandum, quo arguatur. De Vniuersitate: Iuppiter, Iuno, & reliqui, quos fratres inter se, agnatosq. usurpare, atque appellare solemus. Phil. I. Graecum uerbum usurpaui. IS, *qui Sapiens usurpatur*: cuius nomine liber de Amicitia inscriptus est. Duo C. Laelij fuere, duorum Africanorum amicissimi. posterior Sapientis cognomen est adeptus. RELIQVIS § primum Q. Fabio Maximo, deinde Q. Seruilio Caepioni, qui eum per insidias occidit. QVANTAM *eius uim inter leges, & iudicia, & instituta reip. fore putamus*? § Lib. Tertij, & tres mei, Et iudicia, & cõstituta rep. Vnus, Et constituta reip. Duo alij, Et in cõstituta reip. Alius, Et in cõstituta rep. Alius, Et iudicia instituta r. p. Ceteri uero uulgatam habent lectionem. MEDOS § qui primi reges habuerunt. Diod. Sic. lib. III Strabo lib. II. VT *ait Herodotus*, § lib. I. qui Clio inscribitur: quo loco ait, quibus artibus Deioces ad regnum adspirarit. FRVENDAE *iustitiae* § sic liber Tertij, & decem mei. Duo alij ord. praep. Duo alij, Seruandae iust. Nihil muto. BENE *morati reges* § hoc Aristoteles lib. v. Pol. tradit de tyrannis: Ὁ δὲ τύραννος ἐκ τοῦ δήμου καὶ τοῦ πλήθους ἐπὶ τοὺς γνωρίμους, ὅπως ὁ δῆμος ἀδικῆται μηθὲν ὑπ' αὐτῶν. φανερὸν δ' ἐκ τοῦ συμβεβηκότων, σχεδὸν γὰρ οἱ πλεῖστοι τῶν τυράννων γεγόνασιν ἐκ δημαγωγῶν, ὡς εἰπεῖν, πιστευθέντες ἐκ τοῦ διαβάλλειν τοὺς γνωρίμους. αἱ μὲν γὰρ τοῦτον τὸν τρόπον κατέστησαν τῶν τυραννίδων. NAM, *cum premeretur initio multitudo*? In otio, Tertij liber, & nouẽ mei. Sunt, qui legant, Inops multitudo: ut est in duobus meis. Alij omittunt & Inops, & Initio, & In otio. quos nõ sequor. SVMMOS *cum infimis pari iure retinebat*. § octo mei, & Tertij, Pertinebat. quam lectionem probo. nam Pertinebat, est perfecte continebat. Pertinacia enim dicta est a Pertinẽdo, ideſt, obstinate tenendo. Vel lego, Continebat. ut est in uno. quae lectio arridet & Ciofano. EADEMQ. *constituendarum legum fuit causa, quae regum*. § παρονομασία. reges primum, deinde leges fuere. reges autem pro legibus, leges pro regibus. Omnes antiquae gentes regibus quondam paruerunt. Et Aristoteles lib. I. Pol. Καὶ πρῶτον ἐβασιλεύοντο αἱ πόλεις, καὶ νῦν τὰ ἔθνη. Idem & Polybius initio lib VI. grauiter, & ingeniose, ut solet, omnia litteris mandauit. IVS *enim semper quaesitum est aequabile*. § Arist. Polit. lib. II. τὸ μὲν γὰρ δίκαιον, ἴσον δοκεῖ εἶναι. SI *ab uno iusto*, § lib. I. CVM *omnibus semper* § Plato de Leg. IV. eas non ait ueras leges, quae non uniuersae ciuitati ex aequo seruiunt: iuris singularis conditores seditiosos uerius, quam ciues, esse. EO *erant contenti*. § Erant eo cont. liber Tertij, & undecim mei. VNA, *atque eadem uoce* § non ut alio modo tenuiores, alio locupletes uiuerent, sed ut summi cum infimis aequo iure tenerentur. quod regibus quoque bene moratis propositum fuit.

ADIVN-

ADIVNCTO *uero hoc*, § In libro Tertij, atque in duodecim meis ?ὸ Hoc desideratur. NON *posse consequi* § ideo se libenter ijs, fortunasq. suas commiserunt.

CICERO

OMNI *igitur ratione colenda, & retinenda iustitia est, tum ipsa propter sese, (nam aliter iustitia non esset) tum propter amplificationem honoris, & gloriae. Sed, ut pecuniae quaerendae non solum ratio est, sed etiam collocandae, quae perpetuos sumptus suppeditet, nec solum necessarios, sed etiam liberales: sic gloria & quaerenda, & collocãda ratione est. quamquam praeclare Socrates hanc uiam ad gloriam proximam, & quasi compendiariam dicebat esse, si quis id ageret, ut, qualis haberi uellet, talis esset. Quod si qui simulatione, & inani ostentatione, ficto non modo sermone, sed etiam uultu stabilem se gloriam consequi posse rentur, uehementer errant. uera gloria radices agit, atque etiam propagatur: ficta omnia celeriter, tamquam flosculi, decidunt; nec simulatum potest quidquam esse diuturnum. testes sunt permutti in utramque partem: sed, breuitatis caussa, familia erimus contenti una. Ti. enim Gracchus, P. filius, tam diu laudabitur, dum memoria rerum Romanarum manebit: at eius filij nec uiui probabantur bonis, & mortui numerum obtinent iure caesorum. Qui igitur adipisci ueram iustitiae gloriam uolet, iustitiae fungatur officijs. ea quae essent, dictum est in superiore libro. Sed, ut facillime, quales simus, tales esse uideamur: etsi in eo ipso uis maxima est, ut simus ἀγαθοὶ qui haberi uelimus: tamen quaedam praecepta danda sunt. Nam, si quis ab ineunte aetate habet causam celebritatis, & nominis, aut a patre acceptam, quod tibi, mi Cicero, arbitror contigisse, aut aliquo casu, atque fortuna: in hunc oculi omnium coniciuntur, atque in eo, quid agat, quemadmodum uiuat, inquiritur; &, tamquam in clarissima luce uersetur, ita nullum obscurum potest nec dictum eius esse, nec factum. quorum autem prima aetas, propter humilitatem, & obscuritatem, in hominum ignoratione uersatur, hi, simul ac iuuenes esse coeperunt, magna spectare, & ad ea rectis studijs debent contendere. quod eo firmiore animo facient, quia non modo non inuidetur illi aetati, uerum etiam fauetur. Prima igitur est adolescenti cõmendatio ad gloriam, si qua ex bellicis rebus comparari potest: in qua multi apud maiores nostros exstiterunt. semper enim fere bella gerebantur. tua autem aetas incidit in id bellum, cuius altera pars sceleris nimium habuit, altera felicitatis parum. quo tamen in bello, cum te Pompeius alae alteri praefecisset, magnam laudem et a summo uiro, & ab exercitu consequebare, equitando, iaculando, omnia militari labore tolerando. atque ea quidem tua laus pariter cum rep. cecidit. mihi autẽ haec oratio suscepta non de te est, sed de genere toto. quamobrem, ad ea, quae restant, pergamus.*

EXPLANATIO

TVM *ipsa propter se se*, § liber Tertij, & tres mei, Per se se. Sex alij, Per se. NAM *aliter iustitia non esset* § si pecuniam, si honores, si opes quaereret. supra dictum est: Spernit, & negligit eas res, ad quas plerique inflammati auiditate rapiuntur. Quid igitur potissimum spectat? scipsam, ut iuste agat: in quo praemium ponit maximum: & ex eo tamen ipso sequitur amplificatio honoris, & gloriae. SED, *ut pecuniae &c.* § nam Non minor est uirtus, quam quaerere, parta tueri. NEC *solum necessarios*, § ad tuendam uitam, & frugaliter alendam familiam. LIBERALES: § ut & ipsi uiuamus lautius, & benigni tate in alios uti possimus. RATIONE § non malis artibus. in quo lapsi sunt praestanti homines ingenio duo Gracchi fratres. SED, *ut pecuniae quaerendae non solum ratio est*: Quattuor ex meis libris, Pecuniae non solum quaerendae. Septem alij, & Tertij, Pecuniae non quaerendae solum. SIC *gloria & quaerenda, & collocanda &c.* § Septem mei non habent primam coniunctionem, Et. PRAECLARE *Socrates* § Xenophon Ἀπομνημονευμάτων α prope finem: quo loco probat eum discipulos a simulationis studio dehortari solitum: Ἀ εἰ γὰρ ἔλεγεν, ὡς οὐκ εἴη καλλίων ὁδὸς ἐπ' εὐδοξίαν, ἢ δι' ἧς ἂν τις ἀγαθὸς τοῦτο γένοιτο. Et, ut hoc uerum esse ostendat, similitudinem a tibicine addit: Εὐθυμέμεθα γὰρ ἔφη, εἴ τις μὴ ὢν ἀγαθὸς αὐλητὴς δοκεῖν βούλοιτο, τί ἂν αὐλοὺς ποιητέον εἴη. ἆρ' οὐ τὰ ἔξω τῆς τέχνης μιμητέον τοὺς ἀγαθοὺς αὐλητάς. &c. Et lib. II. Ἀλλὰ συντομωτάτη, καὶ ἀσφαλεστάτη, καὶ καλλίστη ὁδός, ὦ Κριτόβουλε, ὅτι ἂν βούλῃ δοκεῖν ἀγαθὸς εἶναι τοῦτο καὶ γενέσθαι ἀγαθὸν πειρᾶσθαι. ὅσα δ' ἐν ἀνθρώποις ἀρεταὶ λέγονται, σκοπούμενος εὑρήσεις πάσας μαθήσει τε καὶ μελέτῃ αὐξανομένας. Plato Dioni: Φανερὸν οὖν δεῖ ἡμᾶς γενέσθαι, ὅτι ἐσμὲν τοιοῦτοι, οἷοί περ φαμέν. FICTO *non modo sermone*, § omnes ueteres libri, Et ficto non modo sermone. RADICES *agit*, § ideopermanet nam ficto sermone, & uultu quaesita stabilis non est. PROPAGATVR: § pergit in translatione: nam dixerat, Radices agit. VERA *gloria radices agit, atque etiam propagatur*: Perspicue ita est in antiquis omnibus libris. FICTA *omnia celeriter, tamquam flosculi, decidunt*; § Demosthenes: Ὅταν ἐκ πλεονεξίας, καὶ πονηρίας τις ἰσχύσῃ, ἢ πρώτη πρόφασις καὶ μικρὸν πταῖσμα ἅπαντα ἀνέχαίτισε καὶ διέλυσεν. οὐ γάρ ἐστιν, οὐκ ἔστιν, ἀδικοῦντα καὶ ἐπιορκοῦντα καὶ ψευδόμενον δύναμιν βεβαίαν κτήσασθαι: ἀλλὰ τὰ τοιαῦτα εἰς μὲν ἅπαξ καὶ βραχὺν χρόνον ἀντέχει, καὶ σφόδρα γε ἐπῆρεν ἐπὶ ταῖς ἐλπίσιν, ἂν τύχῃ: τῷ χρόνῳ δὲ φαραῖται, καὶ περὶ αὐτὰ καταῤῥεῖ. NEC *simulatum potest quidquam esse diuturnum*. § quia naturae aduersatur. IN *utramque partem*: § diuturna esse non simulata, non diuturna simulata. illud Ti. Gracchi P. F., hoc illius filiorum exemplo comprobatur. FAMILIA *erimus contenti una*. § Vox Vna abest a duobus uteribus libris. In Tertij uero libro, & nouem meis, Familia contenti erimus una. TI. *Gracchus*, § qui bis consul fuit, bis triumphauit, censorq. fuit. TIBERIVS *enim Gracchus*, § Duo mei, Tiberius igitur Gracchus. Vnus, Tiberius Gracchus enim. AT *eius filij nec uiui probabantur a bonis*, § liber Tertij, & unus meus, Probabantur bonis: Septem alij, Bonis in quorum uno, non Et, sed ſ3 ſcriptum eſt. diuulſo S a uerbo Boni, & ſequenti coniunctioni fruſtra addito.

addito. NVMERVM *obtinent iure caesorum*. § quia leges ferre conati sunt pernicioſas reip. uel teſtimonio minoris Africani: qui, de Ti. Gracchi nece quid ſentiret, a C. Carbone tribuno pl ſeditioſe interrogatus, reſpondit, iure caeſum uideri. Langius, Nomen. ET *mortui numerum obtinent iure caeſorum*: Vnus meus, Obtinent locum. Tertij, Et mortui nume obtinent &c. Alius, Numerum retinent. Sex alij habent item Numerum: reliqui uero, Nomen &c. QVI *igitur adipiſci ueram iuſtitiae gloriam uolet, iuſtitiae fungatur offi[illegible]ijs*, § tredecim mei, Volent, Fungantur. DICTVM *eſt in ſuperiore libro*. § his uerbis: Iuſtitiae primum munus eſt, ut ne cui quis noceat, niſi laceſſitus iniuria: deinde, ut communibus pro communibus utatur, priuatis autem ut ſuis &c. ETSI *in eo ipſouis maxima eſt*, § Iſocrates: Ωσπερ οικίας ὄιμαι χ̀ πλοίου χ̀ τῶν ἄλλων τῶν τοιούτων, τὰ κάτωθεν ἰσχυρότατα εἶναι δεῖ: οὕτω χ̀ τῶν πράξεων τὰς ἀρχὰς χ̀ τὰς ὑποθέσεις ἀληθεῖς καὶ δικαίας εἶναι προσήκει. VT *ſimus ij, qui haberi uelimus*: § quam Socrates uiam ad gloriam proximam, & quaſi compendiariam dicebat eſſe. Plato ἐν τῷ νόμων ιβ. Τὸ μὲν γὰρ ἐρθότατον καὶ μέγιστον ὄντα ἀγαθὸν ἀληθῶς, οὕτω τὸν ἔνδοξον εἶσιν θηρεύειν. Iſocrates contra, ne idem diceret, paullo deterius, & dilutius: Οὕτως ἂν μᾶλις' εὐδοκιμοίας εἰ ταῦτα φαίνοιο μὴ πράττων, εἰ περ ἂν πράττουσι τοῖς ἄλλοις ἐπιτιμῶσας. Huc facit illud Salluſtij, Catilina: Eſſe, quam uideri, bonus malebat: ex Aeſchylo ſumptum:

Οὐ γὰρ δοκεῖν ἄριστος, ἀλλ' εἶναι θέλει.

NAM, *ſi quis ab ineunte aetate* § dixit ſe quaedam praecepta daturum, quae ad iuſtitiae gloriam adipiſcendam ualeant. ſed, antequam praecipiat, filio gratulatur, quod celebritatis, nominiſq. cauſſam a patre acceperit. Praecipere autem incipit in ijs uerbis: Prima igitur eſt adoleſcenti commendatio ad gloriam, ſi qua ex bellicis rebus comparari poteſt. CAVSSAM *celebritatis*, § materiam. *A patre* § uel nobili, uel aliqua ingenij laude praeſtanti. QVOD *tibi, mi Cicero*, § lib. I. Licet mihi, Marce fili, apud te gloriari, ad quem & hereditas huius gloriae, & factorum imitatio pertinet. QVOD *tibi, mi Cicero, arbitror contigiſſe*: ſic omnes libri ſcripti. ATQVE *in eo, quid agat*, § liber Tertij, & ſeptem mei, Eum. IN *hunc oculi omnium conjiciuntur*, § Iſocrates: Τοῖς σπουδαίοις οὐχ ἧττόν τε τῆς ἀρετῆς ἀμελεῖν, ἢ πολλοὺς ἔχειν ἀνάγκη τοὺς ἐπιπλήττοντας. Et Iuuenalis:

Omne animi uitium tanto conſpectius in ſe
Crimen habet, quanto, qui peccat, maior habetur.

INQVIRITVR; § non modo enim exſpectatur, ſed quaſi exigitur ab eo uirtus. QVORVM *autem prima aetas, propter humilitatem, & obſcuritatem, in hominum ignoratione uerſatur*, § nam, ut ait ille,

Haud facile emergunt, quorum uirtutibus obſtat
Res anguſta domi.

SIMVL *ac iuuenes eſſe coeperunt*, § confirmato iudicio, & animi, corporiſq. uiribus auctis. MAGNA *ſpectare*, § gloriam. Virgilius:

--tentanda uia eſt, qua me quoque poſsim
Tollere humo, uictorq. uirum uolitare per ora.

Et:

-- Breue, & irreparabile tempus
Omnibus eſt uitae: ſed, famam extendere factis,
Hoc uirtutis opus.

NON *inuidetur*: § contra Ariſtoteles Rhet. lib. II. cap. de Inuidia. QVIA *non modo non inuidetur illi aetati*, § Vnus ex meis libris, Quia nō modo inuidetur. De quo dicendi genere plura Pater in Comment. Ep. Fam. VERVM *etiam fauetur*. § propterea P. Scipioni, qui primus Africanus appellatus eſt, admodum iuueni, bellum Hiſpanienſe, alteriuero Africano conſulatus ante aetatem cum adminiſtratione Punici belli mandatus eſt. Athenienſes quoque, cum graui Lacedaemoniorum bello premerentur, Iphicratem, XXIV. annos natum, ducem delegerunt. EXSTITERVNT. § clari euaſerunt. ALTERA *uis* § Caeſariana: Plena ſceleris, quia remp. oppreſsit. ALTERA § Pompeiana, nec ea Integra uitae, ſceleriſq. pura

FELICITATIS *parum*. § quae maxime in imperatore requiritur. ALAE *alteri* § turmarum equeſtrium auxiliarium. nam de auxiliaribus equitibus Ala dicitur. Alteri, dicit, quia duae legiones exercitus erat conſularis: quas equites, tamquam alae, a lateribus muniebant. Agell. lib. XVI. c. 4. & Seru. Aen. lib. IV. ad illud, Dum trepidant alae. Ciceronem filium & Brutus apud Plutarchum a re bellica laudat. SVMMO *uiro* § ad Appium, omnium & ſaeculorum, & gentium principem dicit. EQVITANDO, *iaculando*, § Sall. Iugurtha: Non ſe luxu, neque inertia, corrumpendum dedit, ſed, ut mos gentis illius eſt, equitari, iaculari, curſu cum aequalibus certare. OMNIA *militari labore tolerando*. § hic nouem libri mei. quattuor alij, Omnem militarem laborem tolerando. Tertij uero, & alius meus, Omni militari &c. quae lectio Ciofano non improbatur. CVM *rep. cecidit*. § ergo tibi ferenda fortuna communis aequo animo. NON *de te eſt*, § cui nullum fructum propter interitum reip. bellica uirtus attulit. AD *ea, quae reſtant, pergamus*. § Tertij liber, & tredecim mei, Pergamus ad ea, quae reſtant.

Landesbibliothek Oldenburg

CICERO

VT igitur in reliquis reb. multo maiora opera sunt animi, quam corporis: sic eae res, quas ingenio, ac ratione persequimur, gratiores sunt, quam illae, quas uiribus. Prima igitur commendatio proficiscitur a modestia, tum pietate in parentes, tum in suos beneuolentia. Facillime autē & in optimam partem cognoscuntur adolescentes, qui se ad claros, & sapientes uiros, bene consulentes reip. contulerunt. quibuscum si frequentes sunt, opinionem afferunt populo, eorum fore se similes, quos sibi ipsi delegerunt ad imitandum. P. Rutilij adolescentiam ad opinionem & innocentiae, & iuris scientiae P. Mucij commendauit domus. nam L. quidem Crassus, cum esset admodum adolescens, non aliunde mutuatus est, sed sibi ipse peperit maximam laudem ex illa accusatione nobili, & gloriosa. &, qua aetate qui exercentur, laude affici solent; ut de Demosthene accepimus; ea aetate L. Crassus ostendit, id se in foro optime iam praemeditatum facere, quod etiam tum poterat domi cum laude meditari. Sed, cum duplex sit ratio orationis, quarum in altera sit sermo, in altera contentio: non est id quidem dubium, quin contentio orationis maiorem uim habeat ad gloriam: ea est enim, quam eloquentiam dicimus: sed tamen difficile dictu est, quantopere conciliet animos comitas, affabilitasq. sermonis. Exstant epistolae & Philippi ad Alexandrum, & Antipatri ad Cassandrum, & Antigoni ad Philippum, trium prudentissimorum: (sic enim accepimus) quibus praecipiunt, ut oratione benigna multitudinis animos ad beneuolentiam alliciant, militesque, blande appellando, sermone deliniant. Quae autem in multitudine cum contentione habetur oratio, ea saepe uniuersam excitat gloriam. magna est enim admiratio copiose, sapienterq. dicentis: quem qui audiunt, intelligere etiam, & sapere plus, quam ceteros, arbitrantur. si uero inest in oratione mixta modestiae grauitas, nil admirabilius fieri potest; eoq. magis, si ea sunt in adolescente. Sed, cum sint plurima causarum genera, quae eloquentiam desiderant; multiq in nostra rep. adolescentes & apud iudices, & apud senatum dicendo laudem assecuti sint: maxima est admiratio in iudicijs: quorum ratio duplex est. nam ex accusatione, & defensione constat: quarum etsi laudabilior est defensio, tamen etiam accusatio probata persaepe est. Dixi paullo ante de Crasso: idem fecit adolescens M. Antonius: etiam P. Sulpicij eloquentiam accusatio illustrauit, cum, seditiosum, & inuidum ciuem C. Norbanum in iudicium uocauit. sed hoc quidem non est saepe faciendum, nec umquam, nisi aut reip. caussa, ut duo Luculli; aut patrociaij, ut nos pro Siculis, pro Sardis contra Albucium Iulius. in accusando etiam Man. Aquillio L. Fufii cognita industria est. semel igitur, non saepe certe, sin erit, cum faciendum sit saepius, reip. tribuat hoc muneris; cuius inimicos ulcisci saepe, non est reprehendendum: modus tamen adsit. duri enim hominis, uel potius uix hominis uidetur, periculum capitis inferre multis. id enim tum periculosum ipsi est, tum etiam sordidum ad famam, committere, ut accusator nominetur. quod contigit M. Bruto, summo genere nato, illius filio, qui iuris ciuilis in primis peritus fuit. Atque etiam hoc praeceptum officij diligenter tenēdum est, ne quem umquam innocentem iudicio capitis arcessas. id enim sine scelere fieri nullo pacto potest. nam, quid est tam inhumanum, quam eloquentiam, a natura ad salutem hominum, & ad conseruationem datam, ad bonorum pestem, perniciemq. conuertere? Nec tamen, ut hoc fugiendum est, ita est habendum religioni, nocentem aliquando, & nefarium, impiumq. defendere. uult hoc multitudo, patitur consuetudo, fert etiam humanitas. iudicis est, semper in caussis uerum sequi; patroni, nonnumquam uerisimile, etiam si minus sit uerum, defendere: quod scribere, praesertim cum de philosophia scriberem, non auderem, nisi idem placeret grauissimo Stoicorum Panaetio. Maxime autem & gloria parituri, & gratia defensionibus, eoq. maior, si quando accidit, ut ei subueniatur, qui potentis alicuius opibus circumueniri, urgeriq. uideatur; ut nos & saepe alias, & adolescentes contra L. Sullae dominantis opes pro Sex. Roscio Amerino fecimus: quae, ut scis, exstat oratio.

EXPLANATIO

MVLTO *maiora sunt opera animi, quam corporis*: § Sallustius, Catilinae prooemio: Nostra omnis uis in animo, & corpore sita est. animi imperio, corporis seruitio magis utimur. Et II. de rep. ord. Corpus animo obsecundat. Ideo Plato in Clitophonte uocat τὸ μὲν ἄρχον, τὸ δὲ ἀρχόμενον. INGENIO, *ac ratione persequimur*, § Viuitur ingenio, cetera mortis erunt. PRIMA *igitur commendatio* § in secundo praecepto dicit, Prima. quod mirari aliquis possit. sed in primo, quod ad res bellicas pertinet, habuit rationem temporis, in secundo utilitatis. recte igitur utrobique. A *modestia*, § qua foris utimur, cum omni hominum genere. nam, quae subiunguntur, Tum pietate in parentes, tum in suos beneuolentia, domestica sunt. Hanc laudem filio tribuit Simo ille Terentianus in ijs uersibus:

Sic uita erat: facile omnes perferre, ac pati:
Cum quibus erat cumque una, ijs sese dedere,
Eorum obsequi studijs, aduersus nemini,
Numquam praeponens se alijs. ita facillime
Sine inuidia inuenias laudem, & amicos pares.

TVM *in suos beneuolentia*. § Tum, non est in septem, & Tertij. IN *optimam partem cognoscuntur adolescentes*, § Sic ad Att. lib. x. Caesar mihi ignoscit per litteras, quod non uenerim, seseq. in optimam partem accipere dicit. QVI *se ad claros, & sapientes uiros, bene consulentes reip. contulerunt*. § quod ipse fecit adolescens. nam initio libri de Amicitia, A patre, inquit, ita eram deductus ad Scaeuolam, sumpta

uirili

uirili toga, ut, quoad posſem, & liceret, a senis latere numquam discederem. itaque multa, ab eo prudenter disputata, multa breuiter, & commode dicta, memoriae mandabam, fieriq. studebam eius prudentia doctior. quo mortuo me ad pontificem Scaeuolam contuli: quem unum nostrae ciuitatis & ingenio, & iustitia praestantissimum audeo dicere. Id autem apud ueteres usitatum fuisse, ex Tacito, & Valerio intelligitur. QVIBVSCIM *si frequentes sunt*, § si eorum consuetudine crebro utuntur. P. RVTILII § qui cum Cn. Mallio consul fuit, & iuris ciuilis laude praestitit. de hoc in Bruto. Hunc alibi exemplum, & specimen innocentiae appellat. P. MVCII § iurisconsulti, optimi uiri: qui, cum esset consul, Ti. Graccho remp. perturbante, armis abstinuit, ne ciuilis caedis auctor esset. Huius filius fuit Q. Mucius pont. max. collega L. Crassi in consulatu, iurisconsultus, & idem orator egregius. CVM *esset admodum adolescens*, § annos natus XIX. auctore Tacito in dialogo de Oratoribus. EX *illa accusatione nobili, & gloriosa*. § cum accusauit, & damnauit uirum consularem, eloquentia clarum, C. Carbonem: qui cantharidas sumpsit. Fam. lib. IX. ep. 21. nam ex ea summam ingenij non laudē modo, sed etiam admirationem est consecutus. Cic. in Bruto, & Tacitus de Oratoribus. QVI *exercentur*, § domi. DEMOSTHENE § qui puer pupillares actiones habuit. Quinctilianus lib. XII. cap. 6. Hic, industria, naturam emendauit. Nā in subterraneo conclaui semiraso capite meditatus est, & gestum ad speculum ingens formauit, & strictum gladium de lacunari supra humerum suspendit; Satyro histrioni se erudiendum tradidit; lapillis linguae subiectis balbutiem emendare studuit; imbecillitatem spiritus arduo adscensu ingrediendo, & recitando aliquid, correxit; ad fluctuum murmur, uētorumq. turbines declamitans, concionis procellas, hoc est tumultuā tem, & obstrepentem populum, atque exsibilantem contemnere didicit. DE *Demosthene*: § sic undecim mei, & Tertij. ID *se in foro optime iam praemeditatum facere, quod etiam tum poterat domi cum laude meditari*. § septem, & Tertij, nec Praemeditatum, nec Impraemeditatum habent. sex, Iam impraemeditatum. unus habet in ora. Placet. ut respondeat uerbo Meditari. quod interpretor, meditando exerceri. quod erat adolescentium, antequam caussas agere inciperent. Qua aetate, inquit, alij domi cum laude meditantur ea, quae ad agendas caussas pertinent; ea aetate L. Crassus, impraemeditatus, caussas ipsas agebat. CVM *duplex sit ratio orationis*, § de hoc supra lib. I. ubi de decoro orationis. NON *est id dubium, quin contentio orationis maiorem uim habeat ad gloriam*: § cum duo sint orationis genera, Sermo, & Contentio: quid utrumque pariat, Cicero demonstrat. Parit autem contentio gloriam; est enim in ea perfectae uis eloquentiae: Sermo autem gratiam sine gloria. Haec est germana sententia Ciceronis. Et, cum loquitur de Contentione, Maiorem, inquit, uim habet ad gloriam; cum de Sermone, Difficile dictu est, inquit, quantopere conciliet animos comitas, affabilitasq. sermonis. Est igitur, Contentionis, gloria; gratia, Sermonis. Quae sententia elicitur ex ueterum librorum consensu: quos secuti sumus. Antea, Quin contentio orationis plurimum possit, & mai. contra ueteres undecim meos, & Tertij. EA *est enim, quam eloquentiam dicimus*: § nam, qui excellit in sermone, disertus potius, quam eloquens, dicitur. non sequitur auquens diserto. Antonius apud Ciceronem I. de Oratore, eum statuit disertum, qui potest satis acute, atque dilucide apud mediocres homines ex communi quadam opinione dicere: eloquentem uero, qui mirabilius, & magnificentius augere posset, atque ornate, quae uellet. Vide Quinctilianum in prooemio libri XIX. ANIMOS *hominum* § abest, Hominum, a tredecim meis, & Tertij. neque requiritur a sententia. COMITAS, *affabilitasq. sermonis*. § apud Euripidem Capanei laudatur ἀψευδὲς ἦθος, εὐπροσήγορον στόμα. I. animi candor, & affabilitas. ANTIPATRI *ad Cassandrum*, § eius filium. de quo uide Iustinum. Antipater, Iolai filius, Philippi miles, inter Alexandri duces, & regni successor: Cassandri illius pater, qui Alexandri matrem Olympiadem interfecit. Reliquit autem duos libros epistolarum, qui a Suda citantur. ANTIGONI *ad Philippum filium*, § sit duodecim mei, & Tertij. Antigonus Macedoniae rex fuit. Plutarchus. MILITESQVE, *blande appellando, sermone deleniant*. § Blando, est in tredecim meis. in uno, Militesque, blando sermone appellando, delen. Sunt, qui § Sermone deleant: contra ueteres omnes libros. VNIVERSAM *excitat gloriam*. § sic tredecim mei, & Tertij: unus tantum, Vniuersorum. quod non probo. glossema enim est. Vniuersam autem, explano, omnium, uniuersorum, non paucorum hominū: ut sermo, qui habetur inter paucos, sed eorum omnium, qui audiunt, qui plurimi sunt. Vniuersam, igitur, summam, perfectam, ad quam nihil possit accedere. COPIOSE, *sapienterq. dicentis*: § Cicero in Oratore: Res sic se habet. Copiose, & ornate dicere, sine sententia, insania est; sententiose autem sine uerborum & modo, & ordine, infantia est. Haec est Oratoris descriptio: quem copia a dialectico, sapientia ab inani garrulitate separat. IN *oratione* § quae cum contentione habetur. MISTA *modestiae gravitas*, § dixit iam, Magna est admiratio copiose, sapienterq. dicentis: nunc, si ad copiam, & sapientiam accedat modestia, nihil admirabilius dicit esse, praesertim in adolescente: quia pudor aetatem ornat, orationi autem non modo non obest, uerum etiam prodest plurimum. quod exemplo L. Crassi lib. I. de Orat. perspicuum est. PLVRIMA *caussarum genera*, § Plura, septem mei, & Tertij. DESIDERANT; § Desident, sex mei, & Tertij. ASSECVTI *sint*: § sic omnes; uno tantum excepto, in quo, Consecuti. quod non probo. MAXIMA *est admiratio* § non modo laus. LAVDABILIOR *est defensio*, § Vide Quinctil. lib. XII. cap. 7. DE *crasso*: § qui accusauit de maiestate C. Carbonem reip. caussa. ADOLESCENS *M. Antonius*: § robustior tamen annis aliquot, quam Crassus. accusauit autem Cn. Papirium Carbonem, qui cum Metello Caprario consulatū gesserat, patrem eius Carbonis, qui ter consul fuit, & a Pompeio Lilybaei est interemptus: ut in ep. ad Paetum. Hic M. Antonius, M'. Aquillium defendens, diloricata rei tunica, cicatrices iudicibus ostendit. P. SVLPICII § qui loquitur in libris de Orat. De-

fendit autem C. Norbanum idem Antonius: & seditiones exornauit, dicens multas interdum seditiones e rep. fuisse: ut, cum reges exacti, cum tribunicia potestas constituta. NISI *aut reip. caussa, ut duo Luculli*; § sic omnes libri ueteres. & recte. Intelligit autem Lucium, qui Mithridatem, Tigranemq. deuicit, & Marcum: qui quamquam Seruilium augurem, Lucij patris accusatorem, iniuriae referendae gratia, accusauerint, tamen, quia de peculatu, quod est furtum pecuniae publicae, accusarunt, reip. caussa id facere uisi sunt. hoc & Plutarchus ostendit, & Cicero in Lucullo his uerbis: Vt enim admodum adolescens cum fratre, pari pietate, & industria praedito, paternas inimicitias magna cum gloria est persecutus, in Asiā quaestor profectus, ibi per multos annos admirabili quadam lauda prouinciae praefuit. PATROCINII, § Patrocinio, octo mei. sex, & Tertij, cum impressa faciunt. PRO *Sardis contra Albucium Iulius Caesar*. § Pater ante multos annos emendauit, & impressit, Contra Albucium: cum in omnibus, & recentioribus, & antiquis libris, Pro Albucio, scriptum sit. Coniecturam autem eius historia primum, deinde ratio peperit. nam Sardos a Iulio Caesare Strabone, eo, qui facetijs, & dicendi lepore excelluit, esse defensos, docet Suetonius in Caesare dictatore. Genus, inquit, eloquentiae dumtaxat adolescens adhuc Strabonis Caesaris secutus uidetur: cuius etiam ex oratione, quae inscribitur, Pro Sardis, ad uerbum nonnulla transtulit in Diuinationem suam. Cum igitur singulorum singulas persequitur accusationes, Lucullorum contra Seruilium reip. caussa, suam pro Siculis, Iulij pro Sardis, Fusij pro ea, quam Aquillius administrauit, prouincia: cur, ceteris unicam tribuens accusationem, duas Fusio tribuat? nam, si legatur, Pro Sardis, Pro Albucio; quae duae defensiones sunt: duas simul accusationes esse, quis non uidet? Omnino, quemadmodum C. Verris nomen omisit Cicero, quem pro Siculis accusauerat, Siciliae defensae mentione contentus; sic omittere potuit Albucij, Sardiniae iam mentione facta. sed, quando ueteres omnes libri, Pro M. Albucio, habent: modestius se facere Pater est arbitratus, si, Contra Albucium, reponeret, quam si totum illud, Pro M. Albucio, tolleret. Fortasse autem, Contra Albucium, addidit Cicero. nam accusatio Lucullorum, & ipsius Ciceronis recentior erat, ipsaq. satis nota res hominibus eius aetatis. at Caesaris accusatio remotior, ideoq. minus nota. quod si mentio fieret de Albucio, reo, tollebatur obscuritas, & patefiebat historia. Ideo non probo eorum opinionem, qui hoc totum, Contra Albucium, delendum censent. neque correctores istos audio, qui sibi nimium quantum in coniectura placent, inseruntq. maculas interdum, quas eluere se putant. Hanc eius emendationem, ut alias non paucas, a uiris doctis, qui post editionem suam in Ciceronem scripserunt, esse dissimulatam, non moleste ipsum tulisse, sum ipse testis. nō enim industriae suae fructum ex aliena laudatione petebat: uerum id tantum spectabat, ut opem studiosis ferret: tantumq. aberat, ut incideret, si quos in hoc genere uideret excellere, ut ijs etiam & gratularetur, & summam laudem tribueret. Albucius autem is est, qui cum in Sardinia, uictis latrunculis, sine senatus decreto quasi triumphasset, Romae postea accusatus in exsulium missus est. uide in Bruto, de Fin. lib. I. Tusc. v. *Caesar*: Caesar, non est in decem meis, & Tertij. & certe glossema est. IN *accusando etiam M'. Aquillio L. Fusii cognita industria est*. § Pro, Manlio, (quod erat in uulgaris, & in uno meo uetere) siue, Manilio, (quo modo est in undecim meis, & Tertij) siue, Manilium, (quo modo in duobus item meis) primus reposuit Pater, M'. Aquillio, ante multos annos. id quod editi libri testantur. Sed, quia, gloriolam non aucupans, ipsa correctione contentus, neque Scholia scripsit, neque locum se restitutum ullo modo indicauit: & hic eius fructum industriae interuertere, ad seq. transferre alij postea conati sunt. Historiam M'. Aquillij a L. Fusio accusati breuiter attingit Cicero in libro de claris orat. Prouinciae tamen, pro qua Fusius Aquillium accusauit, mentionem ibi quoque praetermisit. Aquilliorum autem praenomen fuisse M', idest Manius, ut Curiorum, antiquitatum Romanarum periti non ignorant. sed, ob inscitiam notae ueteris, pro M' factum erat M. in omnibus uulgatis libris. SIN *erit, cui faciendum sit saepius*; § Sin erit, cur f. unus, Sin caussa erit, cur f. unus. Sin cui f. unus. alij omnes cum impressa lectione sunt. REIP. *tribuat hoc muneris*; § sic septem, & Tertij. septem, Tribuatur. VLCISCI *saepe*, § Saepius, septem, & Tertij. DVRI *enim hominis, uel potius uix hominis uidetur*, §

Χαρίεν γὰρ ἐς ἄνθρωπος, ἀν ἄνθρωπος ἦ.

ID *enim tum periculosum ipsi est*, § Cum, quinque, & Tertij. NOMINETVR. § Nominere, octo, & Tertij. M. BRVTO, § qui se ad accusandum potius, quam ad defendendum, dedit: ut in libro de claris orat. Hunc facete in primis in quodam iudicio L. Crassus exagitauit. ut in oratione pro Cluentio. SVMMO *genere nato*, § nam Iunia familia Ilio oriunda, cum Aenea in Italiam uenit, affinitatemq. cum Romanis regibus contraxit. ILLIVS *filio, &c.* § quod tanto maiorem infamiam ei afferebat. QVI *iuris ciuilis in primis peritus fuit*. § de ueteribus iurisconsultis diligenter scripsit probatae uir industriae, Bernardinus Rutilius Vicetinus. Eum lege. IVDICIO *capitis* § Sic omnes libri ueteres; non, In iudicium capitis. ITA *est habendum religioni*, § sic duodecim mei, & Tertij: non, Religioni contrarium. quo modo antea legebatur. Item, non Ita, est in Tertij libro: pro, Similiter: quomodo Sallustius, Iugurtha: Ipse armatus, intentusq. item milites cogebat. Et alij. Habere religioni, est, cauere. Terentius. FERE *etiam humanitas*. § ut homo hominem seruatum uelit. PANAETIO. § a quo & hoc ipsum, & alia multa in hos libros Cicero transtulit. ADOLESCENTES § annos natus XXVII. Cicero pro Sex. Roscio Amerino dixit. Vide Agellium lib. XV. cap. 28.

Landesbibliothek Oldenburg

CICERO

SED, *expositis adolescentium officijs, quae ualeant ad gloriam adipiscēdam, deinceps de beneficentia, ac liberalitate dicendum est. cuius est ratio duplex. Nam aut opera benigne fit indigentibus, aut pecunia. facilior est haec posterior, locupleti praesertim; sed illa lautior, ac splendidior, & uiro forti, claroq. dignior. quamquam enim in utroque inest gratificandi liberalis uoluntas: tamen altera ex arca, altera ex uirtute depromitur: largitioque, quae fit ex re familiari, fontem ipsum benignitatis exhaurit: ita benignitate benignitas tollitur: qua quo in plures usus sis, eo minus in multos uti possis. At, qui opera, ideſt uirtute, & industria, benefici, & liberales erunt, primum, quo pluribus profuerint, eo plures ad benigne faciendum adiutores habebunt; deinde, consuetudine beneficentiae paratiores erunt, & tamquam exercitatiores ad bene de multis promerendum. praeclare in epistola quadam Alexandrum filium Philippus accusat, quod largitione beneuolentiam Macedonum consectetur. Quid te, (malum) inquit, rationis in istam spem induxit, ut eos tibi fideles putares fore, quos pecunia corrupisses? an tu id agis, ut Macedones non te regem suum, sed ministrum, & praebitorem putent? quo quid sordidius regi? Melius etiam, quod largitionem corruptellam dixit esse. fit enim deterior, qui accipit, atque ad idem semper exspectandum paratior. Hoc ille filio sed praeceptum putemus omnibus. Quamobrem id quidem non est dubium, quin illa benignitas, quae constat ex opera, & industria, & honestior sit, & latius pateat, & possit prodesse pluribus. Nonnumquam tamen est largiendum: nec hoc benignitatis genus omnino repudiandum est: & saepe idoneis hominibus indigentibus de re familiari impertiendum, sed diligenter, atque moderate. multi enim patrimonia effuderunt inconsulte largiendo. quid autem est stultius, quam, Quod libenter facias, curare, ut id diutius facere non possis? Atque etiam sequuntur largitionem rapinae. cum enim dando egere coeperunt, alienis bonis manus afferre coguntur. ita, cum, beneuolentiae comparandae causſa, benefici esse uelint, non tanta studia assequuntur eorum, quibus dederunt, quanta odia eorum, quibus ademerunt. quamobrem nec ita claudenda est res familiaris, ut eam benignitas aperire non possit; nec ita reseranda, ut pateat omnibus: modus adhibeatur, isq. referatur ad facultates.*

EXPLANATIO

QVAMQVAM *in utroque inest gratificandi liberalis uoluntas*: § Vlpianus lib. LXX. ad edictum, lib. XXXIX. Digestorum, tit. 5. de Donationibus, l. XIX. Hoc iure utimur, ut in rebus publicis, cum de donatione quaeritur, illud solum spectetur, utrum ob causſam aliquam iustam reip. promittat quis, uel polliceatur, an non. ut si ob honorem aliquem promittat, teneatur; si minus, non. Labeo scribit, extra causſam donationum esse talium officiorum mercedes, utputa si tibi adfuero: si satis pro te dedero: si qualibet in re opera, uel gratia mea usus fueris. Non potest liberalitas nolenti adquiri. Haec Vlpianus. TAMEN *altera ex arca, altera ex uirtute depromitur*: § lepida sententia. non enim, quod ex arca, cum eo, quod ex uirtute depromitur, conferendum uidetur. alterum enim altero longe nobilius: & largitio pecuniae, cum minuat rem domesticam, simul minuit benigne faciendi facultatem. quod non accidit, cum non pecunia, sed opera, benigne fit indigentibus. Veterem igitur lectionem retineo, quam antiqua quoque confirmant exemplaria. LARGITIO, *quae fit ex re familiari, fontem ipsum benignitatis exhaurit*: § Placet hoc loco adscribere, quod scriptum est a Lactantio Firmiano. Is autem sic lib. VI. cap. XII. Quid M. Tullius in suis Officialibus libris non ne hoc idem suadet, non esse omnino largiendum? sic enim dixit: Largitio, quae fit ex re familiari, fontem ipsum benignitatis exhaurit: ita benignitate benignitas tollitur. qua quo in plures usus sit, eo minus in multos uti possis. Et idem paullo post: Quid autem est stultius, quam, quod libenter facias, curare, ut id diutius facere non possis? Videlicet professor sapientiae refrenat homines ab humanitate: monetque, ut rem familiarem diligenter custodiant: malintq. arcam, quam iustitiam conseruare. Quod cum intelligeret inhumanum esse, ac nefarium; mox ex alio capite, quasi actus paenitentia, sic ait: Nonnumquam tamen est largiendum: nec hoc benignitatis genus omnino repudiandum; & saepe idoneis hominibus egentibus de re familiari impertiendum. Quid est, Idoneis? nempe ijs, qui restituere, ac referre gratiam possint. Si nunc Cicero uiueret, exclamarem profecto: Hic, hic, M. Tulli, aberrasti a uera iustitia; eamq. uno uerbo sustulisti; cum pietatis, & humanitatis officia utilitate metitus es. Nō enim idoneis hominibus largiendum est, sed quantum potest non idoneis. id enim iuste, id pie, id humane fit, quod sine spe recipiendi feceris. Haec est uera illa, & germana iustitia, cuius solidam, & expressam effigiem nullam tenere uos dicitis. Ipse pluribus locis clamas; mercenariam non esse uirtutem, fateriſq. in libris Legum tuarum, Liberalitatem gratuitam esse, his uerbis: Nec est dubium, quin is, qui liberalis, benignusq. dicitur, officium, non fructum sequatur. Cur ergo idoneis potius largiris, nisi ut postea mercedem recipias? Te igitur auctore, ac praeceptore iustitiae, quisquis idoneus non erit, nuditate, siti, fame conficietur; nec homines copiosi, & usque ad delicias abundantes, subuenient ultimae necessitati. Si uirtus mercedem non exigit; si propter se, ut dicitis, expetenda est: ergo iustitia matrem, principemq. uirtutum suo pretio, non tuo commodo, aestima; eiq. potissimum tribue, a quo nihil speres. Quid personas eligis? quid membra inspicis? Pro homine tibi habendus est, quisquis ideo precatur, quia te hominem putet. Abijce umbras illas, imagines q. iustitiae; atque ipsam ueram, & expressam tene: largire caecis, debilibus, claudis, destitutis; quibus nisi largiare, moriendum est. Inutiles sunt hominibus, sed utiles Deo, qui eos reti-

net

net in uita, qui spiritu donat, qui luce dignatur. Foue, quantum in te est, & animas hominum, ne exstinguantur, humanitate sustenta. Qui succurrere perituro potest, si non succurrerit, occidit. Verum isti, quia neque naturam retinent; neque, praemium in eo quod sit, sciunt; dum perdere timent, perdunt; & in id, quod maxime cauent, incidunt; ut, quidquid largiuntur, aut pereat omnino, aut ad tempus breuissimum prosit. Nam, qui exiguam stipem miseris negant; qui conseruare humanitatem sine damno suo uolunt; patrimonia sua effundunt; ut aut peritura, & fragilia sibi comparent; aut certe maximis suis damnis nihil consequantur. Haec Lactantius. qui uera non sentire uidetur. nam, quantum aberrauerit, facile est iudicare ijs, qui rationis non prorsus expertes sunt. Idonei enim qui intelligi deberent, non assecutus est. non enim eos, qui restituere, ac referre gratiam possunt, sed dignos auxilio Idoneos interpretari debemus. *Fontem ipsum*: rem familiarem: cuius riuuli sunt Largitiones. DEINDE, *consuetudine beneficentiae paratiores erunt, & tamquam exercitatiores ad bene de multis promerendum*. § haec igitur beneficentiae ratio, quae ex uirtute sumitur, non minuitur augendo, sed augetur: illa altera, quae sumitur ex arca, quo magis exercetur, eo minor fit. ita, si uirtus est, perpetua esse non potest. PRAECLARE *in epistola quadam Alexandrum filium Philippus accusat, quod largitione beneuolentiam Macedonum consectetur*. § haec epistola non exstat. Verum legimus apud Plutarchum in Politicis, Philippum Alexandrum admonere solitum, ut se superstite, ac regnante amicos sibi consuetudine, comitate, gratificatione, quoad liceat, comparare studeat. Et in Apophthegmatibus, ut blando, & mansuete cum Macedonibus conuersetur. *Quid te (malum) inquit*, § Malum, aduerbium indignantis. Ad Att. Qui (malum) isti Pindentissae? SED *ministrum, & praebitorem putent?* § Praebitorem, est in omnibus libris; Recte. Demosthenes enim λαμίαν, hoc est praebitorem, fuisse scribit. Alij legunt, Diribitorem, idest, eum, qui diuidit. Diribere enim, ueteri lingua Latina, Diuidere erat. Sed ueteres omnes libri aduersantur. QVO *quid sordidius regi?* § Quo, non legitur in undecim meis. Vnus, Quam sordidum regi. Tertij, Sordidum regi. MELIVS *etiam, &c.* § quam quod accusat de largitione. IDONEIS *hominibus* § probis. ut infra: In deligendis idoneis iudicium, & diligentiam adhibere debemus. DILIGENTER, § cum delectu. Sic in Pandectis. Vide Arist. Eth. lib. IV. MODERATE, § nam immoderatam largitionem duo uitia sequuntur, inopia, & rapinae. quae Catilinae coniurationis origo fuit. PATRIMONIA *effuderunt* § ut Milo, is, qui Clodium interfecit. Pedianus. SEQVVNTVR *largitionem rapinae*. § hinc Sallust. Catilina: Catilinae ab adolescentia bella intestina, caedes, rapinae, discordia ciuilis grata fuere. CLAVDENDA *est res* § Claudenda res est, quattuor mei, & Tertij.

CICERO

OMNINO *meminisse debemus id, quod a nostris hominibus saepissime usurpatum, iamq. in prouerbij consuetudinem uenit, largitionem fundum non habere. etenim, quis potest esse modus cum & ijdem, qui consueuerunt, & illud idem alij desiderent? Omnino duo sunt genera largorum, quorum alteri prodigi, alteri liberales. Prodigi, qui epulis, & uisceratiombus, & gladiatorum muneribus, ludorum, uenationumq. apparatu pecunias profundunt in eas res, quarum memoriam aut breuem, aut nullam sint relicturi omnino: liberales autem, qui suis facultatibus aut captos a praedonibus redimunt; aut aes alienum suscipiunt amicorum caussa; aut in filiarum collocatione adiuuant; aut opitulantur uel in re quaerenda, uel augenda. itaque miror, quid in mentem uenerit Theophrasto in eo libro, quem de diuitijs scripsit: in quo multa praeclare, illud absurde. est enim multus in laudanda magnificentia, & apparatione popularium numerum: taliumq. sumptuum facultatem, fructum diuitiarum putat. mihi autem ille fructus liberalitatis, cuius exempla pauca posui, multo & maior uidetur, & certior. quanto Aristoteles grauius, & uerius nos reprehendit, qui has effusiones pecuniarum non admiremur, quae fiunt ad multitudinem deleniendam. at ij, qui ab hostibus obsidentur, si emere aquae sextarium mina cogerentur, hoc primo incredibile nobis uideri, omnesq. mirari: sed, cum attenderint, uenium necessitati dare: in his immanibus iacturis, infinitisq. sumptibus, nihil nos magnopere mirari; cum praesertim nec necessitati subueniatur, nec dignitas augeatur; ipsaq. illa delenitio multitudinis ad breue tempus, exiguumq. sit, eaq. a leuissimo quoque, in quo tamen ipso, una cum satietate, memoria quoque moriatur uoluptatis. Bene etiã colligitur, haec pueris, & mulierculis, & seruis, & seruorum similimis liberis esse grata; graui uero homini, & ea, quae fiunt iudicio certo ponderanti, probari posse nullo modo. quamquam intelligo, in nostra ciuitate inueteraße iam bonis temporibus, ut splendor aedilitatum ab optimis uiris postuletur. itaque & P. Crassus, cum cognomine Diues, tum copijs, functus est aedilicio maximo munere: & paullo post L. Crassus cum omnium hominum moderatissimo, Q. Mucio, magnificentissima aedilitate functus est: deinde C. Claudius, Ap. filius: multi post, Luculli, Hortensius, Silanus. omnes autem P. Lentulus, me consule, uicit superiores. hunc est Scaurus imitatus. magnificentissima uero nostri Pompeij munera secundo consulatu. in quibus omnibus, quid mihi placeat, uides. uitanda tamen est suspicio auaritiae. nam Mamerco, homini ditissimo, praetermissio aedilitatis, consulatus repulsam attulit. quare &, si postulatur a populo, bonis uiris si non desiderantibus, attamen approbantibus, faciendum est, modo pro facultatibus; nos ipsi ut fecimus: &, si quando aliqua res maior, aut utilior populari largitione acquiritur; ut Oresti nuper prandia in semitis, decumae nomine, magno honori fuerunt. ne M. quidem Seio uitio datum est, quod in caritate annonae asse modium populo dedit, magna enim se, & inueterata inuidia, nec turpi iactura, quando erat aedilis, nec maxima liberauit. sed honori summo nuper nostro Miloni sunt, quod, gladiatoribus emptis reip. caussa, quae salute nostra continebatur, omnes P. Clodij conatus, furoresq. compressit.*

EXPLA-

EXPLANATIO

IAMQ. *in prouerbij consuetudinem uenit*, ℈ Que, coniunctio, abesṫia decem meis, & Tertij. & elegantius abest. LARGITIONEM *fundum non habere*. ℈ finem non inuenire, inane esse eorum studium, qui beneuolentiam hominum, qui dando expleri nequeant, largitione consectentur. ideſt: Largitionibus facilius effunduntur patrimonia, quam hominum beneuolentia comparatur. A pertuso Danaidum apud inferos dolio. Vide Adagia. ILLVD *idem* ℈ Septem mei, & Tertij, ordine praepostero, Idem illud. PRODIGI, *qui epulis, & uisceratiombus*, ℈ hi sunt, qui populi gratiam, honorum spe, aucupabantur. *Epulis*: publico conuiuio. de quo saepe in ueteribus Inscriptionibus. *Visceratiombus*: cum carnes, siue crudae, siue coctae, interdum panis, uinumq. cum illis donum perfectibus singulis praebebantur. GLADIATORVM *muneribus*: quae potissimum in funeribus edebantur. Contra gladiatores inuehitur Augustinus lib. VI. Confess. & Lactantius in Epit. LVDORVM ℈ Theatralium. *Venationumq.* elephantorum, & leonum pugnas. Saturno consecrata. Tertullianus. AVT *nullam sint relicturi omnino*: ℈ sex, & Tertij, Aut nullam omnino sint relicturi. Vnus, Nullam omnio rel. sint. Tres, Sunt. AES *alienum susciṗiunt amicorum causſa*: ℈ Causſa, non est in duobus, & Tertij. Suscipere aes alienum amicorum, est, pro amicis debitum dissoluere. Contra, Aes alienum exonerare, Vlpianus Dig. de iure dotium, l. Profecticia: Non pro hereditate patris aes alienum soluit, sed suum aes alienum susceptum, dum filiusfamilias esset, paterfamilias factus exonerauit. COLLOCATIONE ℈ pro, elocatione. Olim creditum est expedire reip. uxores esse dotatas. Dig. de iure dotium. VEL *in re quaerenda, uel augenda*. ℈ prius, Vel, non est in duobus meis. IN *eo libro quem de diuitijs scripsit*: ℈ qui non exstat: a Laertio citatur, περὶ πλούτου. CVIVS *exempla pauca posui*, ℈ septem, & Tertij, ord. praep. Cuius pauca exempla posui. ET *maior*, ℈ quia uirtuti propior. ET *certior*. ℈ propter grati animi memoriam, eorum, quibus bene feceris. NOS *reprehendit*, ℈ hoc in Arist. Eth. non reperitur. Vnde Muretus, Aristo, reponit; pro, Aristoteles: intelligitq. Aristonem Stoicum, cuius mentio est apud Senecam, & apud Lact. libro de ira, cap. 22. Quam Mureti coniecturam confirmare uidetur antiquus meus liber, in quo est, A ℞ O. Sunt, qui deleant haec uerba, Nos reprehendit, contra omnes libros ueteres. NON ADMIREMVR, ℈ pro, non reprehendendas putemus. Non admirentur, unus meus, & Tertij. Fuluius Vrsinus delendum putat τὸ Non; uel pro Admiremur, legendum Improbemus. AB *hostibus* ℈ Hoste, septem, & Tertij. SEXTARIVM ℈ uncias XX, sextam congij partem. MINA ℈ centum drachmis, scutatis duodecim. HOC *primo incredibile nobis uideri, omneſq. mirari: sed, cum attenderint*, ℈ Hunc locum suae integritati restituimus, non ex coniectura, sed ueterum librorum ope; in quibus omnibus est, Attenderint, non Attenderimus, ut in omnibus uulgatis. quod uerbum refertur ad illud, Omneſq. mirari. Qui uero pendero ab eo putabant, Incredibile nobis uideri, primam uerbi personam maluerunt, quam tertiam; & accipiebant, Omnes mirari, pro, Nos omnes mirari: cum sit, Omnes, pro Omnes homines: unde nascitur, Attenderint. Nec uero necesse fuit, Nobis, delere: cum ab eo, ut ostendit, uerbum non pendeat; & sit in omnibus libris, & Tertij, uno excepto. eoq. magis miror deletum esse, quod nullam rationem, cur deleretur, quisquam attulit. quasi liceat, ex uulgaris libris uoces tollere, nulla facta ueterum exemplarium mentione. DELENITIO ℈ Delectatio, quinque, & Tertij. Deliratio, unus. AD *breue tempus, exiguumq. sit*, ℈ duo, & Tertij, Ad breue, exiguumq. tempus. quinque, Ad breue, exiguumq. sit tempus. unus, Ad breue tempus, exiguumque. Est, pro Sit, duo. Antea, male, in uulgatis, Ad breue tempus, exiguumq. duratura sit. quod tamen est in duobus. alius, Ad breue tempus, exiguumq. durat. Male. EAQ. *a leuiſſimo quoque*, ℈ sic nouem mei, & Tertij. *A leuiſſimo quoque*: non ab omni populo, sed a leuissimis. IN *quo tamen ipso* ℈ leuissimo. SATIETATE ℈ quae etiam in rebus iucundissimis uoluptatem tollit. BENE *etiam colligitur*, ℈ argumentum a spectatorum sensum contra ludos, & munera, quae populo dantur. Hinc apud Homerum Minerua Telemachum obiurgat:

οὐδ' ἔτι σὲ χρὴ
Νηπιάας ἀγέειν· ἐπεὶ οὐκέτι τηλίκος ἐσσὶ. Ideſt:
Non pueres, nec te puerilibus omnia nugis
Metiri fas est.

PROBARI *posse nullo modo*. ℈ sunt enim copiarum, non uirtutis. ut ipse scribit in epistola ad Curionem. IAM *bonis temporibus*, ℈ moribus integris: cum honesta disciplina floreret. SPLENDOR *aedilitatum* ℈ in ludis, qui dantur populo. ET P. *Crassus cũ cognomine Diues, tum copijs*, ℈ hic ex Mucia gente transijt in Liciniam: inde Crassi cognomen accepit, & Mucianus dictus est. Consul fuit anno V. DCXXII. quinque rebus excelluit, auctore Agellio lib. I. cap. 13. fuit enim ditissimus, nobilissimus, eloquentissimus, iurisconsultissimus, pontifex max. nominatur in libris de Orat. in Bruto, a Velleio lib. II. a Plinio lib. IIX. cap. 7. qui eius aedilitate elephantos primum pugnauisse tradit. AEDILICIO *maximo munere*: ℈ primus enim argento, auroq. folia imitatus, ludis suis coronas dedit. PAVLLO *post* ℈ post XX. annos L. CRASSVS *cum Q. Mucio* ℈ qui fuere collegae & in praetura. OMNIVM *hominum moderatiſſimo* ℈ qui tamen aedilitate magnificentissime fungi uoluit: ut quasi exemplum ceteris aedilibus daret. C. CLAVDIVS, *Ap. filius*: ℈ operaepretium uidetur, quae Valerius Max. lib. II. narrat, subscribere: Claudius Pulcher scenam uarietate colorum adumbrauit, uacuis ante pictura tabulis extentam: quam totam argento C. Antonius, auro Petreius, ebore Q. Catulus praetexuit. Versatilem fecerunt Luculli.

Landesbibliothek Oldenburg

culli, argentatis choragijs P. Lentulus Spinther adornauit. Vide orationem pro Plancio, & Plinium lib. IIX. cap. 7. LVCVLLI, § Luculli fratres aediles simul fuerunt, ut ex Plinio lib. IIX. cap. 7. & Plutarcho liquet. Legendum igitur, Luculli. HORTENSIVS, § hic pauonem in augurali adijciali cena primus posuit. Varro de re rust. lib. III. cap. 6. Plinius lib. X. cap. 20. Macrob. Sat. lib. III. cap. 13. SIEANVS. § D. Iunius Silanus, qui post Ciceronem consul fuit. P. LENTVLVS, § cognomine Spinther, de cuius aedilitate Plinius lib. IX. cap. 39. SCAVRVS § cius filius, qui princeps senatus fuit. de huius munere aedilicio Plinius lib. IIX. cap. 17. & XXXIV. cap. 7. & XXXVI. cap. 2. & 6. & 15. & Asconius. NOSTRI *Pompeij* § qui, teste Plutarcho, theatrum aedificauit, DC. leones iubatos dedit. Plin. lib. IIX. cap. 16. item quadringentas decem pantheras, lib. IIX. cap. 17. SECVNDO *consulatu*. § in quo leones DC, pantheras CDX, elephantos XX. dedit Plinius lib. IIX. cap. 7. 16. 17. & in epistola ad Marium, lib. VII. Fam. QVID *mihi placeat*, § significat sibi non placere. MAMERCO, § Aemiliae gentis, patricij generis. HOMINI *ditissimo*, § ut excusari non posset. Diuitissimo, antiqui libri tres, & Tertij. PRAETERMISSIO *aedilitatis* § propter impensas. Hinc lib. III. de Legibus: Sunto aediles curatoris urbis, annonae, ludorumq. sollemnium: ollisq. ad honoris amplioris gradum is primus adscensus esto. Hinc Cicero Fam. lib. X. C. Furnium, Planci consulis designati legatum, qui tribunus modo, aedilis nondum fuerat, arguit, quod in petenda praetura nimium festinaret. NOS *ipsi ut fecimus*: § Plutarchus. Et or. I. in Verrem. AVT *utilior* § Atque, quinque, & Tertij. ORESTI § cognomen Aureliae gentis. Duos enim Aurelios Orestas nominat Cicero in Bruto. Hic est forte Cn. Aufidius Orestes, qui, sine tribuniciae dignitatis gradu, ad consulatum adscendit, anno DCXXCII. PRANDIA § populo data. IN *semitis*, § per uniuersam urbem. DECVMAE *nomine* § ueteres Romani, ut in exoptata re bonum exitum consequerentur, decumam fructuum, uel praedae alicui deo uouebant: ut Herculi uouit Sulla, & M. Crassus, ad Parthicum bellum iturus, de suis bonis: Iunoni uouit Camillus, si Veios expugnaret, ut ait Plutarchus; Apollini, si Liuium sequi malumus. Festus ostendit, non id fieri solitum in certae cuiusdam rei cupiditate, sed more; uel ut omnia prospere succederent, uel ut quisque aliquem deum priuatim coleret. ait enim: Decima quaeque ueteres dijs suis offerebant. Macrobius lib. III. cap II. ex Varronis satyra περὶ περρεωῦ, refert, Romanos Herculi quidem decumam uouere solitos esse, sed populum decimo quoque die pollucere, (i. uiritim aliquid largiri) ut ἀσύμβολος nemo uespere domum rediret. Hunc morem ab Euandro, Aboriginum rege, fluxisse, qui decumam bonum, interfecto Caco latrone, Herculi uouere instituerit, auctor est Diodorus Siculus lib. IV. Nec tamen hanc unam, sed alias quoque caussas uotae Herculis decumae, Plutarchus refert in Problematibus. Plautus decumam hanc, Herculaneam partem in Trinummo uocat. Et Sticho:

Decimam, inquit, partem ex uoto Herculi polluceam.

De ea & Varro de lingua Latina lib. V. & antiqua Reatini marmoris inscriptio.

SANCTE

DE. DECVMA. VICTOR. TIBEI. LVCIVS. MVNIVS. DONVM. DAT
MORIBVS. ANTIQVEIS. PRO. VSVRA. HOC. DARE. SESE
VISVM. ANIMO. SVO. PERFECIT. TVA. PACE. ROGANS. TE
COGENDEI. DISSOLVENDEI. TV. VT. FACILIA. FAXSEIS
PERFICIAS. DECVMAM. VT. FACIAT. VERAE. RATIONIS
PROQVE. HOC. ACQVE. ALIEIS. DONIS. DES. DIGNA. MERENTI

Huc spectauit Orestes, cum prandia populo dedit in semitis, ut eum sibi conciliaret, in petitione magistratus, decumae nomine, ut decumas alij dijs offerebant; non quod ipse decumam populo daret, alicuius dei nomine, sed ad similitudinem eius decumae, quae dijs dare solebat. M. SEIO § oratio pro Plancio & Varro de re rust. CARITATE *annonae* § τὸ Annonae abest a nouem libris, & Tertij. & recte abest, ASSE § uilissimo pretio, quarta sestertij parte. MODIVM § libras fere XXX. de quo uide Plinium lib. XIIX. cap. 7. INVIDIA, § propter opes. QVANDO *erat aedilis*, § non turpis iactura fuit, quia splendorem postulabat aedilitas. MILONI § iam mortuo. SALVTE *nostra* § hinc Pater patriae Cicero.

CICERO

CAVSSA igitur largitionis est, si aut necesse est, aut utile. in his autem ipsis mediocritatis regula optima est. L. quidem Philippus, Q. filius, magno uir ingenio, in primisq. clarus, gloriari solebat, se sine ullo munere adeptum esse omnia, quae haberentur amplissima. dicebat idem Cotta, Curio. nobis quoque licet in hoc quodam modo gloriari. nam pro amplitudine honorum, quos cunctis suffragijs adepti sumus nostro quidem anno, quod contigit eorum nemini, quos modo nominaui, sane exiguus sumptus aedilitatis fuit. Atque etiam illae impensae meliores, muri, naualia, portus, aquarum ductus, omniaque, quae ad usum reip. pertinent. quamquam enim, quod praesens tamquam in manu datur, iucundius est: tamen haec in posterum gratiora, theatra, porticus, noua templa. Verecundius reprehendo propter Pompeium: sed doctissimi non probant, ut & hic ipse

se Panaetius, quem multum in his libris secutus sum, nō interpretatus; & Phalereus Demetrius, qui Periclem, principem Graeciae, uituperabat, quod tantam pecuniā in praeclara illa Propylaea coniecit. Sed de hoc genere toto in ijs libris, quos de rep. scripsi, diligenter est disputatum. Tota igitur ratio talium largitionum genere uitiosa est, temporibus necessaria, & tamen ipsa ad facultates accommodanda, & mediocritate moderanda est. In illo autem altero genere largiendi, quod a liberalitate proficiscitur, non uno modo in disparibus caussis affecti esse debemus. alia causa est eius, qui calamitate premitur; & eius, qui res meliores quaerit, nullis suis rebus aduersis. propensior benignitas esse debebit in calamitosos: nisi forte erunt digni calamitate. in ijs tamen, qui se adiuuari uolent, non ut ne affligantur, sed ut ad altiorem gradum ascendant, restricti omnino nullo modo esse debemus, sed in deligendis idoneis iudicium, & diligentiā adhibere. nam praeclare Ennius:

Benefacta, male locata, malefacta arbitror.

Quod autem tributum est bono uiro, & grato, in eo cum ex ipso fructus est, tum etiā ex ceteris. temeritate enim remota, gratissima est liberalitas: eoq. eam studiosius plerique laudant, quod summi cuiusque bonitas commune perfugium est omnium.

EXPLANATIO

CAVSSA *igitur largitionis est,* ¶ largitionis causſae probantur, neceſsitas, & utilitas. MEDIOCRITATIS *regula* ¶ ſic tredecim mei, & Tertij. unus, Mediocritas. L. PHILIPPVS, ¶ conſul factus ſine tribunatu militari, an. DCXCVII. tertius in oratoria laude poſt Craſſum, & Antonium, pater eius, qui Atiam, Auguſti matrem, coniugem habuit. uide orationem pro Quinctio. QVAE *haberentur ampliſſima.* ¶ praeturam, cenſuram, conſulatum. COTTA, *Curio.* ¶ Curio, non eſt in Tertij libro. C. Curio, legit Langius. *Cotta:* C. Cotta, orator, qui loquitur in libris de Orat. Tres Cottae fratres fuere, C. M. L. omnes conſulatum adepti ſunt. *Curio:* pater eius, qui, pro Caeſare contra Pompeium dimicans, in Africa perijt. NOSTRO *quidem anno,* ¶ quo primum anno per leges licuit. id alibi quoque gloriatur, & auget eam laudem, quod eſſet homo nouus, multa commendatione maiorum. QVAE *ad uſum reip. pertinent.* ¶ has impenſas & Ariſtoteles probat lib. IV. Eth. IN *manu datur,* ¶ In manum, octo mei, & Tertij liber.

Terentius, Prae manu dare.

PROPTER *Pompeium:* ¶ qui theatrum magnificentiſsimum exſtruxerat. VITVPERABAT, ¶ Vituperat, quinque, & Tertij. PROPYLAEA ¶ uide Plutarchum in Periclis uita. Hic, accepta pecunia, ut Palladis templum reficeret, in atrio omnem conſumpſit. CONIECIT. ¶ Coniecerit, ſeptem, & Tertij. Proiecerit, ſex. Proiecerat, unus. ET *tamen ipſa* ¶ pronomen, Ipſa, ſi ſententia perpenditur, magis requirere uidetur, Tamen, quam Tum. Acceſſere quattuor ueteres libri, & unus, qui Romae eſt, apud heredes Iulij Galli, qui, Tamen, perſpicue ſcriptum habent. quod probaui. Et tum ipſum & ad fac. Tertij liber. RES *meliores quaerit,* ¶ Iſocrates, ζητεῖν τὰ βέλτιω: Columella, Melioreſcere. *Res meliores:* incrementa diuitiarum, uel dignitatis. PROPENSIOR *benignitas* ¶ recte. nam haec uera cauſsa eſt largiendi, ut ſubueniatur neceſsitati. VT *altiorem gradum adſcendant,* ¶ ſic tredecim mei, & Tertij. Antea, Vt ad alt. gr. adſc. RESTRICTI *omnino* ¶ τὸ Omnino non eſt in decem meis. BENEFACTA, *male locata, malefacta arbitror.* ¶ ſenarius iambicus Hinc Plautus:

Male meretur, qui mendico dat, quod edat:
Nam. & illud, quod dat, perit;
Et illi producit uitam ad miſeriam.

Vide Adagia, Beneficus trucidator. TEMERITATE *enim remota,* ¶ ſi non temere cuiuis datur, ſed idoneis tantum. GRATISSIMA ¶ ijs etiam, qui nihil acceperunt. STVDIOSIVS *laudant,* ¶ tum ex officio, (nam recte facta incorruptus animus laudare non poteſt) tum ad excitandam, & augendam diuitum liberalitatem, in qua ſibi quoque praeſidij aliquid repoſitum eſſe ſperant. SVMMI *cuiusque bonitas* ¶ Ouidius:

Regia (crede mihi) res eſt, ſuccurrere lapſis.

CICERO

DANDA *igitur opera est, ut hos beneficijs quamplurimis afficiamus, quorum liberis, posterisq. prodatur memoria, ut his ingratis esse nō liceat. omnes enim immemorem beneficij oderunt; eamq. iniuriam in deterrenda liberalitate sibi etiam fieri, eumque, qui faciat, cōmunem hostem tenuiorum putant. Atque haec benignitas etiam reip. utilis est, redimi e seruitute captos, locupletari tenuiores: quod quidem uulgo solitum fieri ab ordine nostro, in oratione Crassi scriptum copiose uidemus. hanc ergo consuetudinem benignitatis largitioni munerum antepono. haec est grauium hominum, atque magnorum, illa quasi assentatorum populi, multitudinis leuitatem uoluptate quasi titillantium. Conueniet autem tum in dando munificum esse, tum in exigendo non acerbum; in omniq. re contrahenda, uendendo, emendo, conducendo, locando, in uicinitatibus, & confinijs aequum, & facilem, multa multis de iure suo concedentem; a litibus uero, quantum liceat, & nescio an paullo plus etiam, quam liceat, abhorrentem. est enim non modo liberale, paullum nonnumquam de suo iure decedere, sed interdum etiam fructuosum. Habenda autem est ratio rei familiaris; quam quidem dilabi sinere, flagitiosum est; sed ita, ut illiberalitatis, auaritiaeq. absit suspicio. posse enim liberalitate uti, nen spoliantem se patrimonio, nimirum est pecu*

niae fructus maximus. Recte etiam a Theophrasto est laudata hospitalitas. est enim, ut mihi uidetur, ualde decorum, patere domos hominum illustrium illustribus hospitibus: idq. etiam reip. est ornamento, homines externos hoc liberalitatis genere in urbe nostra non egere. est etiam uehementer utile ijs, qui honeste posse multa uolunt, per hospites apud externos populos ualere opibus, & gratia. Theophrastus quidem scribit, Cimonem Athenis etiam in suos curiales Laciadas hospitalem fuisse; ita enim instituisse, & illicis imperasse, ut omnia praeberentur, quicumque Laciades in uillam suam diuertisset. Quae autem opera, non largitione, beneficia dãtur; haec tum in uniuersam remp. tum in singulos ciues conferuntur. nam in iure cauere, consilio iuuare, atque hoc scientiae genere prodesse quamplurimis, uehementer & ad opes augendas pertinet, & ad gratiam. itaque, cum multa praeclara maiorum, tum quamoptime constituti iuris ciuilis summo semper in honore fuit cognitio, atque interpretatio: quam quidem ante hanc confusionem temporum in possessione sua principes retinuerunt: nunc, ut honores, ut omnis dignitatis gradus, sic huius scientiae splendor deletus est: idq. eo indignius, quod eo tempore hoc contigit, cum is esset, qui omnes superiores, quibus honore par esset, scientia facile uicisset. haec igitur opera grata multis, & ad beneficijs adstringendos homines accommodata.

EXPLANATIO

VT *hos beneficijs quamplurimis afficiamus*, ʒ quattuordecim mei, & Tertij, Vt his beneficijs quamplurimos afficiamus. QVORVM *liberis, posterisq. prodatur memoria*, ʒ ijdem libri, Quorum memoria liberis, posterisq. prodatur. Publij mimus:

Is beneficium dando accepit, qui dedit digno.

OMNES *enim immemorem beneficij oderunt* ʒ quod est naturae proprium. IN *deterrenda liberalitate* ʒ in deterrendis liberalibus, ne liberalitate utantur. Est autem minus usitata loquendi forma. Sunt qui reponunt, Deserenda, contra omnes ueteres libros. i. imminuenda. ut apud Horatium, Od. 6. lib. 1. Carm.

Culpa ingenij laudes alicuius deterere.

HOSTEM *tenuiorum* ʒ

Publij Mimus:

Ingratus unus miseris omnibus nocet.

REDIMI *e seruitute* ʒ ne uxores, & liberi egeant; ne desint, qui pugnent pro patria. CAPTOS, ʒ Captiuos, duo mei. LARGITIONI *munerum antepono*. ʒ Lambinus, Longe, addit; Largitioni munerum longe antepono; contra ueteres omnes libros. QVASI *titillantium*. ʒ ita commouentium, ut pruritus commoueri solet: in quo uoluptas quaedam est. IN *dando munificum* ʒ cum, quantum, & quibus dare decet. IN *uicinitatibus*, ʒ In, abest a tredecim meis, & Tertij. Quinque, Vicinatibus. Quattuor, & Tertij, Vicinãtibus. Vnus, Ciuitatibus. CONFINIIS ʒ praediorum. DE *iure suo concedentem*; ʒ Cedentem, decem mei, & Tertij. QVANTVM *liceat*, ʒ quantum rei domesticae ratio patiatur. ET *nescio, an paullo plus etiam, quam liceat*, ʒ & fortasse paullo plus etiam quam liceat; ideſt, uel cum aliqua rei familiaris iactura. NONNVMQVAM *de suo iure decedere*, ʒ quod nostrum est, atque ad nos proprie pertinet, de eo partem aliquam temporis causſa alteri concedere. Quod autem Cicero, Nonnumquam, Terentius, In loco, dixit in Adelph. act. 2. sc. 2. ad quem locum proculdubio Cicero respexit:

SY. Pecuniam in loco neglegere, maximum interdum est lucum. SA. hui,
SY. Metuisti, si nunc de tuo iure concessisses paullulum,
Atque adolescenti esses morigeratus, hominum homo stultissime,
Ne non tibi istuc feneraret? SA. ego spem pretio non emo.
SY. Numquam rem facies: abi: nescis mescare homines, Sannio.
SA. Credo istuc melius esse: uerum ego numquam adeo astutus fui.
Quin, quidquid possem, mallem auferre potius in praesentia.

DILABI *simere* ʒ consumi, dissipari. A. THEOPHRASTO ʒ in libro de diuitijs. ILLVSTRIBVS *hospitibus*: ʒ ord. praep. nouem mei, & Tertij. POSSE *multa uolunt*, ʒ Multum, quinque, & Tertij. CIMONEM ʒ de cuius liberalitate Xenophon, Athenaeus, Plutarchus, qui Aristotelem, non Theophrastum, citat. CVRIALES ʒ quos Graeci φράτορας, tribules autem φυλέτας dicunt, ex Dionysij, Plutarchiq. sententia. LACIADAS ʒ a curia ita dictos. HOSPITALEM ʒ Cratinus comicus:

Κἀγὼ γὰρ εἰνύχου μητροβιος ὁ γραμματεὺς,
Σωὶ ἀνδρὶ θεσφιλῶ φιλοξενοτάτω,
Καὶ πάντ' ἀρίστων τῶν παρελλήνων πρώτῳ,
Κίμωνι λιπαρὸν γῆρας εὐχόμενος
Διῶνα πάντα σωδιατρίβειν.

QVAE *autem opera, non largitione beneficia dantur*; ʒ operam largitioni iam antepositum. uide Aristotelem lib. IV. Ethic. IN *iure cauere*, ʒ ne quid contra ius committatur: ne actionem male instituat, & causſa cadat: ne aduersarij calliditate circumueniatur. AD *opes augendas* ʒ non, ad diuitias, sed, ad gloriam. supra. Maxime autem & gloria paritur, & gratia defensionibus. TVM *quamoptime constituti iuris ciuilis* ʒ Tum quodoptime, liber Tertij. Tum quidem optime, tres. Tum q̃ʒ optimi, unus. decem. Tum q̃ʒ optime, PRINCIPES ʒ ciuitatis. OMNIS *dignitatis gradus*, ʒ Omnes, octo, & Tertij. Dignitates,

gnitates, unus,& Tertij. SPLENDOR *deletus est*: ℈ quod silent leges inter arma: &, ut Isocrates ait ἰσχυρότατος νόμος est ὁ τρόπος τοῦ τυράννου. CVM *is esset*, ℈ Ser. Sulpicium laudat. OMNES *superiores* ℈ etiam Scaeuolam pont. max. ut in Bruto,& Phil. IX.

CICERO

ATQVE *huic arti finitima est dicendi grauior facultas,& gratior,& ornatior. quid enim eloquentia laudabilius, praestabilius, uel admiratione audientium,uel spe indigentium,uel eorum,qui defensi sunt,gratia? huic quoque ergo a maioribus nostris est in toga dignitatis principatus datus. diserti igitur hominis,& facile laborantis, quodq. in patrijs est moribus, multorum caussas & non grauate,& gratuito defendentis, beneficia,& patrocinia late patent. Admonebat me res, ut hoc quoque loco intermissionem eloquentiae, ne dicam interitum, deploarem, nisi uererer, ne de me ipso aliquid uiderer queri. sed tamen uidemus, quibus exstinctis oratoribus, quam in paucis spes, quam in paucioribus facultas, quam in multis sit audacia. cum autem omnes non possint,ne multi quidem, aut iuris periti esse,aut diserti; licet tamen opera prodesse multis, beneficia petentem, commendantem iudicibus,& magistratibus,uigilantem pro re alterius, eos ipsos, qui aut consuluntur, aut defendunt, rogantem: quod qui faciunt, plurimum gratiae consequuntur; latissimeq. eorum manat industria. tam,illud non sunt admonendi, (est enim in promptu) ut animaduertant, cum alios iuuare uelint, ne quos offendant. saepe enim aut eos laedunt, quos non debent; aut eos, quos non expedit: si imprudentes, negligentiae est; si scientes, temeritatis. Vtendum etiam est excusatione aduersus eos, quos inuitos offendas, quacumque possis, quare id, quod feceris, necesse fuerit, nec aliter facere potueris: certisq. operis,& officijs erit, quod uiolatum est, compensandum. Sed, cum in hominibus iuuandis aut mores spectari, aut fortuna soleat: dictu quidem est procliue; itaq. uulgo loquuntur, sese in beneficijs collocandis mores hominum, non fortunam, sequi: honesta oratio est: sed, quis est tandem, qui inopis,& optimi uiri caussae non anteponat in opera danda gratiam fortunati,& potentis? a quo enim expeditior,& celerior remuneratio fore uidetur, in eum fere est uoluntas nostra propensior. sed animaduertendum est diligentius, quae natura rerum sit. nimirum enim inops ille, si bonus est uir, etiam si referre gratiam non potest, habere certe potest. Commode autem, quicumque dixit: Pecuniam qui habeat, non reddidisse;& qui reddiderit, non habere; gratiam autem,& qui reddiderit, habere;& qui habeat, retulisse. At, qui se locupletes, honoratos, beatos putant, bi ne obligari quidem beneficio uolunt: quin etiam beneficium se dedisse arbitrantur, cum ipsi quamuis aliquod magnum acceperint: aeque etiam a se aut postulari, aut exspectari aliquid suspicantur. patrocinio uero se usos, aut clientes appellari, mortis instar putant. At uero ille tenuis, cum quid factū sit, sese spectatū, non fortunā, putans, nō modo illi, qui est meritus, sed etiā illis, a quibus exspectat, (eget enim multis) gratū se uideri, studet: neque uero uerbis auget suū munus, si quo forte fungitur, sed etiam extenuat.*

EXPLANATIO

FINITIMA *est* ℈ similima: quia prodest utraque quamplurimis. DICENDI *grauior facultas,& gratior,& ornatior*. ℈ & grauior,& gratior,& ornatior facultate iuris ciuilis: grauior, quia plus ingenij postulat; gratior, quia ciuibus salutem dat; ornatior, quia Latini sermonis elegantia,copia,splendore delectat. in oratione quoque pro Murena eloquentiam anteponit iurisprudentiae. LAVDABILIVS, *& praestabilius*, ℈ quinque,& Tertij, non habent, Laudabilius & Vndecim, Laudabilius, praestabilius. IN *toga dignitatis principatus datus*. ℈ nam in sago, hoc est bellicis temporibus,

Spernitur orator bonus, horridu' miles amatur.

Et pro Murena primae rei militari, secundae eloquentiae, tertiae uix iurisprudentiae tribuuntur. In tota dignitatis pr. d. Tertij liber. Quattuordecim, In tota dignitate pr.d. Vt sit: Cum multa sint, quae dignitatem pariant; inter ea tamen tenere principatum eloquentiam, maioribus nostris placuit. DISERTI *igitur hominis*, ℈ Disertum hic usurpat pro eloquente. alibi distinguuntur, ut in Oratore, dicente M. Antonio, disertos se uidisse multos, eloquentem uero neminem. FACILE *laborantis*, ℈ φιλοπόνου, laborum tolerantissimi: qui labores,& modestias non reformidet, sed otio,& quieti anteponat. *Facile:* pro, libenter: ut ad Coelium: Quod in maritimis facillime sum. NON *grauate*, ℈ ne multis, & ambitiosis precibus,& pollicitationibus sit opus: quod ait Isocrates, τὰς χάριτας ἀχαρίστως χαρίζεσθαι. GRATVITO ℈ gratis. Plutarchus in Cic. & in Parad. obijcit Crasso, quod in patrocinijs paciscereturr. *Gratuito:* quod seruatum ab omnibus non est. ideo C. Cincius legem tulit de donis,& muneribus, de qua lib. II. de Orat. & Tacitus lib. XIII. Eius, inquit, opprimendi gratia repetitum uidebatur S. C. pocnaq. Cinciae legis aduersus eos, qui pretio caussas orauissent. LATE *patent*. ℈ unde oritur, multis defensis, multorū amor: quia plurimi sunt, quibus patrocinio, & defensione sit opus: INTERMISSIONEM *eloquentiae*, ℈ propter bella ciuilia: de quibus subiungit, Quibus exstinctis oratoribus. DE *me ipso* ℈ qui stante rep. regnare uidebar in caussis. QVIBVS *exstinctis oratoribus*, ℈ ex partibus Pompeij. QVAM *in paucis spes*, ℈ de adolescentibus loquitur: cum uero subiungit, Quam in paucioribus facultas, de uiris. QVAM *in paucioribus facultas*, ℈ Quanto, est in undecim meis,& Tertij. COMMENDANTEM ℈ Commendare quattuor mei. VIGILANTEM ℈ Vigilare, tres. Vigilantibus, unus. ROGANTEM: ℈ Rogare, unus. Rogando, unus. QVI *aut consulunt, aut defendunt*, ℈ cum iurisconsultos, & oratores perspicue designet: (iam enim dixit, Cum omnes non possunt iurisperiti esse, aut diserti) libentius legerem, Consuluntur. quo modo est in uno meo, & Tertij. consulunt enim ij, qui de re controuersa formu-

Iam, normamque,& uiam litigandi a iurisconsultis petunt: consuluntur uero iurisconsulti, qui dicuntur de iure consulentibus respondere. NON *sunt admonendi*, § artificiose.quod enim omittere se uelle significat, id tamen facit. (EST *enim in promptu*) § patet per se, est apertum, satis notum. nam, quis ignorat,alios ita iuuari oportere,ne quem offendamus,& in alieno beneficio nobis ipsi damnum comparemus? ALIOS *iuuare* § ord. praep. nouem mei,& Tertij. CERTIS Q. *operis*, § cum aliquid eo praecipue nomine faciendum tibi statuas, ut compensetur quod uiolatum est. QVOD *uiolatum est*, § Id,quod uiolatum est, octo,& Tertij. *Quod uiolatum est*: § dum alterum defenderes contra eum, quem inuitus offenderes. DICTV *quidem est procliue*, § facile: ut facile de procliuiore loco descenditur. SESE § Se, septem, & Tertij. HONESTA *oratio est*: § recte loquuntur: sed, quis est, qui, quod loquitur, id praestet? Sumptum ex Andria Terentij, act. I. sc. 3. NIMIRVM § inops potest esse gratus, animo, non re. COMMODE *autem*, § uide Agellium lib. I. cap. 4. PECVNIAM *qui habeat, non reddidisse*; § iocus,& festiuitas est in uerbis Habere,& Reddere: quae non similiter in pecunia,& gratia accipiuntur. Idem dixit in oratione post red. ad Quir. In officio persoluendo dissimilis est ratio,& pecunia debita: propterea quod pecuniam qui retinet,non dissoluit; qui reddidit,non habet:gratiam &, qui retulit, habet, &, qui habet,dissoluit. Et pro Plancio: Dissimilis est pecuniae debito, & gratiae. nam, qui pecuniam dissoluit,statim non habet id,quod reddidit; qui autem debet, is retinet alienum: gratiam autem &, qui refert, habet,&, qui habet,in eo ipso,quod habet, refert. BEATOS § omnium rerum copia circumfluentes. nam beatus est is, qui nulla re eget. HI *ne obligari quidem beneficio uolunt*: § tantum abest, ut gratiam referre uelint. Minographus:

Beneficium accipere, libertatem uendere est.

BENEFICIVM *se dedisse arbitrantur*, § hoc idem scribit ad Leptam,Fam.lib.VI.ep. 19. Praesertim qui nihil afferat praeter operam, in qua ille se dedisse beneficium putabit,si modo ipsum sciet,non accepisse. Et ad Att. lib.XIV. ad M. Antonium: Litterae tuae sic me affecerunt, ut non dare tibi beneficium uiderer, sed accipere a te ita petente. QVAMVIS *aliquod magnum* § Quamuis aliquid magnum,duo. Quamuis magnũ aliquid,tres. Quamuis magnum aliquod,quattuor,& Tertij. Aliquid quãuis magnum,duo. Magnũ quamuis aliquid,duo. Quamuis magnum aliqd, unus. AEQVE § Atque, sexmei, & Tertij. MORTIS *instar* § Sic Fam. lib. VI. ep. 9. Hos tuos Tusculanenses dies instar esse uitae puto. In Pisonem: Vnus ille dies mihi quidem immortalitatis instar fuit, quo in patriam redij. Et Virg. lib. Aen. II. Instar montis equum. CVM *quid factum sit*, § Quidquid, septem, & Tertij. PVTANS, § Putat, est in quattuordecim meis,& Tertij. NEQVE *uero* § Enim,pro,Vero,est in quattuor meis. SI *quo forte fungitur*, § erga eum, qui meritus est, EXTENVAT. § quo maiorem gratiae referendae uoluntatem ostendit.

CICERO

VIDENDVMQ. *illud item,quod si opulentum, fortunatumq. defenderis, in illo uno, aut forte in liberis eius maneat gratia; sin autem inopem,probum tamen,& modestum,omnes non improbi humiles, quae magna in populo multitudo est, praesidium sibi paratum uident. quamobrem melius apud bonos, quam apud fortunatos, beneficium collocari puto. danda omnino opera est,ut omni generi satisfacere possimus: sed, si res in contentionem ueniet,nimirum Themistocles est auctor adhibendus: qui,cum consuleretur, utrum bono uiro pauperi, an minus probato diuiti filiam collocaret; Ego, inquit, malo uirum,qui pecunia egeat,quam pecuniam, quae uiro: sed corrupti mores, deprauatiq. sunt admiratione diuitiarum, quarum magnitudo quid ad unumquemque nostrum pertinet? illum fortasse adiuuat, qui habet: ne id quidem semper: sed fac iuuare: potentior sane sit, honestior uero quo modo? quod si etiam bonus erit uir;ne impediant diuitiae, quo minus iuuetur; modo ne adiuuent; sitq. omne iudicium, non quam locuples, sed qualis quisque sit. Extremum autem praeceptum in beneficijs, operaq. danda est, ne quid contra aequitatem contendas, ne quid per iniuriam, fundamentum enim perpetuae commendationis, & famae est iustitia: sine qua nihil potest esse laudabile. Sed, quoniam de eo genere beneficiorum dictum est, quae ad singulos spectant: deinceps de ijs, quae ad uniuersos, quaeq. ad remp. pertinent, disputandum est. Eorum autem ipsorum partim eiusmodi sunt, ut ad uniuersos ciues pertineant, partim, singulos ut attingant; quae sunt etiam gratiora. danda est opera omnino, si possit, utrisque, nec minus ut etiam singulis consulatur; sed ita,ut ea res aut prosit,aut certe ne obsit reip. C. Gracchi frumentaria magna largitio fuit; exhauriebat igitur aerarium: modica M. Octauij, & reip. tolerabilis, & plebi necessaria; ergo & ciuibus, & reip. salutaris. In primis autem uidendum erit ei, qui remp. administrabit, ut suum quisque teneat, neque de bonis priuatorum publice deminutio fiat. perniciose enim Philippus in tribunatu, cum legem agrariam ferret; quam tamen antiquari facile passus est, & in eo uehementer se moderatum praebuit: sed cum in agendo multa populariter, tum illud male; non esse in ciuitate duo millia hominum, qui rem haberent. capitalis omnino oratio est, ad aequationem bonorum pertinens; qua peste quae potest esse maior? hanc enim ob causam maxime, ut sua tenerentur, resp. ciuitatesq. constitutae sunt. nam, etsi duce natura congregabantur homines; tamen, spe custodiae rerum suarum, urbium praesidia quaerebant. Danda etiam opera est, ne, quod apud maiores nostros saepe fiebat, propter aerarij tenuitatem, assiduitatemq. bellorum, tributum sit conferendum: idq. ne eueniat, multo ante erit prouidendum. sin qua necessitas huius muneris alicui reip. obuenerit: (malo enim, quam nostrae, ominari: neque tamen de nostra, sed de omni rep. disputo) danda erit opera, ut omnes intelligant, si salui esse uelint, necessitati esse parendum.*

dum. Atque etiam omnes, qui remp. gubernabunt, consulere debebunt, ut earum rerum copia sit, quae sunt necessariae. quarum qualis comparatio fieri soleat, & debeat, non est necesse disputare. est enim in promptu. tamen locus attingendus fuit.

EXPLANATIO

VIDENDVMQ. *illud item, quod, si opul.* ʒ duodecim mei, & Tertij, Videndumq. illud est, quod, si opul. Vnus, pro Illud, Id. Alius, ord. praep. Vid. q. est illud: *Quod*: sic locutus ep. ult. lib. IX. ad Att. & ep. 28. lib. VII. Fam. Quibus locis uide Paulli patris Commentaria. IN *illo uno, aut forte in liberis eius maneat gratia*; ʒ septem mei, & Tertij, ord. praep. In uno illo. Quattuor, Aut in liberis forte. Vndecim, & Tertij, Manet. Duo, Remanet. SI *res in contentionem ueniet*, ʒ si quaeramus, diuitiae ne sint probitati praeferendae, an contra. Vel: si forte usuueniat, ut uel diuiti, uel inopi, uiro tamen bono, sit inferuiendum. THEMISTOCLES ʒ hoc idem Val. Max. lib. VII. cap. 2. de sapienter dictis, & factis. Plutarchus autem in uita, & Apophthegm. hoc Themistoclem respondisse ait filiae suae petitoribus. AN *minus probato* ʒ Aut, septem mei. EGO, *inquit, malo uirum*, ʒ Ego uero, inquit, malo uirum, tredecim mei, & Tertij. Industriam, & uirtutem sine diuitijs malo, quam diuitias sine uirtute, & industria. Plutarchus. QVI *pecunia egeat*, ʒ Isocrates: Τοῖς ἀγαθοῖς ἔστι ἐγγενόμενα ἐν τῇ ψυχῇ, τούτοις κτεώμεθα καὶ τὰς ὠφελείας, ὧν δεόμενοι τυγχάνομεν. hoc est: Virtute, atque industria, necessaria uitae industriae comparantur. PECVNIAM, *quae uiro:* ʒ cui, ut ait Horatius, diuitias quidem dederint, artem fruendi non dederint. CORRVPTI *mores, deprauatiq. sunt admiratione diuitiarum*. ʒ nam, ut ait Demosthenes, δεῖ χρημάτων ad uitae sustentationem. NE *id quidem semper*: ʒ obest enim interdum: nec possunt semper omnia, quae uolunt, diuites consequi. HONESTIOR *uero quo modo?* ʒ dignitatem enim diuitiarum magnitudo non parit. NE *impediant* ʒ ne beneficium in illum ideo non conferamus, quia diuitijs abundet: si modo uir bonus est: sed rursus eaedem diuitiae ne adiuuent, idest, ne nos ad beneficium tribuendum magis, quam conuenit, adducant. MODO *ne adiuuent*; ʒ nihil afferant diuitiae, quo uir bonus iuuetur magis. QVALIS ʒ probitate, & moribus. FVNDAMENTVM *enim perpetuae commendationis, & famae est iustitia:* ʒ nouem mei, & Tertij, Fundamentum enim est perp. comm. & fam. iust. Tres, ord. praep Fund. est enim &c. Vnus, Fundamentum est perp. comm. & fam. iust. Vnus pro Enim, habet Vero. SINE *qua nihil potest esse laudabile*. ʒ nam iustitia omnes uirtutes complectitur. QVAE *ad singulos spectant*: ʒ idest, quae depromuntur e cuiusque re familiari: non, quae in priuatos homines conferuntur. QVAE *ad uniuersos*, ʒ cum magistratus, qui totius populi personam sustinent, aliquid ex aerario depromunt. EORVM *autem ipsorum partim eiusmodi sunt*, ʒ pro, Alia eiusmodi sunt. usitato genere loquendi. VT *ad uniuersos ciues pertineant*, ʒ ut cum augetur resp. imperio, agris, uectigalibus. SINGVLOS *ut attingant*; ʒ ut singulos priuatim iuuent: quo ex genere frumentaria largitio est. C. GRACCHI ʒ tribuni pl. qui legem frumentariam tulit. Plutarchus, & in oratione pro Sextio, his uerbis: Frumentariam legem C. Gracchus ferebat: iucunda res plebi Romanae: uictus enim suppeditabatur large sine labore: repugnabat boni, quod & ab industria plebem ad desidiam auocari putabant, & aerarium exhauriri uidebatur. Vnus meus, Ti. Gracchi. LARGITIO *fuit*; ʒ Fuit, non est in nouem meis, & Tertij. EXHAVRIEBAT *igitur* ʒ Igitur, non est in duobus meis. AERARIVM ʒ ad usum reip. necessario constitutum: sine quo resp. stare non potest. Octauij autem modica largitio, quia non exhauriebat aerarium, reip. salutaris. M. OCTAVII, ʒ collegae Ti. Gracchi in tribunatu. Plutarchus, eptime Liuiana, & alij. REIP. *salutaris*. ʒ non exitiosa, ut illa C. Gracchi, quae exhauriebat aerarium. NEQVE *de bonis priuatorum publice deminutio fiat*. ʒ *Publice*: lege. quod Ti. Gracchus, agraria lege promulgata, conatus est. aequari autem possessiones sine magna multorum iniuria non possunt. inde seditio, inde caedes, inde summum reip. discrimen. propterea subiungitur: Capitalis omnino oratio est ad aequationem bonorum pertinens. *Neque*: Ne, unus. Non, unus. Nec, tres. LEGEM *agrariam* ʒ de publicis agris populo diuidendis. ANTIQVARI ʒ suffragijs improbari. antiquatur enim lex, cum a populo reijcitur, ne feratur: abrogatur autem iam lata, ne in posterum ualeat. De Legibus: Vos legem antiquastis sine tabula. Ad Att. Populum, ut rogationem antiquaret, rogabant. MVLTA *populariter*, ʒ dixit Philippus, quae plebi grata essent, optimatibus, & locupletibus inuisa. QVI *rem haberent*. ʒ qui de suo uiuerent: quibus ad uictum necessaria suppeterent. Sic Terentius, Ad rem attentiorem esse, Rem facere; Cicero, Rem augere. CAPITALIS *omnino oratio est ad aequ.* ʒ τὸ, Omnino, non est in quattuordecim meis, & Tertij. TENERENTVR, ʒ Tuerentur, quattuor mei. QVOD *apud maiores nostros saepe fiebat*, ʒ ante Paulli Aemilij Macedonicam uictoriam. nam is, ut ait Plinius lib. XXXIII. cap. 3. & hic Cicero subiungit, tantum intulit in aerarium, ut finem attulerit tributorum. nec tributum postea collatum est ante Pansae, & Hirtij consulatum: quo anno, rep. oppressa, Cicero est interemptus. SIN *qua necessitas* ʒ acerrimum telum. Sin quae nec. tres, & Tertij. (MALO *enim, quam nostrae, ominari*: ʒ inuiti enim ea dicimus, quae sunt mali ominis. Sic ex septem meis, & Tertij libro emendaui. & est elegantius, cum dixerit, Sin qua necessitas huius muneris alicui reip. obuenerit; subiungere, Malo enim, quam nostrae, ominario Quid enim attinet dicere, Malo enim alteri, (quod est in quattuor) quam nostrae; aut, Alij, (quod est in duobus) aut, Alienae, (quod est in uno) quam nostrae; cum dixerit, Alicui reip.? NEQVE *tamen de nostra, sed de omni rep. disputo*) ʒ Neque tantum, quattuor mei. Nʒ tñ, duo. τὸ Tantum, non est in uno, & Tertij. Tñ, septem. Tam, reponit Fuluius Vrsinus ex antiquo libro. *Neque tamen de nostra, sed*

de

de omni rep. disputo: talis est omnis disputatio. non enim hoc, aut illud examinat, sed in toto genere uersatur. supra: Mihi autem haec oratio suscepta non de te est, sed de genere toto. NECESSITATI *esse parendum*. ℈ soluendum tributum, necessario impositum. QVAE *sunt necessariae*. ℈ quae ad uictum, ad habitationem, ad uestitum pertinent. uide Platonem de Rep. lib. 2. EST *enim in promptu*. ℈ satis patet. TAMEN *locus attingendus fuit*. ℈ Tantum, decem, & Tertij.

CICERO

CAPVT *autem est in omni procuratione negotij, & muneris publici, ut auaritiae pellatur etiam minima suspicio. Vtinam, inquit C. Pontius Samnis, ad illa tempora fortuna me seruasset, & tunc essem natus, quando Romani dona accipere coepissent: non essem passus diutius eos imperare. Nae illi multa saecula exspectãda fuerunt. modo enim hoc malum in hanc remp. inuasit: itaque facile patior tunc potius Pontium fuisse; siquidem in illo tantum fuit roboris. Nondum centum, & decem anni sunt, cum de pecunijs repetundis a L. Pisone lata est lex, nulla antea cum fuisset. at uero postea tot leges, & proximae quaeque duriores; tot rei damnati; tantum Italicum bellum, propter iudiciorum metum, excitatum; tanta, sublatis legibus, & iudicijs, expilatio, direptioq. sociorum; ut imbecillitate aliorum, non nostra uirtute, ualeamus. Laudat Africanum Panaetius, quod fuerit abstinens. quid ni laudetur? sed in illo alia maiora: laus enim abstinentiae non hominis est solum, sed etiam temporum illorum. Omni Macedonum gaza, quae fuit maxima, potitus est Paullus: tantum in aerarium pecuniae inuexit, ut unius imperatoris praeda finem attulerit tributorum. at hic nihil in domum suam intulit, praeter memoriam nominis sempiternam. Imitatus patrem Africanus, nihilo locupletior Carthagine euersa. Quid, qui eius collega in censura fuit, L. Mummius? numquid copiosior, cum copiosissimam urbem funditus stultisset? Italiam ornare, quam domum suam, maluit. quamquam, Italia ornata, domus ipsa mihi uidetur ornatior. Nullum igitur uitium est taetrius, (ut eo, unde egressa est, referat se oratio) quam auaritia, praesertim in principibus, & remp. gubernantibus. habere enim quaestui remp. non modo turpe est, sed sceleratum etiã, & nefarium. itaque, quod Apollo Pythius oraculo edidit, Spartam nulla re alia, nisi auaritia, esse perituram, is uidetur non solum Lacedaemonijs, sed ẽt omnibus opulentis populis praedixisse. Nulla autem re conciliare facilius beneuolentiam multitudinis possunt ij, qui reip. praesunt, quam abstinentia, & continentia. qui uero esse populares uolunt, ob eamq. causam aut agrariam rem tentant, ut possessores suis sedibus pellantur, aut pecunias creditas debitoribus condonandas putant; labefactant fundamenta reip. cõcordiam primum tollunt, quae esse non potest, cum alijs adimuntur, alijs condonantur pecuniae; deinde aequitatem, quae tollitur omnis, si habere suum cuique non licet. id enim est proprium, ut supra dixi, ciuitatis, atque urbis, ut sit libera, et non sollicita suae rei cuiusque custodia.*

EXPLANATIO

C. PONTIVS *Samnis*, ℈ Samnitium aduersus Romanos tum imperator, cum turpissimas Caudinae pacis condiciones acceperunt, a quibus tandem & ipse sub iugum missus ad' Luceriam, anno ab v. c. CDXXXIII. Vide Liuium lib. IX. AD *illa tempora fortuna me seruasset*, ℈ Me fortuna reseruauisset, unus, & Tertij. Reseruasset, septem. Me fortuna seruasset, quinque. Vnus, Ad illa tempora fortuna reseruasset. TVNC *esse natus*, ℈ Tum, duodecim, & Tertij. DONA *accipere* ℈ hinc Iugurthae uox, apud Sallustium: O urbem uenalem, si emptorem inuenerit. MVLTA *saecula* ℈ Faciundum mihi puto, ut hoc loco M. Antonij Mureti integrum caput describam, quod ad huius loci intelligentiam praeclare admodum facit. est autem in Variarum lectionum libris, octauum libri X.

Dubitant eruditi homines, quo modo accipiendum sit, quod ait Cicero lib. II. de Officijs, Multa saecula exspectanda fuisse C. Pontio Samniti, si a fortuna reseruatus esset ad id tempus, quo Romani dona accipere coeperunt. bellauit enim cum Romanis Pontius ab v. c. CDXXXII. lex autem Calpurnia de pecunijs repetundis lata est anno DCIV. ut, si Saeculum sit centum annorum, quo modo accipiendum & Grammatici ueteres docent, & ludorum saecularium appellatio confirmat, non tota duo saecula ei exspectanda fuerint. Sed certe Saeculum interdum est γενεὰ: ut ostendit & Naeuius, qui Nestorem, ut est apud Agellium, trisaecli senem uocauit, ex illis uidelicet Homeri uersibus:

Τῷ δ' ἤδη δύο μὲν γενεαὶ μερόπων ἀνθρώπων,
Ἐφθίαθ', οἳ οἱ πρόσθεν ἅμα τράφεν ἠδ' ἐγένοντο
Ἐν πύλῳ ἠγαθέῃ, μετὰ δὲ τριτάτοισιν ἄνασσεν.

Γενεὰ autem triginta annorum est. Itaque illi Homerici uersus ostendunt tantum, Nestorem, cum illa loqueretur, sexagenario maiorem fuisse: quamuis illic quoque γενεὰν pro centum annis accepisse etiam ueteres Latini poetae uidentur. Haec Muretus. TANTVM *fuit roboris*. ℈ ut efficere posset, ne Romani diutius imperarent: ut posset Romanum imperium pecunia largienda euertere. NONDVM *centum, & decem anni* ℈ Fuluius Vrsinus ex antiquo libro, Enim, addidit, sic: Nondum enim cent. &c. Vnus meus, Nondum uero cent. Alius, Nondum X. & C. anni. A *L. Pisone* ℈ tribuno pl. qui primus Frugi dictus est. LATA *est lex*, ℈ Censorino, & Manilio cos. AT *uero postea tot leges*, ℈ Caecilia, Seruilia, Atilia, Cornelia, Iulia. ITALICVM *bellum* ℈ sociale a scriptoribus dictum. Vide Florum. EXCITATVM; ℈ eorum opera, qui, ne repetundarum accusarentur, metuebant: ab ijs, qui sibi conscij suorum scelerum,

rum, quieta rep. iudicia metuebant. VT *imbecillitate aliorum, non nostra uirtute, ualeamus.* ℈ si adhuc imperamus, cum tamen illud malum, quod Pontius optabat, in remp. inuaserit, non uirtuti nostrae, sed aliorum imbecillitati, acceptum referre debemus. hostes enim eos non habemus, in quibus tantum sit roboris, quantum sibi Pontius habere uidebatur. Simile illud Isocratis in Symmachico: χρὴ τοὺς μικρὰ λογιζεσθαι δυναμένους, οὐκ ἐν τοῖς τῶν ἐχθρῶν ἁμαρτήμασι τὰς ἐλπίδας ἔχειν τῆς σωτηρίας, ἀλλ' ἐν τοῖς αὐτῶν πράγμασι, καὶ τὰς αὐτῶν διανοίαις. τὸ γὰρ διὰ τὴν ἐκείνων ἁμαθίαν συμβαῖνον ἡμῖν ἀγαθὸν, τυχὸν ἂν παύσαιτο, καὶ λάβοι μεταβολήν. τὸ δὲ δι' ἡμᾶς αὐτοὺς γιγνόμενον, βεβαίως ἂν ἔχοι, καὶ μᾶλλον παραμένειεν ἡμῖν. GAZA, ℈ Persae, Gazam, regiampecuniam uocant. Q. Curtius. Virgilius pro omni pretiosa supellectile dixit,

Troia gaza per undas.

QVAE *fuit maxima*, ℈ bis millies centies HS, ut ait Velleius, idest sexagies ter centena scutatorum millia: ut uulgo dicitur, milliones sex, & scutatorum trecenta millia. Valerius Antias, Millies ducenties, scripsit. quod Liuius parum putat. In Plinio lib. XXXIII. cap. 3. legitur, Pondo trium millium: quod mendosum esse constat. Vide Liuium lib. XLV. Plut. in uita, & Apophthegm. Valer. lib. IV. Appianum in Mithridatico, Orosium lib. IV. cap. 20. Eutropium lib. IV. cap. 3. Iustinum lib. XXXIII. Florum lib. 2. cap. 12. Quod autem fecit Paullus, idem antea fecerat Q. Tremulus, Anagnia capta. Plinius lib. XXXIV. cap. 6. cessabat enim tributum, cum esset in aerario pecunia; remouebatur, aerario exhausto. PAVLLVS: ℈ pater naturalis Africani minoris. TRIBVTORVM: ℈ ubi nouum bellum erat exortum, pecunia, qua gerendum esset, colligebatur; tributo cunctis ciuibus imposito. Liuius lib. V. NIHIL *in domum suam intulit*, ℈ penates suos nulla ex parte locupletiores fecit. Valerius. qui nec adspicere Macedonicam gazam uoluerit, totumq. negotium eius administrandae, & in aerarium referendae, quaestoribus commiserit. signum autē eius abstinentiae uel maximum fuit, quod moriens patrimonium uix XXXVII. millium myriadum, ut ait Plutarchus, reliquit: quae summa paullo maior est undecim scutatorum millibus. *Nihil in domum suam intulit*: τὸ, In, abest a septem meis, & Tertij. Vnus pro, Intulit, habet Attulit. PRAETER *memoriam* ℈ praeclare secum actum existimans, quod ex illa uictoria alij pecuniam, ipse gloriam reportasset. Valerius. AFRICANVS ℈ qui nihil in uita, nisi laudandum, aut fecit, aut dixit, ac sensit. Velleius. L. MVMMIVS. ℈ qui Corinthum deleuit, caput Achaeae gentis: unde Achaici cognomen est adeptus. ITALIAM *ornare* ℈ nihil enim ex ijs opibus, ornamentisque, quae praediues Corinthus habuit, in domum eius peruenit. Signa namque aerea, marmoreaque, & tabulas pictas, quibus Corinthum spoliauit, in triumpho tulit, totamq. ijs Italiam repleuit. Tamq. rudis ingenio fuit, (quod ait Velleius) ut, cum maximorum artificum perfectas manibus tabulas, ac statuas in Italiam portandas locaret, iuberet praedici conducentibus, si eas perdidissent, nouas eos reddituros. NVLLVM *igitur uitium est taetrius*, ℈ septem, & Tertij, ord. praep. Taetrius est. τὸ, Est, non est in tribus. Deterius est, unus. REMP. *gubernantibus*. ℈ Reip. gubernatoribus, Fuluius Vrsinus ex antiquo libro. Remp. administrantibus, unus meus. HABERE *enim quaestui remp.* ℈ ex reip. muneribus quaestum facere. In Verrem: Qui non intelligit istum sibi quaestui, praedaeq. habuisse, bona, fortuna, possessiones oratorum. Plautus, Poenulo:

Istic est thesaurus stultis in lingua situs,
Vt quaestum habeant male loqui melioribus.

TVRPE ℈ sordidum. SCELERATVM ℈ facinus publice contra ius in remp. admissum. ORACVLO ℈ Oraculum, quatuordecim mei. Oraclum, unus. Hoc autem Oraculum exstat in Aristophanis Scholijs: ὅτι ἀισχροκερδεῖς καὶ μικρολόγοι οἱ Λάκωνες, δῆλον ἐκ τοῦ χρησμοῦ ἃ φιλοχρηματία Σπάρταν ὀλεῖ, ἄλλο δὲ οὐδέν. Vide & Plutarchum. NVLLA *re alia, nisi auaritia, esse perituram*, ℈ sic duodecim mei. Duo, & Tertij, non habent τὸ, Alia. IS *uidetur* ℈ Idq. uidetur, unus. Id uidetur, sex, & Tertij. τὸ, Is, abest a septem. AGRARIAM *rem* ℈ diuisionem agrorum, ut duo Gracchi fratres. infra. AVT *pecunias creditas debitoribus condonandas putant*; ℈ lege de tabulis nouis. CONCORDIAM *primum tollunt*, ℈ Tollunt, non est in tredecim meis, & Tertij. VT *supra dixi*, ℈ in eo loco: Hanc ob caussam maxime, ut sua tenerentur, respublicae, ciuitatesq. constitutae sunt. CIVITATIS, *atque urbis*, ℈ Ciuitatis, multitudinis ciuium; Vrbis, quae ciuitati praesidium est. supra: Etsi duce natura congregabantur homines: tamen, spe custodiae rerum suarum, urbium praesidia quaerebant. CVIVSQVE, ℈ Cuique, duo mei.

CICERO

AT QVE *in hac pernicie reip. ne illam quidem consequuntur, quam putant, gratiam, nam, cui res erepta est, inimicus; cui data est, etiam dissimulat se accipere uoluisse; & maxime in pecunijs creditis occultat suum gaudium, ne uideatur non fuisse soluendo. at uero ille, qui accipit iniuriam, & meminit, & praeseferat dolorem suum. Nec, si plures sunt ij, quibus improbe datum est, quam illi, quibus iniuste ademptum est, iccirco plus etiam ualent. non enim numero haec iudicantur, sed pondere. quam autem habet aequitatem, ut agrum, multis annis, aut etiam saeculis ante possessum, qui nullum habuit, habeat; qui autem habuit, amittat? at, propter hoc iniuriae genus, Lacedaemonij Lysandrum Ephorum expulerunt, Agin regem, quod numquem antea apud eos acciderat, necauerunt. ex quo eo tempore tantae discordiae secutae sunt, ut tyranni exsisterent, & optimates exterminarentur, & praeclarissime constituta resp. dilaberetur. nec uero solum ipsa cecidit, sed etiam reliquam Graeciam euertit contagionibus malorum, quae, a Lacedaemonijs profecta manarunt latius. Quid? nostros Grae-*

chos,

chos, Ti. Gracchi, summi uiri, filios, Africani nepotes, non ne agrariae contentiones perdiderunt? At uero Aratus Sicyonius iure laudatur, qui, cum eius ciuitas quinquaginta annos a tyrannis teneretur, profectus Argis Sicyonem, clamdestino introitu urbe est potitus; cumq. tyrannum Nicoclem improuiso oppressisset, sexcentos exsules, qui fuerant eius ciuitatis locupletissimi, restituit, remq. pub. aduentu suo liberauit. sed, cum magnam animaduerteret in bonis, & possessionibus difficultatem; quod & eos, quos & ipse restituerat, quorum bona alij possederant, egere iniquissimum arbitrabatur; &, quinquaginta annorum possessiones mouere, non nimis aequum putabat; propterea quod tam longo spatio multa hereditatibus, multa emptionibus, multa dotibus detinebantur: sine iniuria, iudicauit, neque illis adimi, neque his non satisfieri, quorum illa fuerant, oportere. cum igitur statuisset, opus esse ad eam rem constituendam pecunia, Alexandriam se proficisci uelle dixit, remq. integram ad reditum suum iussit esse: isq. celeriter ad Ptolemaeum, suum hospitem, uenit, qui tum regnabat alter post Alexandriam conditam: cui cum exposuisset, patriam se liberare uelle, caussamq. docuisset; a rege opulento uir summus facile impetrauit, ut grandi pecunia adiuuaretur: quam cum in Sicyonem attulisset, adhibuit sibi in consilium quindecim principes, cum quibus caussas cognouit & eorum, qui aliena detinebant, & eorum, qui sua amiserant; praefecitq. aestimandis possessionibus, &, uti persuaderent alijs, ut pecuniam accipere mallent, & possessionibus cederent; alijs, ut commodius putarent, numerari sibi quod tanti esset, quam suum recuperare. ita perfectum est, ut omnes, concordia constituta, sine querella discederent. O uirum magnum, dignumque, qui in nostra rep. natus esset. sic par est agere cum ciuibus, non, ut bis iam uidimus, hastam in foro ponere, & bona ciuium uoci subijcere praeconis. at ille Graecus, id quod fuit sapientis, & praestantis uiri, omnibus consulendum putauit: eaq. est summa ratio, & sapientia summi ciuis, commoda ciuium defendere, non diuellere, atque omnes aequirate eadem continere. Habitant gratis in alieno. Quid ita? ut, cum ego emerim, aedificauerim, tuear, impendam, tu me inuito fruare meo? quid est aliud, alijs sua eripere, alijs dare aliena? Tabulae uero nouae quid habent argumenti, nisi ut emas mea pecunia fundum, & eum tu habeas, ego non habeam pecuniam? Quamobrem, ne sit aes alienum, quod reip. nocear, prouidendum est: quod multis rationibus caueri potest: non, si fuerit, ut locupletes suum perdant, debitores lucrentur alienum. nec enim ulla res uehementius remp. continet, quam fides, quae esse nulla potest, nisi erit necessario solutio rerum creditarum. numquam enim uehementius actum est, quam me consule, ne solueretur: armis, & castris tentata res est ab omni genere hominum, & ordine. quibus ita restiti, ut hoc tantum malum de rep. tolleretur. numquam nec maius aes alienum fuit; nec melius, nec facilius dissolutum est. fraudandi enim spe sublata, soluendi necessitas consecuta est. At uero hic noster uictor, tunc quidem uictus, quae cogitarat, ea perfecit, cum eius iam nihil interesset. tanta in eo peccandi libido fuit, ut hoc ipsum eum delectaret, peccare, etiam si caussa non esset.

EXPLANATIO

CVI *res erepta est, inimicus*; § Cui res erepta est, est inimicus, quinque, & Tertij. Duo, Inimicus est. IN *pecunijs creditis* § condonatis. OCCVLTAT *suum gaudium*, § in sinu gaudet. NE *uideatur non fuisse soluendo*. § obaerati enim, cultus splendorem in fraudem creditorum simulantes, hominum de se opinioni offundunt. AT *propter hoc iniuriae genus* § Ac, duo mei. Ciofanus testatur, se a Mureto accepisse, delendam esse particulam At, quae sententiam corrumperet. LYSANDRVM § praeclarum ducem, optimeq. de rep. meritum. AGIM *regem*, § de quo Plutarchus. EX *quo eo tempore* § Ex eo tempore, unus. At eoq. tempore, unus. Exq. eo tempore, Tertij liber. quod placet. VT *tyranni exsisterent*, § Vt & tyranni exs. sex, & Tertij. PRAECLARISSIME *constituta* § Lycurgi legibus. MALORVM, § quae nata sunt propter auaritiam. supra: Apollo Pythius oraculo edidit, Spartam nulla re alia, nisi auaritia, esse perituram. PROFECTA § sic duo mei. recte. Profecte, decem. Profectae, Tertij. Profecto, duo. MANARVNT *latius*. § sic Fam. lib. XII. ep. I. Manabat illud malum urbanum. AFRICANI § maioris: cuius ex filia Cornelia Ti. Gracchus duos filios suscepit, Tiberium, & Caium. ARATVS *Scymius*, § cuius uitam Plutarchus literis mandauit. A *tyrannis* § Abantida Pasei filio, Paseo patre, Nicocle. VRBE *est potitus*; § sic omnes mei, & Tertij. Sunt, qui, Vrbem, reponant. ueteres libri aduersantur. NICOCLEM § Put. in Arabo. Alij, Methodeum, ex antiquis libris, & ex Polybio. Impressi, Metoclem. Duo scripti, Modoclem. quorum unus, in ora, Vel Methodem. Vnus, Methoclem. Vnus, Modocheni. Vnus, Michoclem. Vnus, Methodem. Vnus, Metrodem. Vnus, Midoclem. Vnus, Modoclem. Vnus, Nicodem. Vnus, Sitõe3. Vnus, Metẽdẽ. Duo, Nicoclem. Tertij, Niecoclem. IMPROVISO *oppressisset*, § sine ciuili sanguine. SEXCENTOS *exsules*, § octoginta a Nicocle, haud pauciores quingentis a superioribus. QVOS *& ipse rest.* § Et, non est in septem, & Tertij. DETINEBANTVR; § Tenebantur, septem, & Tertij. REM *integram* § Plinius ad Traianum: Rem integram distuli. Integrum reseruare, Cic. Fam. lib. I. In integro res, uel caussa, Terentius. In integrum restituere, Iuri consulti. In integro res est, in Verrem, & ad Att. PTOLEMAEVM, § Philadelphum. Ptolemaei, Aegypti reges, omnes dicti, ut Caesares, & Augusti. Imperatores; Graecorum, αὐτοκράτορες; Cecropidae, Atheniensium; Tigranes, Assyriorum; Phraartes, Medorum; Sannacherib, Philistinorum. SVVM *hospitem*, § quem signis, & tabulis ex Graecia sibi deuinxit. Plutarchus. QVI *tum regnabat alter post Alexandriam conditam*: § eius filius, qui, cum Alexandro militauit. CVI *cum exposuisset*, § Qui, septem, & Tertij. GRANDI *pecunia* § centum quinquaginta talentis. Plutarchus. CVM *in Sicyonem* § τὸ, In, non est in tribus, & Tertij. QVINDECIM *principes* § sic Plutarchus.

chus. DETINEBANT, ℈ Tenebant, octo. PRAEFECITQ. ℈ Perfecitque, Tertij liber. ET *uti persuaderent aliis*, ℈ τὸ Et, non est in septem. VT, pro, Vti, est in tredecim & Tertij. VT *bis iam uidimus*, ℈ primum Sulla, deinde Caesare dominantibus. SAPIENTIA *summi ciuis*. ℈ Boni, est in nouem, & Tertij. DEFENDERE, ℈ abest ab uno meo, & Tertij. QVID *est aliud, aliis &c.* ℈ In octo mei, & Tertij. Quid est aliud, nisi alijs, unus. Quid est aliud, quam alijs, quinque. LAEVLAE *nouae* ℈ debitam pecuniam largientes. VT *emas mea pecunia fundum*, ℈ uel cum fenore sumpta, uel, ut interdum amicitiae gratia fit, sine fenore. ET *cum tu habeas*, ℈ Et, non est in decem, & Tertij. EGO *non habeam pecuniam?* ℈ quia licet tibi non soluere per tabulas nouas. AES *alienum*, ℈ priuatorum ciuium. REIP. *noceat*, ℈ ob eorum seditiones, qui obaerati sunt, & nouas tabulas, leges agrarias, proscriptiones, coniurationes expetunt. NON, *si fuerit*, ℈ sic quattuor mei, & Tertij. SI non fuerit, tres. Si non hoc fuerit, duo. FIDES; ℈ quam Iustinae fundamentum dixit lib. I. NVMQVAM *enim uehementius* ℈ τὸ Enim, non est in undecim, & Tertij. TENTATA *res est* ℈ Catilina duce. ORDINE. ℈ ne uideretur de humilibus tantum loqui, addidit, Ordine: quia nobilius est Ordo, quam Genus, ep. 9. lib. I. Fam. Conctis hominibus, ordinibusq. incumbentibus. Et ep. X. lib. III. & Coelius ep. 17. lib. IIX. & oratione I. pro Cornelio. VT *hoc tantum malum de rep. tolleretur*. ℈ Totum, pro, Tantum, est in tribus, & Tertij. FRAVDANDI *enim spe sublata*, ℈ sperauerant debitores, si resp. mutaretur, se nihil solituros. eam spem sustulit uirtus, & uigilantia Ciceronis. HIC *noster uictor*, ℈ Caesar. TVNC *quidem uictus*, ℈ interfectus a Bruto, Cassio, alijs. Sic quinque. Tum, sex, & Tertij. Nunc, tres. quod etiam erat in impressis. *Tunc quidem uictus*: me scilicet consule: quia Catilina propter aeris alieni magnitudinem consentiens, perficere non potuit, obsistente me, quod cogitabat, debitores ut creditoribus nihil soluerent: & cum ea simul uictus Caesar, omnesq. idem cogitantes uidentur. Suet. & Plut. de Caesaris aeris alieno. Haec sententia confirmari uidetur sequentibus uerbis. CVM *eius iam nihil interesset* ℈ cum aere iam non premeretur alieno, rerum omnium armis potitus. Perfecit igitur ea, quae multo ante cogitauerat, ut leges, & iudicia nihil ualerent, non sua causa, quia nihil iam debebat, sed suorum, qui graui alieno aere laborabant, nec sine ciuili bello incolumes ullo modo esse poterant. qua de re sic ad Att. lib. VII. Verumtamen hoc uideo, cum homine audacissimo, paratissimoq. negotium esse: omnes damnatos, omnes ignominia affectos, omnes damnatione, ignominiaq. dignos illac facere, omnes, qui aere alieno premantur; quos plures esse intelligo, quam putaram. Eorum ex numero noti sunt, quibus ad consumendum nihil satis esse uideretur, C. Curio, M. Antonius, P. Dolabella. PECCARE, ℈ Peccandi, unus meus. ETIAM *si causa non esset*. ℈ etiam si peccare quidem in eo, idest aeris alieni solutionem tollere, sua causa non cogeretur: cum ipse iam nihil deberet.

CICERO

AB *hoc igitur genere largitionis, ut alijs detur, alijs auferatur, aberunt ij, qui remp. tuebuntur: in primisq. operam dabunt, ut iuris, & iudiciorum aequitate suum quisque teneat; & neque tenuiores propter imbecillitatem circumueniantur, neque locupletibus ad sua uel tenenda, uel recuperanda obsit inuidia. praeterea, quibuscumque rebus uel belli, uel domi poterunt, remp. augeant imperio, agris, uectigalibus. haec magnorum hominum sunt: haec apud maiores nostros factitata: haec genera officiorum qui persequuntur, cum summa utilitate reip. magnam ipsi adipiscentur & gratiam, & gloriam. In his autem utilitatum praeceptis Antipater Tyrius, Stoicus, qui Athenis nuper est mortuus, duo praecepta censet esse a Panaetio praetermissa, ualetudinis curationem, & pecuniae. quas res a summo philosopho praeteritas arbitror, quod essent faciles: sunt certe utiles. Sed ualetudo sustentatur notitia sui corporis, & obseruatione, quae res aut prodesse soleant, aut obesse; & continentia in uictu omni, atque cultu, corporis tuendi causa, & praetermittendis uoluptatibus; postremo arte eorum, quorum ad scientiam haec pertinent. Res autem familiaris quaeri debet ijs rebus, a quibus abest turpitudo, conseruari autem diligentia, & parcimonia, ijsdem etiam rebus augeri. has res commodissime Xenophon Socraticus persecutus est in eo libro, qui, Oeconomicus, inscribitur: quem nos, ista fere aetate cum essemus, qua es tu nunc, e Graeco in Latinum conuertimus. Sed utilitatum comparatio (quoniam hic locus erat quartus a Panaetio praetermissus) saepe est necessaria. nam & corporis commoda cum externis, & externa cum corporis, & ipsa inter se corporis, & externa cum externis comparari solent. Cum externis corporis hoc modo comparantur; ualere ut malis, quam diues esse: cum corporis externa, hoc modo; diues esse potius, quam maximis corporis uiribus. Ipsa inter se corporis comparantur sic: bona ualetudo uoluptati anteponatur, uires celeritati. Externorum autem, ut gloria diuitijs, uectigalia urbana rusticis; ex quo genere comparationis illud est Catonis senis: a quo cum quaereretur, quid maxime in re familiari expediret, respondit, bene pascere; quid secundum, satis bene pascere; quid tertium, bene uitiare; quid quartum, arare: &, cum ille, qui quaesierat, dixisset, quid fenerari? tum Cato, quid hominem, inquit, occidere? ex quo, & multis alijs, intelligi debet, utilitatum comparationes solere fieri, rectеq. hoc adiunctum esse quartum exquirendorum officiorum genus. Sed toto hoc de genere, de quaerenda, de collocanda pecunia, etiam de utenda, commodius a quibusdam optimis uiris, ad medium Ianum sedentibus, quam ab ullis philosophis ulla in schola, disputatur. sunt tamen ea cognoscenda, pertinent enim ad utilitatem, de qua hoc libro disputatum est. reliqua deinceps persequemur.*

EXPLANATIO

ET *neque tenuiores propter imbecillitatem circumueniantur*, ¶ sic octo mei, sex, & Tertij, Humilitatem, quod non placet. & glossema uidetur fuisse ad, Imbecillitatem. & ita scriptum est in margine unius mei ueteris libri, recenti manu. nec Humilitas pro glossemate uidetur requirere Imbecillitas, sed aliquis potius Humilitatem, pro, Imbecillitatem, substituit. OBSIT *inuidia*. ¶ hinc Comicus:

Iudices saepe propter inuidiam adimunt diuiti;
Aut propter misericordiam addunt pauperi.

BELLI, ¶ pro, in bello. antique, & usitate dictum, paullo tamen durius. Domi, militiae, dixit lib. de Senectute. Bellis, nouem, & Tertij. HAEC *genera officiorum* ¶ quae ad uniuersos, quaeq. ad remp. pertinent. QVI *persequuntur*, ¶ Qui persequentur, unus. Qui prosequuntur, tres. Qui sequuntur, duo. ADIPISCENTVR ¶ Duo, Adipiscuntur. ET *gratiam, & gloriam*. ¶ ut amentur, & in admiratione sint. Vtrumque & supra coniungit: Maxime autem & gloria paritur, & gratia defensionibus. Et, cum dixit: Hoc scientiae genere prodesse quamplurimis, uehementer & ad opes augendas pertinet, & ad gratiã. Lib. III. Huic nec laus magna adhibenda est, nec gratia. Et, eodem libro: Qui illam eripuerit, in maxima gratia futurus, & gloria. Ad Plancum ep. 5. lib. x. Mi Plance, incumbe, ut belli extrema perficias. in hoc erit summa & gratia, & gloria. ANTIPATER *Tyrius*, ¶ Catonis Vticensis familiaris. Plutarchus. DVO *praecepta censet esse a Panaetio praetermissa*, ¶ quattuordecim, & Tertij, Duo praeterita censet esse a Panaetio. A *summo philosopho* ¶ uindicat eum ab ignorantia, contra obiectionem Antipatri. QVOD *essent faciles*: ¶ non quod eas ipse non uiderit. SVNT *certe utiles*. ¶ caussa, cur ipse praecepta subiungat, quae Panaetius, quem iam excusauit, omittenda duxit. SVSTENTATVR ¶ ne in morbos cadat. inde ductum, Firma, & imbecilla ualetudo. NOTITIA *sui corporis*, ¶ sui: quia non ijsdem rebus omnes, sed alius alia re indiget ad ualetudinem. Ex notitia uero sui corporis nascitur obseruatio earum rerum, quae res aut prodesse soleant, aut obesse. aliter enim obseruari non possunt. &, quia sola sui corporis notitia non sufficit, adiungitur tamquam necessaria rerum earum, quae prosint, aut obsint, obseruatio. ita secundum praeceptum nascitur ex primo, sine quo locum non haberet: sicuti nec primum sine secundo fructũ ferret. OBSERVATIONE *earum rerum, quae &c.* ¶ Earum rerum, non est in duobus meis, & Tertij. IN *uictu omni, atque cultu*, ¶ Cultus a Victu differt. multa enim praeter cibum, potionemq. sunt, quae ad ualetudinem pertineant. CORPORIS *tuendi causa*, ¶ uictu enim, atque cultu corpus tuemur. PRAETERMITTENDIS *uoluptatibus*; ¶ ijs, quae obsunt. Hoc quartum praeceptum uidetur inclusum in primo, quod est, Obseruatione earum rerũ, quae res aut prodesse soleant, aut obesse. in ijs enim, quae obsunt, uitandae uoluptates. uerum, quia uoluptate plerique homines tamquam esca capiuntur, ideo nominatim ea de re praecipiendum Cicero putauit: quae cum maxime delectaret, maxime tamen obest &c. *Et praetermittendis uoluptatibus*: τὸ, Et, non est in uno meo, & Tertij. ARTE *eorum*, ¶ medicorum. Artem medicinam uocat. Virg. lib. XII.

Iamq. aderat Phoebo ante alios dilectus Iapis
Iasides, acri quondam cui captus amore
Ipse suas artes, sua munera laetus Apollo,
Augurium, citharamq. dabat, celeresq. sagittas.
Ille, ut depositi proferret fata parentis,
Scire potestates herbarum, usumq. medendi
Maluit, & mutas agitare inglorius artes.

Paullo inferius Iapis ipse loquitur:

Non haec humanis opibus, non arte magistra
Proueniunt, neque te, Aenea, mea dextera seruat.

Et, apud Ouidium, Apollo artem suum inuentum uocat:

Inuentum medicina meum est, opifexq. per orbem
Dicor: & herbarum subiecta potentia nobis.
Heu mihi, quod nullis amor est medicabilis herbis,
Nec prosunt domino, quae prosunt omnibus artes.

CONSERVARI ¶ non enim satis est quaerere, nisi conseruemus. COMMODISSIME ¶ sic, ut nihil desideres, & in discendo uoluptatem capias. nam, Commode, laudem habet. unde illud supra: Commode autem, quicumque dixit, Pecuniam qui habeat, non reddidisse. Et in extremo libro: Toto hoc de genere, de quaerenda, de collocãda pecunia, etiam de utenda commodius a quibusdam optimis uiris, ad medium Ianum sedentibus, quam ab ullis philosophis, ulla in schola, disputatur. OECONOMICVS ¶ de quo D. Hieronymus, Quinctilianus lib. x. cap. 5. Plinius lib. XIIX. cap. 25. & Seruius Georg. i. ISTA *fere aetate cum essemus*, ¶ Cum essemus, absunt ab uno meo. SED *utilitatum comparatio* ¶ nam de comparatione eorum, quae honesta sunt, disseruit libro primo. QVONIAM *his locus erat quartus a Panaetio praetermissus* ¶ Primus locus est, Honestum ne factu sit, an turpe: secundus, conducat, nec ne: tertius, duobus propositis honestis utrum honestius: quartus, duobus propositis utilibus utrum utilius: de quo nunc loquitur Cicero. Quinctus, de comparatione honesti, & utilis, est libro III. *A Panaetio praetermissus*: non modo quartum, qui de duobus utilibus est, sed tertium quoque de duobus honestis Panaetius praetermisit: ut Cicero

docet

docet libro primo. CVM *externis corporis hoc modo comparantur*; § Comparantur,non est in uno meo. IPSA *inter se corporis comparantur sic*: § Comparantur,non est in tredecim meis,& Tertij. BONA *ualetudo* § Vt bona ualetudo,undecim mei,& Tertij.Duo,Si bona ualetudo. EX *quo genere comparationis illud est Catonis senis*: § hoc addit,ut e Catonis quoque sententia distinguendas esse utilitates ostendat: cum sint alijs aliae maiores, ut,bene pascere,quam satis bene pascere; satis autem bene pascere,quam uitire;&,uitire,quam arare: aliae uero alijs honestiores.nam, fenerari summam utilitatem esse nemo negat:nec tamen quaerenda,quia non honesta. EXPEDIRET, § male in uno meo,Expediretur. BENE *pascere*; § Pascua ueteres pluris aestimabant,quam uineas,& arua.unde illud in Paradoxo ultimo:Si isti callidi rerum aestimatores prata, & areas quasdam magni aestimant, quod ei generi possessionum minime quasi noceri potest:quāti est aestimanda uirtus,quae nec eripi,nec surripi potest?Et Columella lib.2.cap.17.Atque haec, inquit, orator exsequi poterit,si non solum,quae retuli,genera pabulorum prouiderit,uerum etiam copiam ferri,quo melius armenta tueatur,sine quibus terram commode moliri difficile est.& ideo necessarius ei cultus est etiam prati,cui ueteres Romani primas in agricolatione tribuerunt. nomen quoque indiderunt ab eo, quod protinus esset paratum,nec magnum laborem desideraret. M. quidem Porcius & illa commemorauit,quod nec tempestatibus affligeretur,ut aliae partes ruris, minimiq. sumptus egens, per omnes annos praeberet reditum,neque eum simplicem,cum etiam in pabulo non minus redderet, quam in feno. BENE *uitire*; § cur malim,Vitire,(quod in quattuor esse antiquis libris, scribunt Nannius in Miscellaneis, Langius,Baiduinus,Gifanius,) quam,Vestire,quod ipsum reperi in omnibus meis,(nam a Tertij libro hoc totum abest)tribus caussis adducor:primum, quod,cum haec sint Catonis praecepta, particulari eum uerbo,in certa re designanda,quam generali,usum esse,uerisimilius est.deinde,quod Plinius lib. XIIX. cap. 5. haec ipsa referens Catonis praecepta, quaestuosissimā in agro Vitem esse dixit, Vestiendi mentionem nullam fecit. postremo,quod ex Vestire certe non tam facilis fuit lapsus ad Vitire, quam ex Vitire ad Vestire: cum ita scriberēt ueteres, Veitire,pro Vitire; ut Viam , pro Viriā,& similia.Quod peritis antiquitatum ita notum est,ut exemplis probare non oporteat. Haec autem Catonis praecepta ne quis miretur in eius libris non exstare: circumferuntur enim sermonibus, ut ab illo dicta,non ut scripta. Itaque & Cicero, & Plinius aiunt,Cato,interrogatus,&c.Nam,quod scriptum est,apud Catonem cap.61. simile illud quidem est ex aliqua parte,ex aliqua tamen dissimile.Vestire tamen,si legas,interpretandum, arboribus maxime fructum ferentibus. uerum haec utilitas non uidetur arationi praeferenda.itaque magis placet,Vitire. QVID *hominem,inquit,occidere*? § ut ostenderet,non omnem utilitatem quaerendam esse. quasi fenerari nō liceret. SOLERE *fieri*, § sex,& Tertij,ord. praep.Fieri solere. TOTO *hoc de genere*, § cuius partes sunt tres, quo modo quaerenda,collocanda,utenda pecunia sit. DE *collocanda* § ut conseruetur,atque etiam augeatur,ubi quaesita iam est. ETIAM *de utenda*, § sic omnes mei, & Tertij. *Vtenda*: parce uidelicet, ac frugaliter. qui enim,ut pecuniam quaereret, ne fenerationis quidem quaestum turpem putauit, is, ut eam pecuniam temere dissipet, ac dispendat, non facile adducetur. itaque superuacaneum paene uidetur ei praecipere; cui tamen praecipiunt feneratores,nihil omnino,quod ad pecuniam pertineat,omittentes.superuacaneum autem praeceptum,uel parum certe necessarium significat hic loquendi modus,Etiā de utenda. COMMODIVS § melius,& utilius. *A quibusdam optimis uiris*, § a feneratoribus. ironia. iam enim de feneratione dixit, Quid hominem occidere?& uerbum, Quibusdam,ironiam magis indicat. *Commodius a quibusdam optimis uiris*:a contrario sensu.nam nec decenter,& honeste,nec ab optimis uiris de quaerenda,& collocanda pecunia ab ijs,qui sedent ad medium Ianum,idest a feneratoribus,disputatur. nō enim in quaerenda collocanda ue pecunia,sed in utenda potius,laus posita bonitatis est.itaque recte subiungit Cicero:Etiam de utenda. usus enim pecuniae is est,qui pecuniae quaerendae,& collocandae scientiam excusare posset. nam illa per se,idest,quaerere,& collocare,laudem non habet. AD *medium Ianum* § uicus hoc nomine Romae fuit,ubi pecunia fenore dabatur. prima uici pars, summus Ianus, media, medius; ultima, imus uocabatur. unde Horatius ep. 1.lib.1.

O ciues, ciues, quaerenda pecunia primum est,
Virtus post nummos. haec Ianus summus ab imo
Perdocet.

Maxime uero ad medium Ianum,idest,medio uico,sedebāt feneratores.Itaque Phil.v.Ita ne? Ianus medius in L. Antonij clientela sit? quis umquam in illo Iano inuentus est, qui L. Antonio mille nummum ferret expensum ? Et Horatius sat.3.lib.11.

-- Postquam omnis res mea Ianum
Ad medium fracta est,aliena negotia curo,
Excussus proprijs.

De Iano praeterea Phil.VI.& VII. Octo,& Tertij,Ad ianuae mediū: sex,ord.praep.Ad mediū ianuae. Male. QVAM *ab ullis philosophis* § itaque mihi hoc de genere pluribus disputandū nō est.SVNT *tamen ea cognoscenda*.§ quae disputantur ab ijs,qui ad mediū Ianū sedent:quae scilicet philosophi de utilitatibus disputant,quā quā haud ita commode,ut ij, qui ad medium Ianum sedent,idest feneratores.PERTINENT *enim ad utilitatem*,§ licet ea ratio quaerendae, collocandae, utendae pecuniae, de qua feneratores commodius, quam philosophi,disputant,haud satis honesta uideatur. DISPVTATVM *est*. § sic tredecim mei,& Tertij. recte.Vnus, Disputandum est. RELIQVA § a Panaetio praetermissa:si id, quod speciem habet honesti,pugnet cum eo,quod utile uidetur,quo modo ea discerni oporteat.

Landesbibliothek Oldenburg

ARGVMENTVM LIBRI TERTII.

LIBRO primo, unde officia ducerentur; secundo, quid esset utile, quaesitum est; hoc tertio, de honesto, & utili, cum pugnare uidentur inter se deliberatur. sed, antequam haec disputatio suscipiatur, consilium suum Cicero, quod, exstincto senatu, deletisq. iudicijs, ad scribendum curam omnem, studiumq. conuerterit, maioris Africani tuetur exemplo. Mox ideo dicit interdum dubitari solere, utrum id, quod utile uideretur, anteponendum esset honesto, non quod ea comparari oporteret inter se, sed quia tempus incideret eiusmodi, ut, quod turpe haberi soleret, honestum esse inueniretur. exempli gratia: hominem occidere, turpe est: at, si tyrannus occiditur, non modo non turpe, sed gloriosum etiam existimatur. distinguuntur haec non tam re, quam tempore. Et, ut distinguantur, formula quaedam constituitur Stoicorum rationi, disciplinaeq. consentanea, quidquid honestum, idemutile esse; nec utile quidquam, quod non honestum. quo sequitur, ut, detrahere aliquid alteri, & hominem hominis incommodo suum augere commodum, honestum ideo non sit, quia nec natura, idest iure gentium, nec legibus populorum conceditur: contraq. honestum in primis, & secundum naturam, pro multorum incolumitate, atque emolumento labores, molestiasq. suscipere. Rursus, hominibus, diuitijs, uoluptatibus, & eiusmodi rebus anteponenda quidem amicitia est: amicitiae tamen caussa nihil contra remp. aut iusiurandum, aut fidem uir bonus faciet. iacere enim utilitatis species, ualere honestas debet, cum id, quod utile uidetur in amicitia, cum eo, quod honestum est, comparatur. Quod si hoc in priuata amicitia, multo magis in rep. obseruandum. idq. laudatur in primis in Athenienſi populo, Aristidis potius, quam Themistoclis, consilium secutis, cum hic utilitatem tantum spectaret, ille honestatem pluris, quam utilitatem, aestimaret. Jam, celare ueritatem emolumenti gratia, si turpe est: orationis ueritatem adhibere, & mendacio sibi utilitatem quaerere, multo turpius. Sunt autem multa, quae quia more, lege, iure ciuili conceduntur, ideo turpia non uidentur: sed aliud est ius ciuile, aliud ius gentium: ideo saepe accidit, ut, quod iure gentium, idest lege naturae sanciatur, idem uetetur iure ciuili; aut, quod iure ciuili uetatur, idem per naturae legem liceat. Optimum igitur est ius ciuile, quod a natura ducitur, & malitiam, fraudemq. uindicat, ut in praediorum, mancipiorumq. uenditione. Cuius generis cum occurrant multa, una omnium regula est, quam qui seruauerit, aberit a culpa; ut ita placeat id, quod utile uidetur, si modo turpe non est; aut, si turpe

est.

est, omnino displiceat. Accidit autem, ut ne pacta quidem, & promissa seruanda sint: tum scilicet, cum aut ei, qui promiserit, aut patriae inutilia sint. quod enim honestum natura uidetur, temporibus fit saepe non honestum. & omnino, si quid abest a laude, decore, honestate, utile non putandum.

M. TVLLII. CICERONIS
DE. OFFICIIS
AD. MARCVM. FILIVM
LIBER. III

CICERO

P. SCIPIONEM, Marce fili, eum, qui primus Africanus appellatus est, dicere soli tum, scripsit Cato, qui fuit fere eius aequalis, numquam se minus otiosum esse, quam cum otiosus; nec minus solū, quam cum solus esset. magnifica uero uox, et magno uiro, & sapiente digna; quae declarat, illum & in otio de negotijs cogitare, & in solitudine secum loqui solitum; ut neque cessaret umquam, & interdum colloquio alterius non egeret. itaque duae res, quae languorem afferunt ceteris, illum acuebant, otium, & solitudo. Vellem, & nobis hoc idem uere dicere liceret: sed, si minus imitatione tantam ingenij praestantiam consequi possumus, uoluntate certe proxime accedimus. nam &, a rep. forensibusq. negotijs armis impijs, uiq. prohibiti, otium persequimur; &, ob eam causam urbe relicta, rura peragrates, saepe soli sumus. sed nec hoc otium cum Africani otio, nec haec solitudo cum illa comparāda est. ille enim, requiescens a reip. pulcherrimis muneribus, otium sibi sumebat aliquando, & a coetu hominum, frequentiaq. interdum, tamquam in portum, se in solitudinem recipiebat: nostrum autem otium negotij inopia, non requiescendi studio, constitutum est. exstincto enim senatu, deletisq. iudicijs, quid est, quod dignum nobis aut in curia, aut in foro agere possimus? ita, qui in maxima celebritate, atque in oculis ciuium quondam uiximus; nunc, fugientes conspectum sceleratorum, quibus omnia redundant, abdimus nos, quantum licet, & saepe soli sumus. sed, quia sic ab hominibus doctis accepimus, nō solum ex malis eligere minima oportere, sed etiam excerpere ex his ipsis, si quid inesset boni; propterea & otio fruor, non illo quidem, quo debeat is, qui quondam peperisset otium ciuitati; nec eam solitudinem languere patior, quam mihi affert necessitas, non uoluntas. quamquam Africanus maiorem laudem uel meo iudicio assequebatur: nulla tamen eius ingenij monumenta mandata litteris, nullum opus otij, nullum solitudinis munus exstat. ex quo intelligi debet, illum mentis agitatione, inuestigationeq. earum rerum, quas cogitando consequebatur, nec otiosum, nec solum umquam fuisse. Nos autem, qui non tantum roboris habemus, ut cogitatione tacita a solitudine abstrahamur, ad hanc scribendi operam omne studium, curamq. conuertimus. itaque plura breui tempore, euersa, quam multis annis, stante rep. scripsimus. Sed, cum tota philosophia, mi Cicero, frugifera, & fructuosa, nec ulla pars eius inculta, ac deserta sit: tamen nullus feracior in ea locus est, nec uberior, quam de officijs; a quibus constanter, honesteq. uiuendi praecepta ducuntur. quare, quamquam a Cratippo nostro, principe huius memoriae philosophorum, hoc te assidue audire, atque accipere confido; tamen conducere arbitror, talibus aures tuas uocibus undique circumsonare, nec eas, si fieri possit, quidquam aliud audire. quod cum omnibus est faciēdum, qui uitam honestam ingredi cogitant: tamen haud scio, an nemini potius, quam tibi. sustines enim non paruam exspectationem imitandae industriae nostrae, magnam bonorum, nonnullam fortasse nominis. suscepisti onus praeterea graue & Athenarum, & Cratippi: ad quos cum, tamquam ad mercaturam bonarum artium, sis profectus, inanem redire, turpissimum est, dedecorantem & ubi auctoritatem, & magistri. quare, quantum conniti animo potes, quantum labore contendere; (si discendi labor est potius, quam uoluptas) tātum fac ut efficias; ne ue cōmittas, ut, cū omnia suppeditata sint a nobis, tute tibi defuisse uideare. Sed haec hactenus: multa enim saepe ad te, cohortandi gratia, scripsimus. nunc ad reliquam partem propositae diuisionis reuertamur.

EXPLA-

Landesbibliothek Oldenburg

EXPLANATIO



PPELLATVS *est*, ξ Sit, nouem,& Tertij. SCRIPSIT *Cato*, ξ qui tamen Scipioni parũ amicus esse creditus est. Liuius lib. XXXIIX. is, qui, censura seuerissime gesta, Censorius est appellatus. FERE *eius aequalis*, ξ secundum enim Africani consulatum primus Catonis excepit,& quidem quaestor eius: cui etiam obtrectasse, & Petillijs tribunis pl. ut eum accusarent, auctor fuisse dicitur. Liuius, NVMQVAM *se minus otiosum esse, quam cum otiosus; nec minus solum, quam cum solus esset*. ξ Velleius lib.I. Scipio tam elegans liberalium studiorum, omniscq. doctrinae,& auctor, & administrator fuit, ut Polybium, Panaetiumque, praecellentes ingenio uiros, domi militiaeq. secum habuerit: neque enim quisquam hoc Scipione elegantius interualla negotiorum otio dispunxit, semperq. aut belli, aut pacis seruijt artibus. semper inter arma,ac studia uersatus,aut corpus periculis, aut animum disciplinis exercuit. *Numquam se minus otiosum esse,quam cum otiosus*: quia res praeclaras in otio cogitabat. *Nec minus solum, quam cum solus esset*: solus enim non est,qui secum loquitur: quod faciebat Africanus. quae sunt autem illa, quae taciti sermonis materiam praebent? resp. in primis, & eae uirtutes, quibus actiones nostrae ad uerum decus, laudemq. diriguntur. SECVM *loqui solitum*; ξ ἑαυτῷ διαλέγεσθαι περὶ τῶν πραγμάτων, Isocrates. ITAQVE ξ Ita, pro Itaque, unus meus, & Tertij liber. OTIVM, *& solitudo*. ξ Ennij uersus, in Iphigenia, apud Agellium lib. XIX.cap.X.

Otio qui nescit uti,plus negotij habet,
Quam cum est negotium in negotio.
Nam, cui, quod agat, institutum est, nullo negotio
Id agit: studet ibi, mentem,atque animum delectat suum.
Otioso initio animus nescit, quid uelit.
Hoc idem est, neque domi nunc nos, nec militiae sumus.
Imus huc, hinc illuc: cum illuc uentum est, ire illinc lubet,
Incerte errat animus, praeter propter uitam uiuitur.

VELLEM *& nobis* ξ particula,Et, abest ab undecim,& Tertij. Vnus,Vellem idem hoc nobis. Vnus, Vellem quidem nobis. Vnus, Vellem nobis hoc idem dicere liceret. VERE *dicere liceret*: ξ quodam enim modo licet,sed non aeque, ut illi: quod & ille ingenio praestiterit,& meliora tempora fuerint. ARMIS *impijs*, ξ bellis ciuilibus. OTIVM *persequimur*; ξ sic septem, & Tertij: recte. Sex, Prosequimur.unus,Consequimur. RVRA *peragrantes*, ξ sic quattuordecim mei,& Tertij. Male Langius, Peregrinantes: delens, Rura. nam Peregrinari, est,longius ab urbe iter facere. Rura autem opponit Vrbi. Solitum autem esse Ciceronem ruri multa scribere,cum alibi,tum I.de Leg. ait: Subseciua quaedam tempora incurrunt, quae ego perire non patior: ut, si qui dies ad rusticandum dati sint, ad eorum numerum accommodentur,quae scribimus. HOC *otium* ξ sic duodecim,& Tertij. NEC *haec solitudo* ξ τὸ Haec addidimus ex omnibus uet. lib. NON *requiescendi studio*, ξ antea, Nec req. studio. Non,est in omnibus ueteribus. AVT *in curia, aut in foro agere possimus?* ξ mortuo Caesare, nondum libera ciuitas erat. ITA, *qui in maxima celebr.* ξ sic tres mei,& Tertij.Duo,Itaque, qui in max.Cel.Duo,Itaque in max.cel. Tres,Itaque cum in max.cel.Tres, Ita, cum in max cel. Vnus,Itaque nos, qui in max.cel. IN *oculis ciuium*, ξ ideſt,ciuibus cari. Terentius: Rex te ergo in oculis. Tusc.II. In oculis esse multitudini. Ad Q. fr. Balbum in oculis fero. τὸ, Ciuium,est in omnibus ueteribus libris. VIXIMVS, ξ Vixerimus, octo, & Tertij. CONSPECTVM *sceleratorum,quibus omnia redundant*, ξ sic apud Euripidem:

Τοιαῦθ' ὁ τλημων πόλεμος ἐξεργάζεται.

SIC *ab hominibus doctis accepimus*, ξ accepit ab Aristotele: qui τῶν Ηθικ. E.ita scriptum reliquit: Οἱ δ' ἄνθρωποι ταῦτα ἔυχονται, καὶ διώκουσι. δεῖ δ' οὐ, ἀλλ' ἔυχεσθαι μὲν τὰ ἁπλῶς ἀγαθὰ, καὶ αὐτοῖς ἀγαθὰ εἶναι, αἱρεῖσθαι δὲ τὰ αὐτοῖς ἀγαθά. ὁ δ' ἄδικον οὐκ αἰεὶ τὸ πλέον αἱρεῖται, ἀλλὰ καὶ τὸ ἔλαττον ἐπὶ τῶν ἁπλῶς κακῶν, ἀλλ' ὅτι δοκεῖ δὲ τὰ αὐτοῖς ἀγαθά. ὁ δ' ἄδικον οὐκ αἰεὶ τὸ πλέον αἱρεῖται, ἀλλὰ καὶ τὸ ἔλαττον ἐπὶ τῶν ἁπλῶς κακῶν, ἀλλ' ὅτι δοκεῖ δὲ τὸ μεῖον κακὸν, ἀγαθόν πως εἶναι. Et ad Eudaemum τῷ δ'. Ex *malis eligere minima oportere*, ξ Plautus Trinummo: Nota res mala, optima. Et Terentius: Vt qui mus,quando,ut uolumus,non licet. NON *illo quidem*, ξ illustri, & cum dignitate. Sic initio lib. III. de Orat.otium optat cum dignitate. DEBEAT ξ sic duodecim,& Tertij. recte.Duo,Debebat. PEPERISSET *otium ciuitati*; ξ in consulatu,coniuratione exstincta. de quo iam antea gloriatus est. Hinc:

O fortunatam natam me consule Romam.

AFFERT *necessitas*, ξ Hinc:

Δεινῆς ἀνάγκης οὐδὲν ἰσχύει πλέον.

NVLLA *tamen eius ingenij monumenta mandata litteris*, ξ Quinctilianus lib.X.cap.I.Terentij scripta ad Scipionem Africanum referuntur. Donatus quoque ait,non obscuram fuisse famam Terentium a Laelio, & Scipione esse adiutum. BREVI *tempore*, ξ a dictatura Caesaris, ad triumiuratum. TAMEN *nullus*, ξ Tum, quinque,& Tertij. FERACIOR ξ metaphora ab agris, qui feraces esse dicuntur. In Verrem. Alibi ad ingeniam transtulit, Nihil feracius ingenijs, in Oratore. PRINCIPE ξ inter Peripateticos. Fam. lib.XII.ep.16.& lib.XVI. ep. 21. Vide initio lib.I.& extremo hoc libro,& in prooemio libri de Vniuers. HOC *te assidue audire*, ξ Haec,sex,& Tertij. TALIBVS *aures tuas uocibus circumsonare*, ξ Demosthenes περὶ συντάξεως: Οὐ δὲ τοῦτο μικρὸν ὀφελεῖν οἶμαι, εἰ τὰ βέλτισθ' ὑμᾶς ἀκούειν συνεθίζω. δεῖ γὰρ

γαρ, ὦ ἄνδρες Αθηναῖοι, τὸν βουλόμενόν τι ποιῆσαι τὴν πόλιν ὑμῶν ἀγαθὸν, τἀ ὦτα πρῶτον ὑμῶν ἰάσασθαι. Διέφθαρται γαρ οὕτω πολλὰ ἀγ ψευδῆ, ἀγ πάντα μᾶλλον ἢ τὰ βέλτιστα ἀκούειν σωείθισθε. *Circumsonare*: περιηχεῖν, περιηχεῖσθαι. VITAM *ingredi* ʒ Isocrates: Ὅσοι τοῦ βίου ταύτην τὴν ὁδὸν ἐπορεύθησαν: οὗτοι μόνοι τῆς ἀρετῆς, ἐφικέσθαι γνησίως ἠδυνήθησαν. SVSCEPISTI *onus* ʒ exspectationis. GRAVE ʒ quinque, Grande. quo modo illud Poetae:

Grande onus exiguo formicas ore ferentes.

AD. *mercaturam* ʒ sic omnes libri: ideſt, tamquam ad emendas merces. sic quoque duobus locis adducit hunc locum Nonius. Langius, Mercatum, ex unico libro. Isocrates in Paraenetico: Μὴ κατόκνει μακρὰν ὁδὸν πορεύεσθαι πρὸς τοὺς διδάσκειν τι χρήσιμον ἐπαγγελλομένους. αἰσχρὸν γαρ τοὺς μὲν ἐμπόρους τηλικαῦτα πελάγη διαπερᾶν, ἕνεκα τοῦ πλείω ποιῆσαι τὴν ὑπάρχουσαν οὐσίαν, τοὺς δὲ νεωτέρους μηδὲ κατὰ γῆν πορείας ὑπομένειν, ἐπὶ τῷ βελτίω κατασῆσαι τὴν ἑαυτῶν διάνοιαν. INANEM *redire turpissimum est* ʒ Hom. ιλ. ι.

Αἰσχρόν τοι δηρόν τε μένειν, κενεόν τ' ἀπονέεσθαι.

ideſt: Turpe foret, manſiſſe diu, uacuumq. reuerti.

VRBIS ʒ quae ſemper bonas artes aluit. QVANTVM *conniti animo* ʒ Isocrates idē praecipit: Πειρῶ τὴν μὲν ψυχὴν εἶναι φιλόσοφος, τὸ δὲ σῶμα φιλόπονος. TVTE *tibi defuiſſe uideare.* ʒ ſic, ad Trebatium, lib. VII. Fam. ep. 7. Vt tibi unum timendum ſit, ne ipſe tibi defuiſſe uideare. MVLTA *enim ſaepe ad te,* ʒ nihil tamen exſtat, praeter Partitiones Oratorias, & hos libros de Officijs; qui tamen ad formandas potius mores, quam ad cohortandum, ſcripti ſunt.

CICERO

PANAETIVS *igitur, qui ſine controuerſia de officijs accuratiſſime diſputauit, quemq. nos, correctione quadam adhibita, potiſſimum ſecuti ſumus; tribus generibus propoſitis, in quibus deliberare homines, & conſultare de officio ſolerent: uno, cum dubitarent, honeſtum ne id eſſet, de quo ageretur, an turpe; altero, utile ne eßet, an inutile; tertio, ſi id, quod ſpecimen haberet honeſti, pugnaret cum eo, quod utile uideretur, quo modo ea diſcerni oporteret: de duobus generibus primis tribus libris explicauit; de tertio autem genere deinceps ſe ſcripſit dicturum; nec exſoluit, quod promiſerat. quod eo magis miror, quia ſcriptum a diſcipulo eius Poſidonio eſt, triginta annos uixiſſe Panaetium, poſtquam illos libros edidiſſet. quem locum miror a Poſidonio breuiter eſſe tractatum in quibuſdam commentarijs, praeſertim cum ſcribat, nullum eſſe locum in tota philoſophia tam neceſſarium. Minime uero aſſentior ijs, qui negant, eum locum a Panaetio praetermißum, ſed conſulto relictum, nec omnino ſcribendum fuiſſe; quia numquam poſſet utilitas cū honeſtate pugnare. de quo alterum poteſt habere dubitationem, adhibendum ne fuerit hoc genus, quod in diuiſione Panaetij tertium eſt, an plane omittendum; alterum dubitari nō poteſt, quin a Panaetio ſuſceptum ſit, ſed derelictum. nam, qui e diuiſione tripartita duas partes abſoluerit, huic neceſſe eſt reſtare tertiam. praeterea, in extremo libro tertio de hac parte pollicetur ſe deinceps eſſe dicturum. Accedit eodem teſtis locuples Poſidonius; qui etiam ſcribit in quadam epiſtola, P. Rutilium Rufum dicere ſolere, qui Panaetium audiuerat; ut nemo pictor eßet inuētus, qui Veneris eam partem, quam Apelles inchoatam reliquiſſet, abſolueret, (oris enim pulchritudo reliqui corporis imitandi ſpē auferebat) ſic ea, quae Panaetius praetermiſiſſet, & non perfeciſſet, propter eorum, quae feciſſet, praeſtantiam neminem eſſe perſecutum. Quamobrem de iudicio Panaetij dubitari non poteſt. Recte ne autem hanc tertiam partem ad exquirendum officium adiunxerit, an ſecus, de eo fortaſſe dubitari poteſt. nam, ſiue honeſtum ſolum bonum eſt, ut Stoicis placet; ſiue, quod honeſtum eſt, id ita ſummum bonum eſt, quemadmodum Peripateticis noſtris uidetur, ut omnia, ex altera parte collocata, uix minimi momenti inſtar habeant: dubitandum non eſt, quin numquam poſſit utilitas cum honeſtate contendere. itaque accepimus, Socratem ſolitum exſecrari eos, qui primum haec, natura cohaerentia, opinione diſtraxiſſent. cui quidem ita ſunt Stoici aſſenſi, ut etiam, quidquid honeſtum eſſet, id utile eſſe cenſerent; nec utile quidquam, quod non honeſtum. Quod ſi is eſſet Panaetius, qui uirtutem propterea colendam diceret, quod ea efficiens utilitatis eſſet; ut ij, qui res expetendas uel uoluptate, uel indolentia metiuntur: liceret ei dicere, honeſtatem aliquando cum utilitate pugnare. ſed, cum ſit is, qui id ſolum bonum iudicet, quod honeſtum ſit; quae autem huic repugnent ſpecie quadam utilitatis, eorum neque acceſſione meliorem uitam fieri, nec diſceſſione peiorem: non uidetur huiuſmodi debuiſſe deliberationem introducere; in qua, quod utile uideretur, cum eo, quod honeſtum eſt, comparetur. etenim, quod ſummum bonum a Stoicis dicitur, conuenienter naturae uiuere; id habet hanc, ut opinor, ſententiam, cum uirtute congruere ſemper; cetera autem, quae ſecundum naturam eſſent, ita legere, ſi ea uirtuti non repugnarent. quod cum ita ſit, putant quidam hanc comparationem recte non eſſe introductam, nec omnino de eo genere quidquam praecipiendum fuiſſe. Atque illud quidem honeſtum, quod proprie, uereq. dicitur, id in ſapientibus eſt ſolis, neque a uirtute diuelli umquam poteſt: in ijs autem, in quibus ſapientia perfecta non eſt, ipſum illud quidem perfectum honeſtum nullo modo eſſe poteſt, ſimilitudines honeſti eße poſſunt.*

EXPLANATIO

ACCVRATISSIME *diſputauit,* ʒ ſubtiliſsime, diligentiſsime, cum ueritate congruenter. DE *officio* ʒ ideſt, cuiu quaeritur, quid recte, aut ſecus fiat. POSTQVAM *illos libros edidiſſet.* ʒ Poſtcaquam, duodecim, & Tertij. Eos, tres. Iſtos, duo. BREVITER *eſſe tractatum* ʒ ſic undecim mei libri.

res,& Tertij,Tactum. quod non improbo. genus enim dicendi sat bonum est. est enim, paucis uerbis narare. itaque Cicero lib.11.de Orat. Perquam, inquit, breuiter perstrinxi, atque attigi. In quo est animaduertendum, Attingere,si tamquam translatum usurpatur, cum Leuiter coniungi; si tamquam proprium, cum Breuiter. DERELICTVM ℥ Relictum, omnes libri ueteres. TESTIS *locuples* ℥ sic infra: An locupletiores quaeris auctores? Et ad Caes. iuniorem lib.11. Nihil omnino certi; nec locupletem ad hoc auctorem habebamus. Male apud Nonium, Locupletis. POSIDONIVS; ℥ quem, & Molonem apud Rhodum audiuisse, tradit Plutarchus. Et 1. de Fin. ipse Cicero suum familiarem uocat. P. RVTILIVM *Rufum* ℥ is est, quem lib.1.P.Mucium Scaeuolam sectatum fuisse, ab eoq. iuris scientiam,& innocentiae, morumq. opinionem hausisse dixit. QVI *Veneris eam partem,&c.* ℥ Vnus, Qui inchoata Venere. Vnus, Qui in templo Coae Veneris: quod est & in ora unius libri. Vnus, Qui in templo deae Veneris. Vnus, Qui in templo Veneris. Tertij liber, Qui in Coa Venere. Recte. *Veneris eam partem*: de qua Fam. lib.1.ep. Periucundae, ad Att.lib.2.ep.21.lib.2.de Diuin.in Oratore,lib.1.de nat.de.in Verrem. Duas Veneres Apelles pinxisse dicitur, unam e mari in terra egredientem, de qua Ouidius:

Si numquam Venerem Cous pinxisset Apelles,
Mersa sub aequoreis ipsa lateret aquis.

Et alibi:

Vt Venus artificis labor est,& gloria Coi,
Aequoreo madidas quae premit imbre comas.

Inchoauit aliam, quae superasset priorem, nisi inuidisset mors. de qua Plin.lib.xxxv.cap.10.& xi. ET *non perfecisset*,℥ absunt haec a quinque meis. Vnus, Et non fecisset. QVAE *fecisset*, ℥ Perfecisset, undecim, & Tertij. ESSE *persecutum*. ℥ τὸ, Esse, non est in quinque,& Tertij. Vnus, Persecutum esse. DE *eo fortasse dubitari potest*. ℥ Disputari, est in nouem, & Tertij. QVOD *honestum est*, ℥ de summo bono controuersia fere nulla est inter Stoicos,& Peripateticos. PERIPATETICIS *uestris* ℥ sic emendaui ex uno meo,& Tertij. COLLOCATA, ℥ placet, Collata, quod est in duobus meis. nam, collatione summi boni, rem inutilem prorsus nullius moneti dicimus, idest, nullius ponderis, cum commodis illis siue cor-poris, siue in casu positis. QVIN *numquam* ℥ Quin umquam, nouem. SOCRATEM ℥ in Hippia maiore pulchrum cum utili necessario uinculo comparat. De Leg. lib.1. Recte Socrates exsecrari eum solebat, qui primus utilitatem ab honestate seiunxisset. id enim querebatur caput esse exitiorũ omnium. SOLITVM *exsecrari* ℥ Exsecrari solitum, decem,& Tertij. VT *etiam* ℥ τὸ, Etiam, non est in septem. Et, pro, Etiam, quinque,& Tertij. CENSERENT; ℥ Consentirent, unus. Consentirent,& censerent, unus. Alij, & Tertij, Censerent. VT *ij*, ℥ Epicurei. VEL *indolentia* ℥ quod Hieronymi Rhodij dogma fuisse, scribit Cicero de Fin. lib.11. HONESTATEM *aliquando cum utilitate pugnare*. ℥ decem,& Tertij, Vtilitatem aliquando cum honestate pugnare. QVI *id solum bonum iudicet*, ℥ e Stoicorum opinione. DISCESSIONE ℥ unus, Dicessione. septem,& Tertij, Decessione. Sic pro Cluentio; An, ut de causa eius periculi nihili decederet? ad causam nouum crimen accederet? HVIVSMODI *debuisse deliberationem intr.* ℥ Debuisse eiusmodi delib. intr. septem,& Tertij. Eiusmodi debuisse delib. intr. tres. Debuisse huiusmodi delib. intr. duo. Eiusmodi deliberat. intr. unus. Huiusmodi deliberationem deb. intr. unus. COMPARETVR. ℥ Compararetur, quattuor,& Tertij. ITA *legere*, ℥ infra, Legere intelligenter uoluptates. Contrarium est, Negligere. RECTE *non esse introd.* ℥ Non recte introd. octo, & Tertij. Non recte esse introd. duo. Non esse recte introd. unus. Non rectam introd. unus. IN *quibus sapientia perfecta non est*, ℥ In quibus non est perfecta sapientia, duo. In quibus perfecta sapientia non est, unus. IPSVM *illud quidem perfectum honestum nullo modo esse potest, similitudines honesti esse possunt*. ℥ Sic tres mei. Duo, I.i. q.p.h.n.m. similit. honesti esse possunt. Vnus, I.i.q.p.h.n. m.s.h. possunt esse. Vnus, ord. praep. Esse possunt. Vnus, I.i.q.p.h.n.m.s℥ similit. h. esse potest. Vnus, I.i.q.p.h.n.m. similit. uõ honesti cã poss't. Vnus, I.i.q.p.h.n. m. sed simil. honesti esse possunt. Vnus, I.i.q p.h.n.m.s℥ simil. honesti pñt. Vnus, I.i.q.p h,n,m.est, sim. h. esse possunt. Vnus, I.i.q.p.h.n.m.p t, simil.h.e. possunt. Vnus, & Tertij, I.i.q.p. honestum. Nullo modo simil.h. esse possunt.

CICERO

HAEC *igitur omnia officia, de quibus his libris disputamus, media Stoici appellant; & ea communia sunt, & late patent: quae & ingenij bonitate multi assequuntur, & progressione discendi. Illud autem, quod rectum ijdem appellant, perfectum, atque absolutum est, & ut ijdem dicunt, omnes numeros habet, nec praeter sapientiam, cadere in quemquam potest. Cum autem aliquid actum est, in quo media officia comparantur, id cumulate uidetur esse perfectum: propterea quod uulgus, quid absit a perfecto, fere non ex toto intelligit: quatenus autem intelligit, nihil putat praetermissum. quod item in poematibus, & in picturis usu uenit, in alijsq. compluribus, ut delectentur imperiti, laudentq. ea, quae laudanda non sint; ob eam, credo, causam, quod insit in his aliquid probi, quod capiat ignaros, qui quidem, quid in unaquaque re uitij sit, nequeant iudicare. itaque, cum sint docti a peritis, desistunt facile a sententia. haec igitur officia, de quibus his libris disserimus, quasi secunda quaedam honesta dicunt esse, non sapientum modo propria, sed cum omni hominum genere communia: itaque his omnes, in quibus est uirtutis indoles, commouentur. Nec uero, cum duo Decij, aut duo Scipiones, fortes uiri, commemorantur, aut cum Fabricius, aut Aristides iustus nominatur, aut ab illis fortitudinis, aut ab his iustitiae, tamquã a sapiente, petitur exemplum. nemo enim horum sic sapiens, ut sapientem intelligi hic uolumus; nec ij, qui sapientes*

pientes habiti sunt, & nominati, M. Cato, & C. Laelius, sapientes fuerunt. nec illi quidem septem; sed ex mediorum officiorum frequentia similitudinem quandam gerebant, speciemq. sapientum. Quocirca, nec id, quod uere honestum est, fas est cum utilis repugnantia comparari. nec id, quod communiter appellamus honestum, quodq. colitur ab ijs, qui bonos se uiros haberi uolunt, cum emolumentis umquam est comparandum. tamq. id honestum, quod in nostram intelligentiam cadit, tuendum, conseruandumq. est nobis, quam id, quod proprie dicitur, uereq. est honestum, sapientibus. aliter enim teneri non potest, si qua ad uirtutem est facta progressio.

EXPLANATIO

HAEC *igitur omnia officia*, § octo, & Tertij, Haec enim officia. ET *ea communia sunt*, § Et, non est in quattuordecim, & Tertij. LATE *patent*: § cadunt in multos. ILLVD *autem, quod* § quattuordecim, & Tertij, Illud autem officium, quod. OMNES *numeros habet*, § Vide Adagia, Circulum absoluere. CVM *autem aliquid actum est, in quo media officia compareant, id cumulate uidetur esse perfectum*: § Perfectum, inquit, officium differt a medio: sed accidit saepe, ut, quod perfectum non est, perfectū tamen, in scientia uulgi, esse uideatur, ubi enim apparent media officia, id uulgus, quia supra non intelligit, perfectum esse putat. Comparantur, duodecim. Comparant, duo, & Tertij. FERE *non ex toto* § Non fere, sex, & Tertij. Duo uerba, Ex toto, absunt a tribus, & Tertij: & sane Ciceronis non uidentur esse. QVOD *item in poematis*, § antea, Quod autem in poematibus. Locum recte mutasse uideor auctore Nonio. nam, si, Quod autem, legatur, diuersum quiddam a superioribus inferri uidebitur; si, Quod item, simile. Sed in Nonio, Idem, pro Item, legitur. & uidetur rectius. Notatur autem haec similitudo. Ita fallitur uulgus, cum in poematis, picturisq. laudat ea, quae laudanda non sunt, quod insit in his aliquid probi: ita fallitur, cum officium, quod perfectum non est, ideo putet esse perfectum, quia in eo, de quo iudicat, officium inesse mediū uidet: quod ob inopiam iudicij putat esse perfectum: cum a perfecto medium longe differat: quia medium illud est, cuius probabilis aliqua ratio reddi possit, caditq. in multos: perfectum autem omnes numeros habet, nec, praeter sapientem, cadere in quemquam potest. Ad illa igitur uerba, In quo media officia compareant; qua specie uulgus in errorem inducitur, & medium officium accipit pro perfecto: respondent haec inferiora, de poematis, & picturis illata, Quod insit in his aliquid probi, ut duorum uulgi errorum duae causſae ponantur, una, quae ad officium, altera, quae ad poemata, picturasq. pertineat. *Poematis*: sic in Nonio: sic & in duobus meis, & Tertij. ET *in picturis* § inde, Ne sutor ultra crepidam. Vide Aristotelem in Poetica. *Et in picturis*: τὸ, Et, non est in tribus, & Tertij. τὸ, In, non est in sex. Inq. picturis, duo. NON *sint*; § Sunt, septem mei. QVI *quidem*, § Qui idem, quattuor, & Tertij. Qui ijdem, duo. QVAM *secunda* § quia non idem est officium, & honestum, sed ex honesto nascitur officium. Metaphora a Secundario pane, & Secundario uino. ITAQVE *his omnes*, § sic emendaui, aduersantibus omnibus ueteribus libris, postulante sententia. COMMOVENTVR. § afficiuntur, ad bene agendum adducuntur. FORTITVDINIS, § quia pro rep. mortem libenter oppetiuerunt. VT *sapientem intelligi hic uolumus*: § Vt sapientem uolumus intelligi, tredecim, & Tertij. NEC *illi quidem septem*; § Pittacus Mityleneus, Periander Corinthius, Thales Milesius, Solon Athenienſis, Chilon Lacedaemonius, Cleobolus Lindius, Bias Prienaeus. Quorum sententiae memorantur:

Optimus est, Cleobulus ait, modus, incola Lindi.
Ex Ephyra Periandre doces, cuncta & meditanda.
Tempus nosce, inquit Mitylenis Pittacus ortus.
Plures esse malos, Bias autumat ille Prienaeus.
Milesiusq. Thales, sponsori damna minatur.
Nosce, inquit, tete, Chilon Lacedaemone cretus.
Cecropiusq. Solon, ne quid nimis, induperabit.

Vide Hyginium, in Fabulis, cap. 221. & Laertium. *Ne illi quidem septem*: Ne, duo, & Tertij. VTILIS § sic undecim mei, & Tertij. Vtili, duo. Vtilitatis, unus. COMPARARI: § sic octo mei, & Tertij. Comparare, sex. QVOD *in nostram intelligentiam cadit*, § ex quo medium oritur officium. EST *nobis*, § ord. praep. nouem mei, & Tertij. ALITER *enim teneri non potest, si qua ad uirtutem est facta progressio*. § Si quae, unus, & Tertij. Fuit, cum legendum opinarer: Aliter enim teneri non potest, quam si ad uirtutem est facta progressio.

CICERO

SED *haec quidem de ijs, qui conseruatione officiorum existimantur boni. Qui autem omnia metiuntur emolumentis, & commodis, neque ea uolunt praeponderari honestate, hi solent in deliberando honestum cum eo, quod utile putant, comparare; boni uiri non solent. itaque existimo Panaetium, cum dixerit, homines solere in hac comparatione dubitare, hoc ipsum sensisse, quod dixerit, solere modo, non etiam oportere. etenim non modo pluris putare, quod utile uideatur, quam quod honestum, sed haec etiam inter se comparare, & in his dubitare, turpissimum est. Quid est ergo, quod non numquam addubitationem afferre soleat, considerandumq. uideatur? credo, si quādo dubitatio accidit, quale sit id, de quo consideretur. saepe enim tempore fit, ut, quod plerumque turpe haberi soleat, inueniatur non esse turpe. exempli causſa, ponatur aliquid, quo patea latius. Quod potest*

esse maius scelus, quam non modo hominem, sed etiam familiarem occidere? num igitur se adstrinxit scelere, si quis tyrannum occidit, quamuis familiarem? populo quidem Romano non uidetur: qui ex omnibus praeclaris factis illud pulcherrimum existimat. uicit igitur utilitas honestatem; immo uero honestas utilitatem secuta est. itaque, ut sine ullo errore dijudicare possimus, si quando cum illo, quod honestum intelligitur, pugnare id uidebitur, quod appellamus utile; formula quaedam constituenda est; quam si sequemur in comparatione rerum, ab officio numquam recedemus. erit autem haec formula Stoicorum rationi, disciplinaeq. maxime consentanea, quam quidem in his libris propterea sequimur, quod, quamquam a ueteribus Academicis, & Peripateticis uestris, qui quondam idem erant, qui Academici, quae honesta sunt, anteponuntur iis, quae uidentur utilia; tamē splendidius haec ab eis, dißeruntur, quibus quidquid honestum est, idem utile uidetur, nec utile quidquam, quod non honestum; quam ab iis, quibus est honestum aliquod non utile, aut utile non honestum. nobis autem nostra Academia magnam licentiam dat, ut, quodcumque maxime probabile occurrat, id nostro iure liceat defendere. sed redeo ad formulam. Detrahere igitur aliquid alteri, & hominem hominis incommodo suum augere eommodum, magis est contra naturam, quam mors, quam paupertas, quam dolor, quam cetera, quae possint aut corpori accidere, aut rebus externis. nam principio tollit conuictum humanum, & societatem. si enim sic erimus affecti, ut propter suum quisque emolumentum spoliet, aut uiolet alterum: disrumpi necesse est eam, quae maxime est secundum naturam, humani generis societatem. ut, si unum quodque membrum sensum hunc haberet, ut posse putaret se ualere, si proximi membri ualetudinem ad se traduxisset, debilitari, & interire totum corpus necesse esset: sic si unusquisque nostrum rapiat ad se commoda aliorum, detrahatque, quod cuique possit, emolumenti sui gratia; societas hominum, & communitas euertatur, necesse est. nam, sibi ut quisq. malit, quod ad usum uitae pertineat, quam alteri, acquirere, concessum est non repugnante natura. illud quidem natura non patitur, ut aliorum spoliis nostras facultates, copias, opes augeamus. neque uero hoc solum natura, ideſt iure gentium, sed & legibus populorum, quibus in singulis ciuitatibus resp. continētur, eodem modo constitutum est, ut nō liceret, sui commodi causſa, nocere alteri. hoc enim spectant leges, hoc uolunt, incolumem esse ciuium coniunctionem: quam qui dirimunt, eos morte, exsilio, uinculis, damno coercent. atque hoc multo magis exigit ipsa naturae ratio, quae est lex diuina, & humana: cui parere qui uelit, (omnes autem parebunt, qui secundum naturam uolunt uiuere) numquam committet, ut alienum appetat, & id, quod alteri detraxerit, sibi assumat. etenim multo magis est secundum naturam celsitas animi, & magnitudo, itemq. comitas, iustitia, liberalitas, quam uoluptas, quam uita, quam diuitiae. quae quidem contemnere, & pro nihilo ducere, comparantem cum utilitate communi, magni animi, & excelsi est. Detrahere autem alteri, sui commodi causſa, magis est contra naturam, quam mors, quam dolor, quam cetera generis eiusdem: itemq. magis est secundum naturam, pro omnibus gentibus, si fieri possit, conseruandis, aut iuuandis, maximos labores, molestiasq. suscipere; imitantes Herculem illum, quem hominum fama, beneficiorum memor, in concilio caelestium collocauit; quam uiuere in solitudine, non modo sine ullis molestijs, sed etiam in maximis uoluptatibus, abundantem omnibus copys, ut excellas etiam pulchritudine, & uiribus. quocirca optimo quisque, splendidissimoq. ingenio longe illam uitam huic anteponit. ex quo efficitur, hominem, naturae oboedientem, homini nocere non posse. Deinde, qui alterum uiolat, ut ipse aliquid commodi consequatur; aut nihil se existimat contra naturam facere; aut magis fugiendum censet mortem, paupertatem, dolorem, amissionem etiam liberorum, propinquorum, amicorum, quam facere cuiquam iniuriam. si nihil existimat contra naturam fieri hominibus uiolandis: quid cum eo disseras, qui omnino hominem ex homine tollat? sin fugiendum id quidem cēset, sed multo illa peiora, mortem, paupertatē, dolorem: errat in eo, quod ullum aut corporis, aut fortunae uitium, animi uitys grauius existimat.

EXPLANATIO

IN *his dubitare*, § Addubitare, undecim, & Tertij. ADDVBITATIONEM § Dubitationem, septem, & Tertij. QVALE *sit id*, § honestum, an turpe; utile, an pernicioſum; cohaereat ne utilitas cum honestate, an ab ea segregetur, honestas. PLERVMQVE *turpe* § ord. praep. septem, & Tertij. QVOD *potest &c.* § Valerius Poplicola legem tulit, ut tyrannum indicta causſa occidere liceret. Et Isocrates in orat. pro Pace, scribit Lacedaemonios tyrannicidis praemia decreuisse. ESSE *maius scelus*, § Maius esse scelus, sex mei. Duo, & Tertij non habent τὸ Esse. SED *etiam familiarem occidere?* § omnes libri ueteres, Sed etiam familiarem hominem occidere? Venusta repetitione. ADSTRINXIT *scelere*, § sic octo mei, & Tertij. Vnus, Abstrinxit, mendose. Quinque, Obstrinxit. Vtrumque Ciceroni usitatum. VICIT *igitur utilitas honestatem*: § de praeterito loquitur, quia iam Caesaris necem latenter significauit. Ergo, pro Igitur, est in septem, & Tertij. HONESTAS *utilitatem secuta est.* § sic decem, & Tertij. Tres, Consecuta est. Vnus, Honestatem utilitas consecuta est. QVAM *si sequemur* § Ouidius: Metam. VII.

-- aliudq. cupido,
Mens aliud suadet: uideo meliora, proboque,
Deteriora sequor.

Quod sumpsit ex Euripide, Medea:

Τὰ χρὴ ἐπισάμεσθα, μᾶλλον γιγνώσκομεν, οὐκ ἐκτολεῦμεν δέ.

AB *officio numquam recedemus.* § omnia recte faciemus, omnem iustam reprehensionem cauebimus. QVAMQVAM *a ueteribus Acad.* § Quamquam & a ueteribus Acad. sex, & Tertij. ET *Peripateticis* § Et a Peripat. sex, & Tertij. NOSTRIS, § Vestris, tres, & Tertij. QVI *quondam idem erant, qui Academici.* §

demici, ʒ Verba illa, Qui Academici, ante decem annos delenda opinatus sum. uideo nunc meam opinionem confirmari uno meo uetere libro. Fuluius quoque Vrsinus testatur se ea non reperisse in uno suo. QVIBVS *est honestum aliquod non utile*, ʒ Quibus & honestum aliquid non utile, tredecim, & Tertij. in uno haec omnia, sequentiaq. desunt, scriptoris uitio. NOSTRA *Academia* ʒ cui Cicero suam eloquentiam acceptam fert. MAXIME *probabile* ʒ sequitur enim uerisimilia, uerum esse nihil affirmat. ALIQVID *alteri*, ʒ ord. praep. quinque, & Tertij. τὸ, Alteri, non est in uno. HOMINEM *hominis incommodo suum augere commodum*, ʒ Terentius, Andr. act. 4. sc. 1.

Hoccine credibile est, aut memorabile,
Tanta uaecordia innata cuiquam ut siet,
Vt malis gaudeant, atque ex incommodis
Alterius sua ut comparent commoda.

RAPIAT *ad se commoda* ʒ Ad se rapiat commoda, decem, & Tertij. Vnus non habet, Ad se. SIBI *ut quisque malit*, ʒ Vt sibi quisque malit, sex. SED *& legibus* ʒ Etiam, pro Et, est in nouem, & Tertij. RESP. *continentur*, ʒ Resp. continetur, duodecim, & Tertij. VT *non liceret*, ʒ Vt non liceat, tredecim, & Tertij. EOS *morte, exsilio, uinculis, damno coercent*. ʒ supplicij genera quattuor. ATQVE *hoc multo magis exigit ipsa naturae ratio*, ʒ Exigit, pro, Postulat, dictum est. & uis etiam maior est in, Exigit, quam in, Postulat: cum exigantur nostra, postulentur etiam aliena. Natura autem in eo quasi suum exigit, cum homines congregari, consociariq. uult, cui non oboedire nefas est. Haec sententia, atque haec lectio mihi magis placet, quam, Efficit naturae ratio, quod habent plerique ueteres libri. non enim hic natura efficit, sed exigit, & efficit in ijs, qui parent: non parere autem omnes, satis constat. Propterea sequitur, Cui qui parebunt. Meam opinionem sententia confirmat, & unus ex meis libris ueteribus. Vnus, Eligit, mendose. LEX *diuina, & humana*: ʒ *Diuina*, diuinitus insita mensibus hominum; *Humana*, consensu generis humani comprobata. Chrysippus Legem definiuit πάντων βασιλέα θειῶν τε, καὶ ἀνθρωπείων πραγμάτων. VOLVNT *uiuere*) ʒ Volent, quattuor, & Tertij. CELSITAS *animi, & magnitudo*, ʒ Excelsitas, omnes libri ueteres. DETRAHERE *autem alteri* ʒ sic quattuor. nouem, & Tertij, Detrahere autem de altero. Ergo, pro, Autem, unus. AVT *iuuandis* ʒ Ac, undecim. IMITANTES ʒ Imitantem, septem, & Tertij. HERCVLEM ʒ dictus Ἡρακλῆς, quasi ἀνδρῶν κλέος, Fulgentio; uel, quasi ἡρώων κλέος, alijs. Macrobio, quasi ἥρας κλέος. De eius laboribus Ouid. Metam. ix. Diodorus Siculus lib. v. Hyginus cap. 30. SPLENDIDISSIMO Q. *ingenio* ʒ duodecim, & Tertij, Et splendidissimo ingenio. DEINDE, *&c.* ʒ argumentum contra eos, qui alieno incommodo suum augent commodum. CONTRA *naturam facere*; ʒ sic Tertij liber. alij omnes, Facere contra naturam. MAGIS *fugiendum censet* ʒ decem, & Tertij, Magis fugiendam censet. duo, Magis fugiendam esse censet. duo, Magis esse fugiendum censet. HOMINEM *ex homine tollat*? ʒ neget, quod hominis proprium est: intelligere scilicet, quid natura humana postulet. SED *multo illa peiora*, ʒ Et multo illa peiora, tres, & Tertij.

CICERO

ERGO *unum debet esse omnibus propositum, ut eadem sit utilitas uniuscuiusque, & uniuersorum: quam si ad se quisque rapiat, dissoluetur omnis humana consortio. atque, si etiam hoc natura praescribit, ut homo homini, quicumque sit, ob eam ipsam caussam tamen, quod is homo sit, consultum uelit: necesse est, secundum eandem naturam, omnium utilitatem esse communem. quod si ita est; una continemur omnes, & eadem lege naturae. idq. ipsum si ita est; certe, uiolare alterum, lege naturae prohibemur. uerum autem primum: uerum igitur & extremum. Nam illud quidem absurdum est, quod quidam dicunt, parenti se, aut fratri nihil detracturos, commodi sui caussa; aliam rationem esse ciuium reliquorum. hi sibi nihil iuris & nullam societatem communis utilitatis caussa statuunt esse cum ciuibus: quae sententia omnem societatem distrahit ciuitatis. Qui autem ciuium rationem dicunt esse habendam, externorum negant; hi dirimunt communem humani generis societatem: qua sublata, beneficentia, liberalitas, bonitas, iustitia funditus tollitur. quae qui tollunt, etiam aduersus deos immortales impij iudicandi sunt. ab ijs enim constitutam inter homines societatem euertunt: cuius societatis artissimum uinculum est, magis arbitrari esse contra naturam, hominem homini detrahere, sui commodi caussa, quam omnia incommoda subire, uel externa, uel corporis, uel etiam ipsius animi, quae uacent iustitia. haec enim uirtus omnium est domina, & regina uirtutum. Forsitan quispiam dixerit: non ne igitur sapiens, si fame ipse conficiatur, abstulerit cibum alteri, homini ad nullam rem utili? Minime uero. non enim mihi est uita mea utilior, quam animi talis affectio, neminem ut uiolem commodi mei gratia. Quid? si Phalarim, crudelem tyrannum, & immanem, uir bonus, ne ipse frigore conficiatur, uestitu spoliare possit, non ne faciat? Haec ad iudicandum sunt facillima. nam, si quid ab homine, ad nullam partem utili, utilitatis tuae caussa detraxeris, inhumane feceris, contraq. naturae legem. sin autem is tu sis, qui multam utilitatem reip. atque hominum societati, si in uita remaneas, afferre possis: si quid ob eam caussam alteri detraxeris, non sit reprehendendum. sin autem id non sit eiusmodi; suum cuique incommodum ferendum est potius, quam de alterius commodis subtrahendum. Non igitur magis est contra naturam morbus, aut egestas, aut quid eiusmodi, quam detractio, atque appetitio alieni. sed communis utilitatis derelictio contra naturam est: est enim iniusta: itaque lex ipsa naturae, quae utilitatem hominum conseruat, & continet, decernit profecto, ut ab homine inerti, atque inutili, ad sapientem, bonum, fortemq. uirum transferantur res, ad uiuendum necessariae; qui si occiderit, multum de communi utilitate detra-

detraxerit: modo hoc ita faciat, ut ne, ipse de se bene existimans, seseq. diligens, hanc causſam habeat ad iniuriã. itaque semper officio fungatur, utilitati consulens hominum, & ei, quam saepe commemoro, humanae societati. Nam, quod ad Phalarim attinet, perfacile iudicium est. nulla est enim societas nobis cum tyrannis, sed potius summa distractio: neque est contra naturam, spoliare eum, si possis, quem honestum est necare. atque hoc omne genus pestiferum, atque impium ex hominum communitate exterminandum est. etenim, ut membra quaedam amputantur, si & ipsa sanguine, & tamquam spiritu carere coeperunt, & nocent reliquis partibus corporis: sic ista in figura hominis feritas, & immanitas belluae a communi tãquam humanitate corporis segreganda est. huius generis quaestiones sunt omnes eae, in quibus ex tempore officium exquiritur.

EXPIANATIO

DISSOLVETVR *omnis &c.* § sic omnes libri ueteres. CONSORTIO. § antea, Consociatio. male. Sic enim omnes libri ueteres, & Nonius, qui haec recitat in uerbo, Consortio: Dissoluetur necesse est omnis humana consortio. Citat autem & Lucilium lib. XIX. Deierat enim scripsisse, & post non scripturum. redi in consortionem. Et T. Liuium: Quaenam ista suauitas? quaenam consortio est? § TAMEN, *quod is homo sit*, § τὸ Tamen, non est in undecim meis, & Tertij. LEGE *naturae prohibemur*. § ord. praep. Naturae lege prohibemur, undecim, & Tertij. Iure prohib. unus. Lege prohib. duo. VERVM *igitur & extremum*. § τὸ, Et, non est in omnibus libris ueteribus. AVT *fratri* § Ouidius:

Fratrum quoque gratia rara est?

DETRACTVROS *commodi sui causſa*: § Sui commodi, undecim, & Tertij. QVAE *uacent iustitia*. § sic decem mei, & Tertij. Duo, Quae uacant iustitia. Vnus, Que no uacet iustitia. Vbaldinus, Quae uacent iniustitia. EST *uita mea utilior*, § sic omnes, & Terttij, uno excepto, in quo τὸ, Mea, non est. NAM, *si quid ab homine ad nullam partem utili utilitatis tuae causſa detraxeris*, § sic septem, & Tertij. τὸ Vtili, non est tribus. Quattuor, Nam si quid ab homine utili ad nullam partem utilitatis causſa detraxeris. Placet, quod impressum est. Comparat enim utilitatem propriam cum publica. propriam ui, & iniuria quaerendam non esse docet; publicam, uel si cum alterius damno coniungatur, non esse reprehendendam. Vtilitatis, inquit, tuae causſa, si quid ab homine, quamquam ad nullam partem utili, detraxeris, inhumane feceris, contraq. naturae legem; sin autem non tuae, sed publicae utilitatis causſa, aliquid alicui detraxeris, id uero non esse reprehendendum. Hunc sensum qui non uiderunt, locum tenere immutarunt; nulla, cur mutarent, in suis Annotationibus ratione allata. QVI *multam utilitatem reip.* § communis utilitas priuatae anteponenda. SIN *autem id non sit eiusmodi*; § ideſt: si tu reip. multum commodare non possis: si sis homo plebeius, & unus de multis. sic decem mei, & Tertij. τὸ, Autem, non est in uno. Sin autem is non sit eiusm. duo. SVVM *cuique incommodum* § Terentius:

Non tu tuum malum aequo animo feres?

SVBTRAHENDVM § Detrahendum, tredecim, & Tertij. FORTEMQ. *uirum* § Que, coniunctio, non est in septem, & Tertij. HANC *causſam habeat ad iniuriam*. § quae leuissima est: grauior autem ratio societatis humanae. ITAQVE *semper off. fung.* § Ita, unus, & Tertij. FVNGATVR, § sic unus. unus, Fungitur. duodecim, & Tertij, Fungetur. DISTRACTIO: § sic undecim mei. Tertij liber, *Deflectio*, § littera superius notata. Vnus, Distinctio. Duo, Detractio. NEQVE *est contra naturam*, § a maiore ad minus. QVEM *honestum est necare*. § Est honestum, octo, & Tertij. VT *membra quaedam amputantur*, § Ouidius 1. Metam.

--Sed immedicabile uulnus
Ense recidendum, ne pars sincera trahatur.

A *communi tamquam humanitate corporis segreganda est.* § sic omnes libri ueteres. Muretus, A communi tamquam humanitatis corpore segreg est.

CICERO

EIVSMODI *igitur credo res Panaetium persecuturum fuisse, nisi aliquis casus, aut occupatio consilium eius peremisset. ad quas ipsas consultationes ex superioribus libris satis multa praecepta sunt, quibus perspici possit, quid sit propter turpitudinem fugiẽdum; quid sit id, quod iccirco fugiendum non sit, quia omnino turpe non est. Sed, quoniam operi inchoato, prope tamen absoluto, tamquam fastigium imponimus; ut geometrae solent non omnia docere, sed postulare, ut quaedam sibi concedantur, quo facilius, quae uelint, explicent: sic ego a te postulo, mi Cicero, ut mihi concedas, si potes, nihil praeter id, quod honestum sit, esse propter Cratippum: at illud certe dabis, quod honestum sit, id esse maxime propter se expetendum. mihi utrumuis satis est; & cum hoc, tum illud probabilius uidetur, nec praeterea quidquam probabile. Ac primum Panaetius in hoc loco defendendus est, quod non, utilia cum honestis pugnare, dixerit aliquando posse, (neque enim ei fas erat) sed ea, quae uiderentur utilia. nihil uero utile, quod non idem honestum; nec honestum, quod non idem utile sit; saepe testatur: negatque, ullam pestem maiorem in uitam hominum inuasisse, quam eorum opinionem, qui ista distraxerint. itaque, non, ut aliquando anteponeremus utilia honestis, sed ut ea sine errore diiudicaremus, si quãdo incidissent, induxit eam, quae uideretur esse, non quae esset, repugnantiam. Hanc igitur partem relictam explebimus, nullis admiculis, sed, ut dicitur, Marte nostro. neque enim quidquam de hac parte post Panaetium explicatum est, quod mihi probaretur, de ijs, quae in manus meas uenerunt. Cum igitur aliqua species utilitatis obiecta est, nos commoueri necesse est.*

est. sed si, cum animum attenderis, turpitudinem uideas adiunctam ei rei, quae speciem utilitatis attulerit: tunc utilitas non requirenda est; sed intelligendum, ubi turpitudo sit, ibi utilitatem esse non posse. quod si nihil est tam contra naturam, quam turpitudo; (recta enim, & conuenientia, & constantia natura desiderat, aspernaturq. contraria) nihilq. tam secundum naturam, quam utilitas: certe in eadem re utili turpitudo esse non potest. itemque, si ad honestatem nati sumus: eaq. aut sola expetenda est, (ut Zenoni est uisum;) aut certe omni pondere grauior est habenda, quam reliqua omnia; quod Aristoteli placet: necesse est, quod honestum sit, id esse aut solum, aut summum bonum; quod autem bonum, id certe utile; itaque, quidquid honestum, id utile. quare error hominum non proborum cum aliquid, quod utile uisum est, arripuit, id continuo secernit ab honesto. hinc sicae, hinc uenena, hinc falsa testamenta nascuntur, hinc furta, hinc peculatus, expilationes, direptiones q. sociorum, & ciuium: hinc opum nimiarum potentiae non ferendae: postremo etiam in liberis ciuitatibus exsistunt regnandi cupiditates: quibus nihil nec taetrius, nec foedius excogitari potest. emolumenta enim rerum fallacibus iudicijs uident; poenam, non dico legum, quas saepe perrumpunt, sed ipsius turpitudinis, quae acerbissima est, non uident. Quamobrem hoc quidem deliberantium genus pellatur e medio; (est enim totum sceleratum, & impium) qui deliberant, utrum id sequantur, quod honestum esse uideant, an se scientes scelere contaminent. in ipsa enim dubitatione facinus inest, etiam si ad id non peruenerint. ergo ea deliberanda omnino non sunt, in quibus est turpis ipsa deliberatio.

EXPLANATIO

ALIQVIS *casus*, § Tertij liber, Aliqui. Vnus, Alius. reliqui, Aliquis. CONSILIVM *eius* § nouem, & Tertij ord. praep. PEREMISSET. § ideſt, ſuſtuliſſet. ſic omnes libri ueteres. Pro Plancio, Reditum perimere. Pro Sextio, Niſi mors peremiſſet. QVIA *omnino turpe* § Quod, pro Quia, eſt in ſex, & Tertij. NON *est*. § Non ſit, decem, & Tertij. PROPE *tamen absoluto*, § Fuluius Vrſinus pro Tamẽ, reponit Iam, ex antiquo libro. cum quo facit, licet mendoſe, unus ex meis, in quo eſt, Proprie iam abſoluto. POSTVLARE, § unde Poſtulata Geometrarum; Caſsiodoro, Petitiones; Euclidi, Αἰτήματα; Martiano Capellae, Concedenda. Geometrae, inquit Cicero in Lucullo, profitentur non perſuadere, ſed agere; & omnia, quae deſcribunt, probant. QVO *facilius, quae uelint, explicent*: § quo facilius auditor rudis, ſubtilium rationum nondum capax, inſtituatur, doctrinam intelligat. SI *potes*, § quod uereor, ne non poſsis: quia repugnat Peripateticae doctrinae, cui tu operam das. NIHIL *praeter id, quod honestum sit, esse propter se expetendum*. § ſic decem mei. Quattuor, & Tertij, N. p. i, q. h. ſ, propter ſe eſſe expetendũ. Fuluius Vrſinus ex antiquo libro, Quod honeſtum ſit, id eſſe maxime propter ſe expetendum. CRATIPPVM: § qui ex Peripateticorum ſententia non putat, ut Stoici, ſolum honeſtum propter ſe expetendum, ſed maxime propter ſe, non tamen ſolum. MIHI *uerumuis satis est*; § & Peripatetica ratione, & Stoica ſemper honeſtas utilitati praeferenda. HOC, § honeſtum Peripateticorum. ILLVD § honeſtum Stoicorum. ad probandum id, quod probare conabitur, nihil utile, quod non honeſtum. TVM *hoc, tum illud* § Academicam inconſtantiam arguit. de qua poſsit dici illud Homeri:

Τοῖος γὰρ νόος ἐστὶν ἐπιχθονίων ἀνθρώπων,
Οἷόν ἐπ' ἦμαρ ἄγησι πατὴρ ἀνδρῶν τε, θεῶν τε. Ideſt:
Tales ſunt hominum mentes, quali pater ipſe
Iuppiter auctiferas luſtrauit lampade terras.

PANAETIVS *in hoc loco defendendus est*, § In hoc Panaetius defendendus eſt, octo, & Tertij. DIXERIT *aliquando posse*, § quinque, & Tertij, Aliquando poſſe dixerit. (NEQVE *enim ei fas erat*) § nam in honeſto ſita eſſe bona omnia Stoici dicebant. NEC *honestum, quod* § Nihil, pro Nec, ſeptem, & Tertij. IN *uitam hominum* § ſic ſeptem, & Tertij. Quinque, In uita. Duo, Vitam, abſque τὸ In. EORVM *opinionem, qui ista distraxerint*. § qui putarint honeſtatem ab utilitate ſegregatam eſſe, aut contra. QVOD *mihi probaretur*, § Quod quidem mihi probaretur, ſeptem, & Tertij. NOS *commoueri* § Nos, abeſt ab undecim, & Tertij. *Nos commoueri necesse est*: non poſſumus eam rem non expetere, quae uel uires, uel uoluptates corporis auctura ſit, uel incrementa opum, & dignitatis allatura. SPECIEM *utilitatis* § proprie: quia utilitas eſſe non poteſt, ubi turpitudo eſt. VTILITAS *non requirenda est*; § Non utilitas requirenda eſt, octo, & Tertij. (RECTA § cum prudentia, & iuſtitia conſentientia. CONVENIENTIA, § τὸ πρέπον. CONSTANTIA § hoc refertur ad animi magnitudinem, ſiue fortitudinem. NIHIL Q. § ſic undecim mei, & Tertij. ſicq. impreſſum in libris noſtris ante me natum. Vt mirer, eſſe, qui locum ſe emendaſſe nuper ſcribant, & Que coniunctionem addidiſſe. IN *eadem re utili turpitudo esse non potest*. § Vtilitas, pro Vtili, eſt in duobus. AD *honestatem* § ad animi incolumitatem. ZENONI § Citiaeo, Stoicae diſciplinae principi. Laertius. OMNI *pondere grauior* § alludit ad Critolai Peripatetici libram. GRAVIOR *est habenda*, § quinque, & Tertij non habent τὸ Eſt. AVT *solum, aut summum bonum*; § *Solum*, ut Stoicis; *Summum*, ut Ariſtoteli placet. ITAQVE, *quidquid honestum*, § Ita, undecim, & Tertij. ID *utile*. § Duo, Id eſt utile. Vnus, Idem eſt utile. ARRIPVIT, § ſic undecim, & Tertij. Arripuerit, unus. Apripiunt, unus. Atripit, unus. SECERNIT § ſic decem, & Tertij. Vnus, Secreuit. Tres, Seceſſit. SECERNIT *ab honesto*. § nihil penſi habet, quantumuis turpe, & flagitioſum ſit. HINC *furta, hinc peculatus*, § ſic duo mei. Hinc furta, & pec. unus. Hinc furta, pec. undecim, & Tertij. OPVM *nimiarum potentiae non ferendae*: § quas reip. perniciosas eſſe, ſcribit Plato in Politicis. NEC *taetrius, nec foedius* § Taetrum opponitur Claro, Foedum Pulchro. LE-

GVM,

GVM, *quas saepe perrumpunt*, ⁊ ut aranearum telas. Sic lib. 1. de Leg. Perrumpere telas dixit. Ad Anacharsidis dictum alludit, de Solonis legibus. IPSIVS *turpitudinis, quae acerbissima est*, ⁊ mala scilicet conscientia. Hinc alibi: Sua quemque fraus, suum facinus, suum scelus, sua audacia de sanitate, ac mente deturbat. Demosthenes: Ἡ τῶν πραγμάτων αἰσχυνὴ οὐδεμιᾶς ἐλάττων ζημίας τοῖς γε σώφροσι. QVOD *honestum esse uideant*, ⁊ Videatur, duo. Videant, prius in Tertij libro sed postea, linea superinducta, factum, Videant. IN *ipsa enim dubitatione facinus inest, etiam si ad id non peruenerint*. ⁊ Libro primo: Bene praecipiunt, qui uetant quidquam agere, quod dubites, aequum sit, an iniquum? aequitas enim lucet ipsa per se: dubitatio cogitationem significat iniuriae. Sic Glaucus Lacedaemonius, oraculum sciscitans, an periurio depositum abnegaret, Pythia, interitum generis comminata, ueniam petenti, respondit: Τὸ πειρηθῆναι τοῦ θεοῦ, ἢ ποιῆσαι, ἴσον δύναται: Cum tentaris Apollinem, perinde est, ac si facinus admisisses. Iuuenalis Sat. XIII.

Has patitur poenas peccandi sola uoluntas.
Nam, scelus intra se tacitum qui cogitat ullum,
Facti crimen habet.

Etiam si ad id non peruenerint: Ouidius III. Amorum:

Vt iam seruaris bene corpus, adultera mens est,
Nec custodiri, ni uelit, ulla potest.

CICERO

ATQVE *etiam in omni deliberatione, celandi, & occultandi spes, opinioq. remouenda est. satis enim nobis (si modo in philosophia aliquid profecimus) persuasum esse debet, si omnes deos, hominesq. celare possimus, nihil tamen auare, nihil iniuste, nihil libidinose, nihil incontinenter esser faciendum. hinc ille Gyges inducitur a Platone: qui, cum terra discessisset magnis quibusdam imbribus, in illum hiatū descendit, aeneumq. equum, ut ferunt fabulae, animaduertit, cuius in lateribus fores essent: quibus apertis, hominis mortui uidit corpus, magnitudine inusitata, anulumq. aureum in digito: quem ut detraxit, ipse induit: (erat autem regius pastor) tum in concilium pastorum se recepit. ibi cum palam eius anuli ad palmam conuerterat, a nullo uidebatur, cum in lucem anulum inuerterat. itaque, hac opportunitate anuli usus, reginae stuprum intulit: eaq. adiutrice, regem dominum interemit, sustulitq. quos obstare arbitrabatur: nec in his quisquam eum facinoribus potuit uidere. sic repente anuli beneficio rex ortus est Lydiae. Hunc igitur ipsum anulum si habeat sapiens, nihil plus sibi licere putet peccare, quam si non haberet. honesta enim bonis uiris, non occulta, quaeruntur. Atque hoc loco philosophi quidam, minime mali illi quidem, sed non satis acuti, fictam, & commenticiam fabulam dicunt prolatam a Platone. quasi uero ille, aut factum id esse, aut fieri potuisse, defendat. Haec est uis huius anuli, & huius exempli; si nemo sciturus, nemo ne suspicaturus quidem sit, cum aliquid diuitiarum, potentiae, dominationis, libidinis caussa feceris, si id dijs, hominibusq. futurum sit semper ignotum, sis ne facturus. negant id fieri posse. quamquam non potest id quidem: sed quaero, quod negant posse, id si posset, quidnam facerent? urgent rustice sane; negant enim posse, & in eo perstant: hoc uerbum quid ualeat, non uident. cum enim quaerimus, si possint celare, quid facturi sint; non quaerimus, possint ne celare; sed tamquam torméta quaedam adhibemus, ut, si responderint, se impunitate proposita, facturos, quod expediat, tacinorosos se esse fateantur; si negent, omnia turpia per se ipsa fugienda esse, concedant. Sed iam ad propositum reuertamur.*

EXPLANATIO

SI *omnes deos, hominesq. celare possimus*, ⁊ delictis igitur, etiam occultis, abstinendum. Infra: Vir bonus ui non utatur, ne si exploratum quidem habeat, id omnino neminem umquam suspicaturum. HINC *ille Gyges inducitur a Platone*: ⁊ lib. 2. Polit. Herodotus autem lib. 1. multo aliter rem narrat: nec ullam anuli mentionem facit. & Iustinus lib. 1. Vide & Sudam, & Adagia. Imperauit Gyges apud Lydos quinctus rex, quo tempore Romae Numas. Apollinem Pythium scisciatus, an aliquis se esset felicior, (Graecis autem dictus πολύχρυσος) oraculum illi Aglaum quendam Arcadum pauperrimum praetulit, aetate iam seniorem, qui agelli sui terminos numquam excesserat, paruuli ruris fructibus, ac uoluptatibus contentus. Vide Valerium lib. VII. cap. 1. & Plinium lib. VII. cap. 46. CVM *terra discessisset*, ⁊ sic undecim, & Tertij. Vnus, Dixisset, Vnus, Diseisisset, Vnus, Discendisset. male. Alij legunt, Desedisset, Discesisset, autem legit & Nonius, interpretans Hiasset, Diuisa esset, Distensa. citans & Sisennam hist. IV. Armata dextera ducti, magisq. in latitudinem discedunt. Ita quoque uidetur legisse & D. Ambrosius lib. III. cap. 5. HOMINIS *mortui uidit corpus* ⁊ sic quattuor. Vnus, Corpus mortui hominis uidit. Vnus, Corpus hominis uidit mortui. Septem, & Tertij, Corpus hominis mortui uidit. REGIVS *pastor*) ⁊ Herodotus satellitem fuisse scribit, Dascyli filium. PALAM ⁊ fundam, uacuum illud in anulo, quo gemma includitur, σφενδόνην. sic enim Plato lib. 2. de rep. Τὴν σφενδόνην ἔξωθεν ἐφάπτεται. TVM *in concilium* ⁊ sic duodecim, & Tertij. Vnus non habet τὸ Tum. Vnus, Tum in concilio. IN *lucem* ⁊ In locum, antiqui libri omnes. INVERTERAT. ⁊ sic decem, & Tertij. duo, Conuerterat. Vnus, Verterat. REGINAE *stuprum intulit*; ⁊ cuius pudicitiam rex ipse, formam eius ostentando, prostituerat. Regem Candaulem, quem Graeci Myrsilum nominarunt. Herodotus. IN *his quisquam eum facinoribus* ⁊ sic duo. Quattuor, In his facinoribus eum

quis-

quiſquam. Septem,& Tertij,In his eum facinoribus quiſquam. REX *ortus* ⸗ ſic quattuor.Vnus, Rex eſt ortus. Nouem & Tertij, Rex exortus. HVNC *igitur ipſum anulum* ⸗ Ipſum, non eſt in uno: & in Tertij libro eſt additum in ora. Quattuor,Hunc igitur anulum ipſum. NIHIL *plus ſibi* ⸗ ſic undecim, & Tertij. Duo, Nihil ſibi plus. Vnus, Sibi plus nihil. PECCARE, ⸗ quidam delent hoc uerbum, quod eſt in omnibus libris ueteribus. FICTAM, *& commenticiam fabulam dicunt prolatam a Platone.* ⸗ Macrobius de Somn. Scip. lib.1.Platonem defendit contra Epicureos,quod fabulis ſit uſus.& ibidem docet, quae fabulae philoſophis ſint conceſſae. SIS *ne facturus.* ⸗ Vide Agellium lib. XII. cap. 10. Adagia, Tempus omnia reuelat. QVAMQVAM *non poteſt id quidem:* ⸗ Non, abeſt a cunctis ueteribus libris. ſed exigitur a ſententia. Loquitur enim hic Cicero ex perſona ſua. & ipſe in ea philoſophorum ſecta fuit, quae deos adminiſtrare, & ſcire omnia ſentiebat. quod illius libri perſpicue teſtantur. Quare, ne diſcedamus a mente Ciceronis,omnino inducendus eſt aliquis negandi modus. Vt ſignificetur,fieri non poſſe, ut dijs,hominibusq. occultum ſemper quidquam ſit.Nam,ſi loqueretur de ſolis hominibus, auferri negantem particulam paterer. ſed deos, homineſq. coniungit. Itaque ſuſpicor ſcriptum fuiſſe in emendatis libris, Nequaquam poteſt id quidem. Ex quo alij poſtea,errore,ac temeritate,repoſuerint, Quamquam: unde alij,examinata,& cognita ſententia,addiderint,Non,ex ingenio ſcilicet: nam,ut dixi, ueteribus in libris non exſtat. Sunt,qui legant: Neque poteſt id quidem. *Non poteſt id quidem:* nihil enim dijs, & hominibus ignotis ſemper eſſe poteſt. QVID *facturi ſint;* ⸗ ſic decem,& Tertij. Quattuor, Qui.

CICERO

INCIDVNT *ſaepe multae cauſſae, quae conturbant animos utilitatis ſpecie,non, cum hoc deliberetur, relinquenda ne ſit honeſtas propter utilitatis magnitudinem, (nam id quidem improbum eſt) ſed illud, poſſit ne id, quod utile uideatur, fieri non turpiter. Cum Collatino collegae Brutus imperium abrogabat, poterat uideri facere id iniuſte: fuerat enim in regibus expellendis ſocius Bruti, conſiliorum etiam adiutor. cum autem conſilium hoc principes cepiſſent, cognationem Superbi, nomenq. Tarquiniorum, & memoriam regni eſſe tollendam; quod erat utile patriae conſulere,id erat ita honeſtum,ut etiam ipſi Collatino placere deberet. taq. utilitas naluit propter honeſtatem: ſine qua nec utilitas quidem eſſe potuiſſet. At in eo rege,qui urbem condidit,non ita. ſpecies enim utilitatis animum pepulit eius: cui cum uiſum eſſet utilius, ſolum, quam cū altero, regnare, fratrem interemit. omiſit hic & pietatem, & humanitatem,ut id,quod utile uidebatur, neque erat,aſſequi poſſet. & tamen muri cauſsam oppoſuit ſpeciem honeſtatis,nec probabilem,nec ſatis idoneam. peccauit igitur,pace uel Quirini, uel Romuli dixerim. Nec tamen noſtrae nobis utilitates omittendae ſunt,alijsq. tradendae, cum his ipſi egeamus;ſed ſuae cuique utilitati, quod ſine alterius iniuria fiat, ſeruiendum eſt. Scite Chryſippus, ut multa; Qui ſtadium,inquit,curit,eniti, & contendere debet,quam maxime poſſit, ut uincat; ſupplantare eum, quicum certet, aut manu depellere, nullo modo debet. ſic in uita ſibi quemque petere, quod pertineat ad uſum,non iniquum eſt;alteri ſurripere,ius non eſt. Maxime autem perturbantur officia in amicitijs: quibus & non tribuere, quod recte poſſis; & tribuere, quod non ſit aequum,contra officium eſt. ſed huius generis totius breue, & non difficile praeceptum eſt. quae enim uidentur utilia,honores,diuitiae,uoluptates, & cetera generis eiuſdem, haec amicitiae numquam anteponenda ſunt. ad neque contra remp. neque contra iuſiurandum,ac fidem, amici ſui cauſſa uir bonus faciet;nec ſi iudex quidem erit de ipſo amico. ponit enim perſonam amici,cum induit iudicis. tantum dabit amicitiae, ut ueram amici cauſſam eſſe malit; ut peroranda litis tempus,quoad per leges licebit, accommodet.cum uero iurato dicenda ſententia ſit, meminerit deum ſe adhibere teſtem, ideſt, ut ego arbitror, mentem ſuam, qua nihil homini dedit ipſe deus diuinius. itaque praeclarum a maioribus accepimus morem rogandi iudicis,ſi eum teneremus,* Quae ſalua fide facere poſsit. *haec rogatio ad ea pertinet, quae paullo ante dixi honeſte amico a iudice poſſe concedi. nam,ſi omnia facienda ſint,quae amici uelint; non amicitiae tales, ſed coniurationes putandae ſunt. loquor autem de communibus amicitijs. nam in ſapientibus uiris, atque perfectis,nihil poteſt eſſe tale. Damonem, & Pythiam,Pythagoreos,ferunt hoc animo inter ſe fuiſſe,ut, cum eorum alteri Dionyſius tyrannus diem necis deſtinauiſſet, & is, qui morti addictus eſſet, paucos ſibi dies, commendandorum ſuorum cauſſa, poſtulauiſſet, uas factus ſit alter eius ſiſtendi; ut, ſi ille non reuertiſſet, moriendum eſſet ſibi ipſi. qui cum ad diem ſe recepiſſet, admiratus eorum fidem tyrānus, petiuit,ut ſe in amicitiam tertium adſcriberent. Cum igitur id, quod utile uidetur in amicitia,cum eo,quod honeſtum eſt,comparatur: iaceat utilitatis ſpecies,ualeat honeſtas.cum autem in amicitia, quae honeſta non ſunt,poſtulabuntur:religio,& fides anteponantur amicitiae:& ſic habebitur is, quem exquirimus, delectus officij.*

EXPLANATIO

INCIDVNT *ſaepe multae cauſſae,* ⸗ Tres, & Tertij, Incidunt multae ſaepe cauſſae. CONTVRBANT ⸗ Conturbent,ſex,& Tertij. COLLEGAE ⸗ Collega,tres mei. *Collegae:* in conſulatu. Liuius,Dionyſius lib.v. Plutarchus,Florus lib. 1.cap.9.Eutropius lib.1.cap.11. Auguſtinus de Ciu. Dei lib.2.cap.17. hoc Bruti facinus contra ius, & bonum factum commemorat. Obſequens obſeruatum eſſe dicit, neminem, qui magiſtratum collegae abrogaſſet,annum uixiſſe: quorum primus fuit Brutus, deinde Tiberius Gracchus,& P. Tarquinius. IN REGIBVS *expellendis,* ⸗ unum regem expulit Brutus, ſed in poſterum omnem ſuſtulit regnandi conſuetudinem. CONSILIORVM *etiam adiutor.* ⸗ Et, pro

Landesbibliothek Oldenburg

Etiam,quinque, & Tertij. Et consiliorum adiutor, duo. Consiliorum & etiam adiutor, unus. PRINCIPES *cepissent*, § Princeps cepisset, unus. IPSI *Collatino* § utpote ciui patriae studioso. NEC *utilitas quidem* § Ne,septem,& Tertij. Sine qua utilitas quidem esse non potuisset. Atque in eo rege &c. Vnus. AT *in eo rege*, § de Romuli fratricidio Augustinus de Ciu.D.lib.III.cap.6. Horatius Epodon Ode 7. Ouidius Fast.IV. SOLVM, *quam cum altero*, § sic decem mei, & Tertij. Alias legebatur, Solum se,quam cum altero. PIETATEM, § quia fratrem. HVMANITATEM, § quia hominem. MVRI *caussam* § legem enim Romulus tulerat, nequis moenia transiret. SPECIEM *honestatis*, § sic omnes libri mei,& Tertij. SATIS *idoneam*. § Sane idoneam,quattuor,& Tertij. VEL *Quirini,uel Romuli* § de Quirino,uel Romulo,Vide Lactantius lib.I.cap.15. A Quirino, Quirites; a Romulo, Romani dicti: alterum a deo,alterum ab homine nomen. CVM *his ipsi egeamus*: § proximus enim sibi quisque est,ait Comicus. SCITE *Chrysippus*, § Scite hoc Chrysippus,duo. ALTERI *surripere*, § Diripere,octo.Deripere,sex,& Tertij. PERTVRBANTVR *officia in amicitijs*: § nam propter amicos plurimum delinquitur. VOLVPTATES, *& cetera* § τὸ Et, non est in duodecim,& Tertij.Vnus, Voluptates,ceteraque. AT *neque contra remp.* § Atque,duo.Ac,unus.utrumque rectius, quam quod est impressum. FIDEM, § Fides,ut ait Cicero horum librorum primo,est,cum fit,quod dicitur. Pro Rabirio perfidiosum,& nefarium ait frangere fidem.Pro Sex. Roscio:Is,qui fidem uiolat,omne commune praesidium oppugnat.. Vide Paullum patrem ad I.epistolam Familiarium. AMICI *sui caussa* § Sui, absit a nouem meis,& Tertij. NEC *si iudex quidem* § Ne,duo,& Tertij.Neque,quattuor. NEC *si iudex quidem erit*: § amicitiam,& odium a iudice abesse debere, ait Caesar apud Sallustium. Vbi uide nostra Scholia. CAVSSAM *esse malit*; § sic octo mei,& Tertij. Sex,Caussa malit. VT *perorandae litis* § sic nouem mei.Quattuor,& Tertij, Orandae:quomodo citat & Nonius, interpretans pro Agere. Vnus, Parande. *Litis*: sic omnes mei, & Tertij. *Perorandae litis tempus*, § uide Plutarchum in Ciceronis uita,de eius praetura,in Manilij caussa.IVRATO § Iurati ij dicuntur,qui in leges, antequam iudicarent,iurare consueuerunt. ADHIBERE *testem*, § Habere,tres.IPSE *deus* § Deus ipse,quattuor,& Tertij. Deus dedit ipse diuinius,duo. DIVINIVS. § Hinc Horatius Mentem diuinae aurae particulam dicit. De Senectute ait Cicero Pythagoreos numquam dubitasse,quin homines animum haberent ex uniuersa mente diuina delibatum. QVAE *salua fide facere possit*. § Posset,quinque. PVTANDAE *sunt*. § Sint,quinque,& Tertij. IN *sapientibus uiris,atque perfectis nihil potest esse tale*. § τὸ Atque, non est in uno. Atque perfectis,absunt a duobus. In sapientibus uiris,perfectisque,nouem,& Tertij. DAMONEM, *& Pythiam*, § par amicorum,quos celebrauit antiquitas.lib.I.& 2.de Fin.Tusc.v.Valer.Max.lib.IV.cap.7. Lactantius lib.v.cap.18. Simile exemplum de Dionysio memorat Hyginius cap.257. sed ibi Moerus,& Selinuncius,nominibus,fortasse immutatis,par amicorum legitur. Paria amicorum apud antiquos, Theseus, & Pirithous;Pylades,& Orestes; Scipio,& Laelius;& hi Damon,& Pythias. *Pythiam*: Phythiam,unus. Phithiam,septem.Phitiam,duo.Pithiam,unus.Pynthiam,Tertij liber.Alij scribunt esse in scriptis libris,Pachiam,Pinthiam,Phintiam:quomodo a Plutarcho, & Pausania nominatur. Fuluius Vrsinus Numisma aereum ait esse,sic inscriptum: ΦΙΝΤΙΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. *Φίντιν*, amicum,Pindarus appellat:quasi *Φίλτιν*, siue *Φιλότιν*. DESTINAVISSET, § Destinasset,septem. COMMENDANDORVM *suorum caussa* § interpretes hoc loco scribunt,idest ut suos amicis commendaret. Quod ferri potest. Duriuscule tamen dictum mihi uidetur. Potiusq. locum corruptum opinor:legendumque, Commonendorum suorum caussa. idest, ut moneret suos, & sui exemplum ipsis proponeret.quod moribundorum e consuetudine esse, quiuis intelligit.

Monet autem hic locus peropportunus, ut ueteris testamenti faciendi ritum hic ponam, tum quia ad antiquitatis notitiam pertineat,tum etiam quia non apud omnes,quae afferam,reperiuntur: ex quibus me nō paruam apud studiosos initurum esse gratiam confido,qui haec,atque alia eiusmodi undique conquisita,studiosissime conseruaui.

L. CVSPIDII. TESTAMENTVM

DEI OPT. MAX. numine inuocato,absque cuius nutu, neque quidquam rite inchoari,neque recte perfici potest., Haec est LVCII CVSPIDII dispositio, & ultimae uoluntatis sententia, de eo quod post mortem suam fieri cupit,decernitque, si quid ex hoc morbo,quem nescit,an ferre possit,secus, ac medici promittunt,de se contigerit.Testatus autem,dum mente ualeret, sibi testamentum conficere placuisse, ut sine suorum iniuria, ex hac uita proficiscatur, haec legat. Domesticam omnem supellectilem Nonio,qui Apolloniae Rhetoricam docet,uel,si quid de eo accidisset,Nonij filijs, P. & Cn.Caecilijs. Porro, quae mihi debet Q. Aemilius, Germano Aemilio,liberisq. eius relinquo.Agros,Villasque,quascumque Liscij habeo, Domumq. consobrinis, & Lucio praecipue, quod nomen is ferat nostrum, mecumq. diutissime,atque gratissime sit commoratus,prout decet discipulum,qui filij tenet locum,tuto haec,& firmiter possidenda censemus. Fundum, quem in Tusculano colui, cui ab Aquilone publica uia, ab Austro Templum Iouis Statoris,ab Ortu Solis Sex. Pomp. ab Occasu Suillus Cincinnatus,Attico auunculo do. Dabit autem Hipparchus Philotimo Historico Talētum,& Callino Grammatico Drachmas decem.A reliqua debitione

liber

liber esto. Nisi Niccae rationem haberemus, qui nobis aliquandiu fuit perutilis, & nunc suis facultatibus magnam fecit iacturam, ob fratris naufragium, profecto, quae a nobis mutuatus est illius Procurator, statim cogeretur reddere. Quoniam uero hoc illi difficile fore animaduerti, uolo, ut singulis annis uictum necessarium Collactaneae Dorphylae suppeditet, quae consenuit in uirginitate apud Semproniam meam, cuius desiderio mortem opto, propter fidem, probitatem, fortitudinem, incredibilesq. uirtutes Vxoris rarissimae. Vbi Vetula haec decesserit, absolutus erit debito omni, & cunctis, quas contraxerat, stipulationibus. Si quid humanum Lampridio contigerit, priusquam eius liberi ad aetatem perueniant, curae sint Antiocho Rhetori: qui accipiat ex opibus nostris, quaecumque illis erunt necessaria, ut liberaliter educentur, instituanturque. Amo nimis, & ualde amo Puerorum indolem, quos ad bonam frugem natos autumo. Tu Antioche, ut dignum est tua erga me, & Lampridium uoluntate, a pueris mutuo susceptа, fac, ut eos tueare, ne aut ipsorum ingenia perdantur, aut tui labores disperdantur. Hortum, quem emi ab Herennio, & Deambulationem, Aedesq. Nestorianas, quibus a Septemtrione uicini sunt Caesariani fratres, Gracchi a Meridie, ab Occidētali plaga Mare, ab Oriente Sole Eridanus est conterminus, amicis lego, litteratas litteras doctis, Gallo, Fabio, Hirro, Ciuibusq. cunctis, qui uoluerint ibi uacare litteris, & eloquentiae: ea tamen lege, ut neque illum commutent, neque alienent, neque, ut proprium, cuiquam sit licitum possidere: Sed uelut sacrum, & commune Gymnasium, communiter ab omnibus possideatur. Eas autem, quae mihi erant in Aegina partes, diuidant Gymnasij Procuratores adolescentibus studiosis in usum librorum, & olei, Mercedemq condignam statuant Rhetori, quem delegerint patrueles nostri, & Scholae principem, maximeq. utilem futurum existimauerint. Eis uero consentiant & reliqui necessarij uel nominis gratia. Cauebunt autem ipsi, mandabuntq. Successoribus, ut locum hunc ita seruent, tradantq. posteris in perpetuum. C. Ateius, & Sex. Capito curam habeant Sepulturae, & funeris, Monumentumq. faciant, ut melius uidebitur, & iusta, quae post funus fieri solenne est, ita moderentur, ut neque illiberalia, neque superflua sint. Persuasum enim mihi est, illos, quid conueniat, honestumq. sit, uisuros haud segnius, quam nos, nihilq. negligentius facturos. De ijs autem, qui mihi seruierint, sic statuo.

Demetrio redemptionis pretium remitto, & quinque Minas do, & Pallium, & Tunicam, ut qui mihi Anagnostes fuit. Tauro, qui multum mecum, & diu laborauit, pileum do, & Talenta quattuor, ut honeste uitam degere possit. Dionysius, qui uinctus est, & Syrus fugitiuus, si perseuerauerint esse improbi, ut sunt, eos uenundari mando: &, pretio exacto, aperiri uiam ad Hortos Academicos ducentem, & iter proximum, fieri uiam, & publicam, ac uinales uias circumquaque mundari. Et Ancillam Herniam, quod uinosa est, relinquo: & famulos Maesum, quoniam erro est: & Getam, quoniam impostor: Dauum quoque, ac Maurum mancipes in perpetuum esse edico, quoniam maledici, & contumaces semper fuerunt, ut in pistrino poenas promeritas luant.

Heredem instituere reliquum est, cui fortunas meas honeste relinquam, quibus certo scio inhiare quamplurimos. Vixisses, LAETE fili, fili mi, uixisses (ut decuit) Laete, non ego nunc sollicitarer, & angerer, non cum maerore nunc cogitarem, quibus potissimum relinquam patrimonium hoc tantum, tantis curis, cruciatibus tibi uni auctum, tanta uigilantia, studio & parcimonia tibi uni a me seruatum. Ceterum, cum siue Fortuna, si qua est, illum mihi inuiderit: siue Deus potius, qui & eum dederat, abstulerit, quo domus mea omnis, resq. una mecum intereat, nefas est, Diuinae non acquiescere noluntati. His deductis Legatis, cum duos fratris Agathonis filios, totidemq. filias habeam, ex utrisque mihi heredes instituam oportet. In quo tamen (me me tristissimum) etiam atque etiam prouidendum mihi est, ne quid agam, statuamue, quod minus honestum illis, & conueniens, quodq. minus aequum, laudabileue alijs factum uideatur. Igitur Titus, & Cnaeus Cuspidij ita mihi heredes sunto, ut, qui plus Reipub. praestiterit, habeat Domos, Agros, Hortos, Oliueta, & quaecumque Scodrae possedi: Qui minus profuerit, quae superiore anno Colchinij centum octoginta supra mille iugera comparauimus, consequatur. In reliquis autem bonis meis omnibus, inq. familia Faustam, & Felicianam, filias meas, ita mihi heredes instituo, ut, quae melius nupserit, ex Dodrante, Altera ex Quadrante heres habeatur. Et inuicem substituo tam has, quam illas, cum suis filijs, in stirpes, non in capita. Permitto autem filiabus, ut, quem quaeque earum uoluerit, sibi uirum optet, optatiq. per patriam potestatem compos fiat. Curatores testamenti huius, Silius, Necessarius, C. Atilius, M. Capitolinus, qui maxime omnium miro me affectu prosecuti sunt, quiq. ex omnibus amicis, ac necessarijs fidelissimi semper fuerunt. Vos igitur, per sacra amicitiae, atque condiscipulatus, obtestor, per summum omnium Opificem obsecro, curate, memores, quantum uestrae fidei committam, ut omnia mea ex sententia apud uos deposita, bene, honesteq. gubernentur. Verum enimuero pie, amiceq. & alij facient, qui nobis bene uoluerunt, quamuis occupati, & seniores, si haec impleuerint, curauerintque.

Testes in his tabulis sint, Q. Marcius, C. Septimius, P. Curio, L. Capito, M. Terentius, Vibius Pansa, C. Sextius, qui affuerunt, subscripseruntque, ut sua ipsorum littera cognosci possit. Ego idem ille L. Cuspidius testamentum manu mea exaraui, meoq. anulo obsignaui, hisq. testibus signandum obtuli. Et hanc meam nouissimam uoluntatem ualere uolo iure testamenti, quod si forte non censebitur, nomen, & ius habere mando cuiuscūque alterius ultimae uoluntatis, quam penitus, & inuiolabiliter obseruari ab omnibus heredibus, & successoribus meis statuo. Valete superstites, mortalitatis non immemores.

Romae, Kal. Martijs, Cn. Pompilio, & L. Marcio cos.

Landesbibliothek Oldenburg

Fr. Petrarchae testamentum.

SAEPE de eo mecum cogitans, de quo nemo nimis, nisi pauci satis, cogitant, de nouissimis scilicet, ac de morte: quae cogitatio neque superflua esse potest, neque nimium festina: & mors omnibus certa sit, & hora mortis incerta: Vtile, & honestum credo, antequam me mors impediat, uel mors ipsa, quae per uarios, & ambiguos rerum casus semper nobis impendet, propter uitae breuitatem procul esse non potest, nunc Dei gratia, dum corpore simul, atque animo sanus sum, de me ipso, ac de rebus meis testanda disponere. quamuis (ut uerum fatear) tam paruae res sunt meae, ut de ipsis quodam modo pudeat me testari: sed diuitum, atque inopum curae de rebus (licet imparibus) pares sunt. Volo igitur hanc meam uoluntatem ordinare, ac scriptis committere, & propter quandam honestatem, & ob id maxime, ne de huiusmodi rebulis meis, propter meam incuriositatem, post meum obitum litigetur. In primis animam meam peccatricem, sed Diuinam misericordiam implorantem, & de illa sperantem, recommendo humiliter Iesu Christo. Eique, flexis ipsius animae genibus, ut a se creatam, suique sanctissimi sanguinis pretio redemptam, protegat, affisus supplico: nec permittat ad suorum manus hostium peruenire. Ad hoc etiam auxilium beatissimae Virginis Matris suae, & beati Michaelis Archangeli, reuerenter, ac fidenter imporo, & sanctorum reliquorum, quos intercessores apud Christum inuocare sum solitus, ac sperare. Corpus autem hoc terrenum, ac mortale, nobilium grauem sarcinam animorum, terrae, unde origo est sibi, uolo restitui. Et hoc absque omni pompa, sed cum summa humilitate, & abiectione, quanta esse potest. De quo heredem meum, & amicos omnes rogo, obsecro, & obtestor, & adiuro per uiscera misericordiae Dei nostri, & per caritatem, si quam ad me umquam habuerint: Neque falsi spem honoris hoc negligant. Cum sic omnino me deceat, ac sic uelim: ita ut, si forte (quod absit) cõtrafecerint, teneantur Deo, & mihi de graui utriusque offensa in diem Iudicij respondere. Et haec quidem de domo sepulturae, hoc addito, quod nemo me fleat, nemo mihi lacrymas, sed pro me Christo preces; &, qui potest, Christi pauperibus charitatem, pro me orare monitis, porrigat. hoc mihi prodesse poterit: fletus autem, & defunctis inutilis, & flentibus est damnosus. De loco autem non magnopere curo. Contentor poni ubicumque Deo placuerit, & iis, qui hanc curam suscipere dignabuntur. Si tamen expressius mea de hoc uoluntas exquiratur, sepeliri uelim, si Paduae, ubi nunc sum, moriar, in ecclesia S. Augustini, quam fratres praedicatores tenent: quia & locus animae meae gratus, & iacet illic is, qui me plurimum dilexit, inq. has terras piis precibus attraxit, praeclarissimae memoriae Iacobus de Carraria, tunc Paduae dominus. si autem Arquadae, (ubi ruralis habitatio mea est) diem clausero, & Deus mihi tantum concesserit, quod ualde cupio, capellam ibi exiguam ad honorem beatissimae uirginis Mariae exstruere, illicq. sepeliri eligo, alioquin inferius, in aliquo loco honesto, iuxta ecclesiam plebis. Sin Venetiis moriar, poni uolo in loco S. Francisci de Vinea, illic ante hostium ecclesiae. Sin Mediolani, ante ecclesiam B. Ambrosij iuxta primum introitum, qui ciuitatis muros aspicit. Si Papiae, in ecclesia S. Augustini, ubi fratribus uisum fuerit. Si autem Romae, in ecclesia S. Mariae maioris, uel S. Petri, ubi erit opportunius, uel iuxta ecclesiam hanc, uel illam, sicut Canonicis placebit. Nominaui loca, quibus per Italiam conuersari soleo. Ac, si Parmae, in ecclesia maiori, ubi per multos annos Archidiaconus fui inutilis, & semper fere absens. Sin ubicumque terrarum alibi, in loco fratrum minorum, si sit ibi; sin minus, in quacumque alia ecclesia, quae uicinior fuerit loco mortis. Haec de sepulcro: plura fateor, quam uirum doctum deceat ab indocto dicta sint. nunc accedo ad dispositionem earum rerum, quae uocantur bona hominis: cum potius saepe sint impedimenta animi. Et primo quidem huic S. ecclesiae Paduanae, unde percepi & commoda, & honores, ordinaui animum iampridem pusillum terrae emere: quod eidem testamento dimitterem usque ad summam quinque mille & ducentarum librarum huius paruae monetae, uel plus, si plus possem. Sed ad hanc usque summam habeo iam uerbo licentiam a magnifico Paduae. D.D. Francisco de Carraria, quam uel in uita mea, uel post obitum, quoties, seu quandocumque petita fuerit, daturum esse non dubito: sicut illum, cuius non actum modo, sed uerba multa habeant in praeposito firmitatem: huiusmodi autem terram hactenus, interuenientibus aliis expensis, emere non ualui. Si ergo ipsam emero, (ut spero) faciam in instrumento emptionis poni, quod ipsam teneo animo relinquendi ecclesiae: & ex nunc ita facio. Quamuis eiusdem terrae situm non possim adhuc in scriptis inserere. Si autem (quoniam non numquam piae uoluntates, propter peccata hominum, deduci nequeant ad effectum) dictam terram emere uel propter impotentiam, uel propter negligentiam omisero: lego ipsi ecclesiae Paduanae ducatos ducentos auri ad emendum aliquantulum terrae, ubi melius fieri poterit. De cuius prouentibus perpetuum anniuersarium animae meae fiat. Et ipsi D. supplico, si tunc uiuet (sicut cupio, & Deum precor, ut multos postea per annos laetus, & felix uiuat) uel si (quod Deus auertat) tunc ipse non uiueret: precor aliũ quemcumque, penes quem rei huius erit arbitrium, quatenus ob reuerentiam B. Virginis, & mei, licet indigni, & pusilli hominis, respectum, concedat hoc fieri; & decretum super hoc suum fauorabiliter interponat. Lego autem ecclesiae, apud quam sepeliar, ducatos uiginti; aliis autem ecclesiis quattuor ordinum mendicantium (si ibi fuerint) ducatos quinque pro qualibet. Pauperibus Christi lego centum ducatos, distribuendos, ut uidebitur presbytero Ioanni Abocheta, custodi ecclesiae Paduanae: & hoc, si hic moriar; sin alibi, ad arbitrium praelati ecclesiae illius, in qua reconditus fuero. Ita tamen, ut de dicta quantitate nullus ultra singulos ducatos accipiat. Transeo ad dispositionem aliarum rerum. Et praedicto igitur Magnifico D. dimitto tabulam meam, siue iconam B. Virginis Mariae, operis Zotti, pictoris egregij, quae mihi ab amico meo Michaele Vannis de Florentia missa est. Cuius pulchritudinem ignorantes non intelligunt; Magistri autem artis stupent. Hanc iconam ipsi D. Magnifico meo lego: ut ipsa Virgo benedicta sibi sit propitia

Landesbibliothek Oldenburg

pitia apud filium suum Iesum Christum. amicis minoris status, scilicet charissimis mihi, libenter magna dimitterem, si facultas esset uberior: sed affectum librabunt. magistro Donato de Prato ueteri, Grammaticae praeceptori, nunc Venetiis habitanti, si quid mihi debet ex mutuo, quod quãtum sit, nescio, sed utique parum est, remitto, & lego. Nec uolo, quod heredi hanc ob caussam ad aliquid teneatur. de equis meis, si quos habuero in tempore transitus mei, qui placuerint Bunzanello de Viguntia, & Lumbardo a serico, conciuibus Paduanis, uolo, quod inter eos sortiantur, quis primum eligat, quis secundum. Et praeter hoc dicto Lumbardo, qui rerum suarum curam deposuit, ut res meas ageret, obligatum me confiteor in centum & trigintaquattuor ducatis auri, & solidis xvj. quos expendit in utilitatibus meis: & multo amplius; sed, facta ultimo inter nos omnium ratione, dictae quantitatis sibi debitor remansi: quam si ante acceperit, (sicut spero cito facere) bene erit: alioquin uolo, quod heres meus ante omnia sibi satisfacere teneatur: de quo debito chirographum meum habet, quod restituat heredi meo ipse Lumbardus. Item lego ipsi Lumbardo scyphum meum paruum rotundum argenteum, & auratum, cum quo bibat aquam, quam libenter bibit, multo libentius, quam uinum. Presbytero autem Ioanni Abocheta, custodi ecclesiae nostrae, Breuiarium meũ magnum, quod Venetiis emi pro pretio librarum centum: ea tamen lege illud ei dimitto, ut post eius obitum remaneat in sacristia Paduanae ecclesiae ad obsequium perpetuum presbyterorum, ut ipse presbyter Ioannes, & alij orent (si eis placeat) Christum, & B. Virginem pro me. D. Ioanni de Certaldo, seu Boccatio, uerecunde admodum tanto uiro tam modicum lego: quinquaginta florenos auri de Florentia, pro una ueste hiemali, ad studium, lucubrationesq. nocturnas. magistro Thomae Bãbasiae de Ferraria lego leutum meum bonum: ut eum sonet non pro uanitate saeculi fugacis, sed ad laudem Dei aeterni. Praedicti autem amici mei de paruitate huiusmodi legatorum non me accusent; sed fortunam, siquid est fortuna. Et propter hunc respectum distuli ad ultimum, quem primum esse decuit, magistrum Ioannem de Dundis, physicum, astronomorum facile principem, dictum ab Horologio, propter illud admirandum Planetarij opus ab eo cõfectum, quod uulgus ignarum Horologium esse arbitratur. Cui lego quinquaginta ducatos auri pro emendo sibi unum paruum anulum digito gestandum in memoriam mei. De facultatibus autem domesticis sic ordino. Bartholomaeo de Senis, qui dicitur Pancaldus, uiginti ducatos, quos non ludat. Zilio de Florentia, domicello meo, supra salarium suum, siquid sibi debetur, uiginti ducatos. Et, si haberem plures, aut alios plures, paucioresue domicellos, supra salarium suum, pro quolibet florenos, seu ducatos x. famulis duos, pro quolibet coco duos. Et, si isti, uel amici obiissent, uel domicelli, seu famuli obiissent priusquam moriar, quod eis legabam, uolo, ut redeat ad heredem meum. Omnium sane bonorum meorum mobilium, & immobilium, quae habeo & habiturus sum, ubicumque sunt, uel erunt, uniuersalem heredem instituo Franciscum de Brossano, filium q. d. Amicoli de Brossano, ciuem Mediolani, portae Vercellinae. Et ipsum rogo, non solum ut heredem, sed ut filium carissimum, ut pecuniam quamcũque, siue sit plurima, siue sit minima, (quia magna utique non erit) meis rebus inuenerit, diuidat in duas partes, & unam sibi habeat; alteram numeret cui scit me uelle, & de ea fiat, quod etiam me uelle scit. Duo, antequam finiam hanc scripturam, addenda sunt: unum, quod modicum illud terrae, quod habeo ultra montes in comitatu Venusini, in uilla, seu castro Valclusae, dioecesis Tauilicensis, quia sine dubio, eundo illuc, uel etiam mittẽdo, quodammodo plus expenderetur, quam res ualeat: uolo, quod sit hospitalis dicti loci, & in usu pauperum Christi. Et, si forte hoc fieri non posset, impediente aliquo iure, uel Statuto, uolo, quod sit Ioannis, & Petri, fratrum, q. Raymundi de Raymundis, qui Moneta communiter dicebatur, & fuit obsequiosus, & fidelis mihi nalde. Et, si dicti fratres, uel eorum alter obijsset, uolo, quod ueniat ad filios, uel nepotes, in memoriam dicti Moneti. Alterum, quod illud modicum, quod habeo in bonis immobilibus in Padua, uel territorio Paduano, uel in posterum habiturus sum, uolo, quod sit heredis mei, ut cetera: sed hac lege, quod nec per se, nec per alium horum aliquid alienari possit: uenditione, aut donatione, aut perpetua emphytheosi, aut quouis alio modo; nec etiam pignorari usque ad completos. xx. annos, a die mei obitus computandos: quod pro utilitate ipsius heredis ordino: qui ignorantia rerum labi posset, quas cum plene nouerit, puto non libenter alienabit. Si autem forte, quia omnes sumus mortales, nec omnino ullus est ordo moriendi, dictus Franciscus de Brossano (quod auertat Deus) ante me moriatur: tunc heres meus esto Lumbardus a serico praedictus, qui plane animum meum nouit: quem, ut in uita fidelissimum expertum, non minus fidelem spero post obitum. Haec iure testamenti, aut alterius ultimae uoluntatis: seu quocumque alio modo melius ualitura conscripsi manu propria, Paduae in domo ecclesiae, quam habito: Anno Domini M. c c c. lxx. Pridie Nonas Aprilis. Et Nicolaum notarium, filium q. ser Bartholomaei, ac Nicolaum, filium ser Petri, notarios infrascriptos, rogaui, prout in eorum subscriptionibus infrascriptis continetur. Vnum addo, quod statim post transitum meum heres meus scribat super hoc fratri Gerardo Petrarco, monaco Cartusiensi, germano meo, qui est in conuentu de Maternio prope Massiliam, ut det sibi opinionem, utrum uelit centum florenos auri, an singulis annis quinque, uel decem, sicut sibi placeat. Et, quod ipse elegerit, illud faciat.

Ego Franciscus P. scripsi: qui testamentum aliud feciissem, si essem diues, ut uulgus insanum putat.

Eundem

Eundem Petrarcham Bibliothecam suam Reip. Venetae dono dedisse, scriptum est in Tabulario Veneto: his verbis.

1362. die iiij. Septembr.

CONSIDERATO, quantum ad Laudem Dei, & B. Marci Euangelistae, ac honorem, & famam Ciuitatis nostrae futurum est illud, quod offertur per Dominum Franciscum Petrarcham, cuius fama hodie tanta est in toto Orbe, quod in memoria hominum non est iamdiu inter Christianos, fuisse, uel esse philosophum moralem, & poetam, qui possit eidem comparari; Acceptetur oblatio sua, secundum formam infrascriptae Cedulae, scriptae manu sua; & ex nunc sic captum, quod possit expendi de Monte pro domo, & habitatione sua in uita eius, per modum affictus, sicut uidebitur Domino, Consiliarijs, & Capitibus, uel maiori parti. Cum Procuratores Ecclesiae S. Marci offerant facere expensas necessarias, pro loco, ubi debuerint reponi, & conseruari libri sui. Et est capta per VI. Consiliarios, Tria Capita de XL. & ultra duas partes maioris Consilij. Tenor autem dictae Cedulae talis est.

Cupit F. Beatum Marcum Euangelistam, si Christo, & sibi sit placitum, heredem habere nescio quot libellorum, quos nunc habet, uel est forsitan habiturus. hac lege, quod libri non uendantur, neque quomodolibet distrahantur; sed in loco aliquo ad hoc deputando, qui sit tutus ab incendijs, atque imbribus, ad sui ipsius honorem, & sui memoriam, nec non ad ingeniosorum, & nobilium Ciuitatis illius, quos continget in talibus delectari, consolationem qualemqualem, & commodum perpetuo conseruentur. Neque appetit hoc, quod libri uel ualde multi, uel ualde pretiosi sint: sed sub hac spe, quod postea de tempore in tempus, & illa gloriosa Ciuitas alios superaddet e publico, & priuatim nobiles, atque amantes Patriae ciues, uel forte etiam alienigenae, secuti exemplum, librorum suorum partem supremis suis relinquent uoluntatibus Ecclesiae supradictae; atque ita facile poterit ad unam magnam, & famosam bibliothecam, ac parem ueteribus, peruenire. Quae quantae gloriae futura sit illi Dominio, nemo litteratus est, puto, nec idiota, qui nesciat. Quod si, Deo, & illo tanto patrono urbis nostrae auxiliante, contigerit, gaudebit ipse F. & in Domino gloriabitur, se quodam modo fuisse principium tanti boni. Super quo, si res procedat, forte aliquid latius scribet. Verum, ut aliquid plus, quam uerba, ponere in tanto negotio uideatur, uult hoc facere, quod promisit. &c.

Pro se interim, & pro dictis libris, uellet unam non magnam, sed honestam domum: ut, quidquid de ipso humanitus contigerit, non posset hoc eius propositum impediri. Ipse quoque libentissime moram trahet ibidem, si bono modo possit. de hoc enim non est ad plenum certus, propter multas rerum difficultates. Sperat tamen,

Testamentum Iacobi Picolomini, Cardinalis Papiensis, ad memoriam humanae imbecillitatis, & funebrium impensarum contemptum, pie, & prudenter lectores instituens.

FRAGILIS est uita nostra, eamq. casus circumstant innumeri. Quod uitemus, praeuidere satis non possumus. Illum diuturna aegritudo, hunc breuis languor, alium improuisa mors rapit. Omnibus autem incerta uocationis est hora. Quo in loco, quo in tempore ea nos expectet, nescimus. Expectare illam nos omni tempore, omni loco debemus, memores uerbi Apostoli, quia illa non tardat. Et quod, quae de terra sunt, in terram uertuntur. Insciția est securitate de uitae exitu non cogitare, dispensationem quoque domesticam in id tempus differre, in quo mens grauata plurimis, ad unum aliquid non est saepe idonea. Angit timor mortis, torquet infirmitas. Circumstantium est molesta cupiditas, qui sua non nostra quaerentes, ab animae cura ad terrena nos reuocant, cogentes saepe perturbationibus suis eum mori, qui uel moriturus non erat, uel certe tam cito nō moriturus. Vt ergo concedente Deo ista deuitem, & ad meum, non alienum arbitriū, quae meditor, fiant, putans, quae ab Isaia Propheta Ezechiae Regi sunt dicta, mihi Ecclesiae Rom. Cardinali imperata, Dispone domui tuae, quia morieris tu, & non uiues: illud etiam Saluatoris formidans, Vigilate, quia nescitis diem, neque horam, qua Dominus uester uenturus sit, sero, an mane, an galli cantu: sta tui testamentum hoc condere meo chirographo scriptum, cui ita esse uim uolo, si id ipsum, uel eius partem ante mortem non reuocem. est uero huiusmodi. In primis conuersus in Deum auctorem, & redemptorem meum, cum anxius sim futuri de me iudicij, & nescius utrum odio, an acceptione sim dignus, Sciens autem in manu eius uitam esse, atque interitum: per uiscera misericordiae suae, in quibus ex alto nos uisitauit, humi stratus, oro, ut fiant aures suae intendentes in uocem deprecationis meae, non intret in iudicio cū seruo suo, aduersus folium quod uento rapitur, non exerceat potentiam suam, nec siccam stipulam prosequatur, paenitentis Sacerdotis animam non dedignetur. Ignoscat illi delicta praeterita, & ignorantias suas. Suscipiat creaturam creator, & factor figmentum suum. Meminerit, quod homo immundus de immundo conceptus sum semine, & quod in peccatis concepit me mater mea. Veniat ante oculos pietatis suae, uitae humanae infirmitas, in qua per omnem successum nouis semper desideriorum facibus incitati ex

tinguere

tinguere sine illius ope, ignea inimici tela non possumus. Stulta est pueritia, inanis adolescentia, iuuentus lubrica. Virile studium ad ambitionem inclinat. Friget senectus, & deficit. Si non sustinet Dominus, cui est sperandi fiducia? aut quem sarcina tanta sine alleuamento eius non premat? Recordetur Pauli serui sui ad Romanos haec lamentantis: Non inquit, quod uolo bonum hoc ago, sed quod odio malum id facio. Est miserator, & misericors Dominus, longanimis & multum misericors. Suntq. miserationes eius super omnia opera eius. Secundum ergo peccata mea non faciat mihi, neque secundum iniquitates meas retribuat mihi, quia non iustificabitur in conspectu suo omnis uiuens, sed per sanctam natiuitatem suam, passionem, & mortem, & resurrectionem, & ascensionem in caelum, & aduentum spiritus sancti paracleti saluet humiliatam animam, cum beatis spiritibus in uitam aeternam. proxime autem, si quid contra pastorem principem meum Rom. Pontificem uiuens peccaui, peccasse autem multa me puto, si quid dicto, aut facto contumacius egi, si non sum digne reueritus, si non parui, si contristaui, si carpsi pro suis in me meritis, si non digne retribui, supremam eius pietatem gemens imploro, ut mihi ignoscat, & oblitus omnium defuncti animae benedicat. Haec clemens, & ab animo profecta caritas petenti erit leuamini, & danti merces a Domino. Cum patribus quoque, & collegis meis, quoniam frequentior usus fuit, frequentiorem utique esse oportuit offendendi occasionem. In multis enim peccamus omnes. zelotypia, contentio, obtrectatio, ira, inuidia solicitare nostros animos solet. quidquid in hos admisi, quidquid amari a me acceptum referunt, oro, obtestorq. per commune consortium, & spem misericordiae, quam a Domino iudicādi expectant, ut id omne deponant, iniurias condonent, & placentur defuncto, eam requiem fratri optantes, quam de se impetrari a Domino cupiunt. Executori, quem in calce testamenti designo, hoc officium pietatis relinquo, ut, si ita indulgeat Pōtifex, primo post obitum Consistorio hanc ueniam, & remissionem non inanis gloriae, sed salutis caussa meo nomine suppliciter petat. identidem postulans, ut, quae dispono, quae testor, pius Pastor paterna indulgentia probet, & non mutet, familiamq. meam de me fideliter meritam pie consoletur, & iuuet. Vt uero ad gloriam Dei, & integritatem communionis fidelius perseuerantis licet peccatoris serui pateat fides, alta uoce profiteor tenuisse me a lauacro sancti Baptismatis usque in diem praesentem sanctam orthodoxam Fidem Catholicam, symbolum ab Apostolis conditū, expositionem fidei magni Nicaeni Concilij: anathematizasse etiā me, & anathematizare omnem haeresim extollentem se aduersum sanctam, & immaculatam fidem, in qua, ut dictum est, uiuere & mori intēdo: hoc sequens confessionis meae chirographum omnipotenti Deo in extremo iudicio repraesentans. Credo &c. Corpus meum contaminatum flagitijs licet indignum sit, cui habeatur honor, sepulcriq. facilis sit semper iactura, rationem tamen habens dignitatis, quam dedit Ecclesia, Pōtificalis quoque officij, per quod plebi honoratissimae praefui, sacrae etiam unctionis, qua per inuisibilem speciem inuisibilis est impressus character, tradi oro ecclesiasticae sepulturae, atque ijs insignibus adornatum, quae consuetudo nostri ordinis tulit. Sapiant tamen omnia modestiam funeralem, non saeculi pompam. Si Romae, ut opto, morior, condi cupio in basilica Apostolorum Principis Petri, post altare beati Gregorij, ad dextram sepulcri Pontificis Pij, ut, qui me extulit uiuens, mortuus iuxta se habeat. Condi illud ipsum humi uolo marmore tantum non caro contectum, quod parieti ecclesiae coniunctum habeat caput. In ipso autem pariete honore defuncti Pontificis ad memoriam meam nil fabricetur. Marmorea tabula ulnis tribus a terra exstans parieti inseratur, quae supra sepulcrum parieti insiti epitaphium sequens incisum bonis litteris habeat:

Luca ortu, Sena lege fuit mihi patria, nomen
Dum uixi Iacobus, mens bona pro genere.
Papa Pius sedem Papiensem detulit, idem
Cardineo ornauit munere, gente, domo.
Quem colui uiuens, non linquo mortuus. hic sum,
Et prope sancta patris filius ossa cubo.
Viuite qui legitis, caelestia quaerite. nostra haec
In cineres tandem gloria tota redit.

Sin alibi in Italia obitum meum esse contingat, Romam nihilominus ad hunc ipsum locum uolo corpus meum referri, dicta iam ratione humandum. Trans alpes uero aut mare, in cathedrali ecclesia, in cuius uel ciuitate, uel dioecesi mea uocatio fuerit. Tunc uero executoris curae sepulcrum relinquens, quinctum tantum, & sextum uersum demi ex epitaphio uolo. Vbicumque autem excessero, testamenti institutionem, quae sequitur, uolo.

Impendia funeris, quae adhiberi ad solamen superstitum magis, quam defunctorum leuamen, solent, summam mille ducatorum aureorum ueto excedere, in qua includatur etiam uestitus familiae. Quāto haec exhibebuntur parcius, tanto erit plenius; unde & illi benefiat, & meae animae consulatur. Superuacua nec placent Deo, nec laudes inter homines habent. Transit breui memoria funeris, diu permanent damna. Tempora in hoc patrum nostrorum magis sunt attendenda, quam nostra, qui gloria benefactorum, non luminum multitudine, illustrari uolebant sepulcra. Quidquid amplius sumetur, quidquid plus erogabitur, piaculum executoris sit, non peccatum sobria statuentis. Castrum doloris cubito angustius in circuitu sit, quam nostratia soleant. Ipse etiam lectus ad proportionem angustior. Stratum uero lecti, quod pallium dicitur, ad uetus exemplum, ex simplici damasceno uiolaceo sit, sine ullo omnino auro, aut argento, fimbrias laterum habens ex simplici item damasceno caelestini coloris, in quibus latera singula, singula tantum insignia familiae habeant. Veto in circuitu ecclesiae appendi tot insignium depicta lintea, ludis meo iudicio aptiora, quam funeri. Pendeant tantum super altari, in quo missa maior cantabitur, & in circuitu castri, &

in

in edito laterum ecclesiae quantum castrum ipsum porrigitur. Eandem uolo esse collocationem funalium, quam & insignium. Ardere ea tot in locis sine sacrorum necessitate quem habeant usum, non uideo. Legem in his libenter exsecutori do, ne honoris sui caussa, ad aliena exempla magis, quam ad se ipsum, cogatur respicere. Sermonem enim de his omnem testantis futurum, non exsequatur fidentius. Cereorum quotidiana, & promiscua dispersio, magis quam dispensatio multum auget impensam, nec fructum, qui proponitur, habet. Auaritiae in his studeri uidetur, non orationi. Ad eos rapiendos concurritur undique, ex tota ecclesia: pugnatur, clamatur, sacra omnia perturbantur, quodq. indignius ecclesia est, ad hos compescendos tumultus publici plerumque uindices adhibentur hastis, gladijsq. in domo Domini perstrepentes. Ea ne ac cidant, precesq. non rixae meum celebrent funus, nolo nisi considentibus ad orationem, & diuina canentibus illos distribui. Per pietatem, quae debetur mortuis, id non negligat exsecutor funeris. Quaq. die in salutem animae meae, legantur per deuotos Christi sacerdotes xxx. missae tantum. Cum ijs una cantetur, qui cantauerit, & praelatus futurus est, ferat in eleemosyna carlinos quattuor in singulis missis, unum, qui legerit, & his soluendis fidelis adhibeatur minister, qui seipsum, & pauperes, & animam meam non fraudet. Solent, mortuis Cardinalibus, familiares non ueri ad accipiendas familiarium uerorum uestes accurrere, instare ut dentur, si non dantur, indignari, ac lamentari. ut error non sit, eos uestiri uolo, qui in notula, manu mea subscripta, uel anulo meo signata, praesentiq. testamento inclusa, inuenientur appositi. & Capellanis quattuor cannae, Scutiferis, inter quos Parafrenarios, & primum Cocum, & Cellarium, & Dispensatorem nomino, primae sortis tres; reliquis dimidiam cannam minus, sed secundae sortis, iubeo dari. Ita tamen, ut diebus funeris ad orationem omnes conueniant, & pro me deprecentur. Haec ad rationem funeris.

Iouitae Rapicij Brixiani, testamentum Venetijs M. D. LII. X. Kal. Junij conditum.

MONET me uel annus aetatis sextus, & septuagesimus, uel diuturnis laboribus tenuatum, & imbecille corpus, uel animus uariis ac molestis curis iam prope defessus, ut instare illud tempus credam, quo me bonus, & clemẽs Imperator Deus ex hac quasi statione, & praesidio uitae mortalis imperet decedere, & eadem illa, quae hoc, quod sum, finxit natura dissoluat. ego uero, & Deo parere, & naturae concedere non inuitus debeo. nam & ille mihi inter pericula uocatus, & non uocatus semper affuit, & haec multa mihi liberaliter indulsit. itaque, siue aduersa, quae Deo adiuuante pertuli mecum repeto, stultus sim, nisi mihi oblatam ab eodem quietem libenter amplectar; siue prosperam naturae dono ualetudinem, & continuatam tam longa aetate sensuum ac mentis integritatem considero, ingratus sim, si ius suum repetenti reluctari uoluero, ac non potius aequo quasi plenus uitae conuiua recessero. quod ut praestare constituto melius animo possim, libet, dum est in sano adhuc corpore sana mens, sarcinulas colligere, atque itineri me accingere. magis autem expedite decessurus mihi uideor, si prius, quid de re mea post decessum meum uelim, diligenter constituero. Quoniam uero sine Diuina ope, nihil rectum prae me posse confido, te Deum patrem omnipotentem, te Iesu Christe unigenitum Dei filium, te Spiritus sancte unum uerum, atque aeternum, in tribus personis Deum supplex inuoco, ac tota mente atque animo precor, ut, quaecumque aduersus legem, ac uoluntatem tuam turpiter admisi, clementer ignoscas, ac praestes, ut, quidquid mihi adhuc aetatis superesse uolueris, iuste ac pie degam, nunc autem adhis praesens, uolensq. ac propitius testamentum cõdenti, & ut es bonus, ac iustus, concede, nequid temere, aut parum officiose decernam, ne ue scribam, quod aut reprehendi iure, aut probabilem litigandi caussam praestare cuiquam possit. Primum igitur dilectum filium meum Paullum, prudentem Iurisconsultum, ex Antonia Oliueria, bene concordi uxore, susceptum, eo iure, quod excogitari optimum potest, heredem meum ex asse instituo: & quidquid uel immobile, uel mobile possideo, quidquid in nominibus habeo, quidquid denique ad me quouis iure pertinet, id totum illius esse uolo; quin etiam, si quid post hoc testamentum rationibus meis, ac rei familiari adiecero, id quoque hereditatis iure ad eum iubeo peruenire. Quoniam uero, si possim, non haec tantum, quae fortunae bona iudicantur, ad te fili carissime opto peruenire, paucis tibi ea explicabo, quae me, iam ad uitae metas properante, praeterire paternus amor non sinit. Tu, quae tui amantissimus pater iam moriens mandat, ne contemne, sed (quae tua est in eum qui te genuit, educauit, instituit pietas) in bonam partem accipe, & libenter exsequere. Primum in ijs, quae ad diuinum cultum pertinent, Apostoli consilio utere, qui nos non uult plus sapere, quam oportet sapere, sed ad sobrietatem sapere: ne curiosis opinionibus ebrij a simplicitate, ac ueritate Christiana recedamus: nouas omnes opiniones auersare, neque ullo pacto adduci permittas, ut ab honestissimis Romanae Ecclesiae instituti umquam recedas: &, quae a maioribus nostris, & a me ipso seruata non ignoras, diligenter serua. Reip. Venetae, quae ciuitatem, ac patriam nostram, in fidem suam suscipiendo seruauit, emendauit legibus, ornauit moribus, quam debent subiecti iuste imperantibus, fidem atque obseruantiam praestato. Brixiam, quae me amanter ac liberos, & posteros meos in ciuium numerum admisit, dilige, cole, & obserua: publica cum ciuibus munera libenter subito, & remp. tuae semper praeponito. Agnatos omnes, & affines, ne ut inopes contemnito, sed ut innocentes, & sanguine coniunctos diligito, & non uerbis modo, sed re quoque, quantum tenuitas tua patietur, iuuato: &, ut paucis multa complectar, quae adolescens, legum praecepta, didicisti, memoria repete, ac etiam atque etiam uide, ut, quemadmodum coepisti, honeste

honeste uiuas: ius suum unicuique tribuas: neminem laedas: ac memineris nihil utilius esse ad opes tuendas atque augendas, quam a multis amari, nihil ad uitam tranquille degendam aptius, quam simultates, & inuidiam cauere. liberos tuos, quam diligentissime poteris, & quamcelerrime instituendos curato, neque aetatem elabi frustra sinito. & quia non potes amplum, aut saltem sufficiens otiosis patrimonium relinquere, relinque artem aliquam, qua se suosq. alere honeste queant, honestatem autem positam puta primum quidem in bonis moribus, deinde uero in eo, ut sibiipsis possint sufficere, nec aliena ope indigeant. rem multis meis laboribus partam, si reliqueris illis integram, quod boni patris est, feceris; ego tamen, ut id facias, non compello, sed prudentiae tuae relinquo. Agnatis omnibus, & affinibus tam mortuis, quam uiuentibus, siquid debere mihi quouis nomine deprehendentur, id totum libenter condono, cosq. omnes sciens uolensq. absoluo, atque hanc absolutionem quamuis confusam atque implicitam non minus ratam, ac firmam esse uolo, quam si rationes omnes, resq. & nomina essent caute & diligenter expressa. Neque enim oblitus sum, cur illis tum crediderim, & nunc possum, si uelim, huius donationis, & absolutionis caussas iustas reddere. Marthae dilectae filiae libras sex planetorū, hoc est duodecim paruorū, itē sorori meae carissimae Bonae totidem singulis annis, quādiu uixerint, liberaliter & amāter exhiberi uolo, idq. semper initio anni, qđ initiū ab ipso statim obitus mei die cōstitui iubeo. Te uero, filia dilecta, & te soror carissima rogo, ut hoc quāuis modico legato cōtētae sitis, diligenter cōsiderātes tenuitatē meam, & memoria repetētes quātopere uos dilexerim, & qđ uestra causa fecerim. Sepeliri Brixiae in tēplo diui Nazarij desidero eo loco, quē Reuerēdus eius ecclesiae Antistes D. Fabius Auerolus cōcesserit. Impēsā aūt funeris modicā, aut ēt minusquā modicā postulo: & meorū pijs precibus iuuari malo, quā immēsis sūptibus ornari. Teq. adeo fili carissime obtestor, ut & in hac re, & in alijs oībus, tenuitatē rei domesticae ante oculos sēper habeas, frugalitatēq. & parsimoniā honestissimū uectigal existimes. erit id tibi, & ad tuendū patrimoniū, & ad bonā famā augēdā lōge utilissimū, mihi & mortuo gratissimū: neque tamē hoc mādās te uel auarū uel sordidū fieri uelim, sed tuo modulo ac pede te & tua oīa ita metiri, ut sine inuidia & cōtēptu inter ciues nostros uitā ducas honestā pariter & iocūdā. Volo aūt uti quot annis anniuersariū sacrū ,p defunctis familiae, & agnationis nostrae ad sepulcrū meū faciēdū curet heres meus, & successores eius, pridie Idus Febrarias, quo die rectissima femina, & dulcissima mater mea Helena Rauaria sepulta est Bergomi in tēplo diui Casiani, ad arā diui Nicolai, & pater meus indulgētissimus decēnio post, Vicetiae in tēplo diui Stephani: Laurētius aūt pater, & Eleutherius filius eodē anno, quo mater, alter Romae, alter Patauij diē suū obierūt, quos oēs uolo huius sacri participes, ut, qui me tota uita peregrinātē nō destituerūt, aliquē pietatis in se meae fructū ēt post mortē capiāt. Die uero depositionis meae, uolo cētū sextātes erogari in eleemosinā cētū pauperibus, qui iuxta sepulcrū meū flexis genibus clara uoce dixerint, Domine miserere illius, oēs sancti orate pro eo ut aūt hoc seruetur fidelius, huic legato non modo heredes, & successores meos, sed oīa mea bona ppetuo obligata esse iubeo collegio canonicorū Sancti Nazarij, ut ab heredibus ēt inuitis possint quotannis exigere libras quinque, tam pro anniuersarij celebratione, quam pro eleemosina eroganda. Te uero fili carissime, per longā indulgentiam erga te meā peto, ut, si quid apud te ualent uota mea, diligas Laurentiū, quē ego ex Paula Catarensi susceptū, ex Laurentij fratris, & meo, & gentis Rhamnusiae nomine, in cuius clietela erā, Laurentiū Iouium Rhamnusianū uocari uolui, ut tu eorū, qui te dilexerunt & iuuerūt precibus admonitus eū diligeres, & orbū atque inopē (si qua uia posses) adiuuares, nec eū qui mihi carus est, mēdicare patereris. Vix. An. LXXVI. M. VI. D. I. Ob. M D LIII. XVII. kal. Sept.

Et, quoniam Testamentorum formulas posuimus, placet Ioannis Boccatij quoque Testamentum adscribere. quod & si Italica lingua scriptum, mutilumq. admodum sit, uisum est tamen dignum, quod alijs adderetur. Hoc autem est:

che ne decti uc ad ce orisi uoglio sia sepolto certaldo ī q dessa dare ad gli amici

Appresso lascio della Chiesa di Sancta Reparata & altrett ti alle mura della Città di Firēze.

Ancora lascio alla compagnia di Santa Maria di Certaldo ℔, v.

Ancora la cio all'opera della Chiesa di sa iacopo di Certaldo ℔, x.

Ancora lascio alla Bruna figliuola che tu di Ciango da Monte Magno la quale lungamente è stata con meco il letto nelquale era usa di dormire ad Certaldo, cioè, una lettiera dalbero. j. coltricetta di penna. j. piu maccio una coltre bianca piccola da quel lecto. j. paio di lenzuola buone. j. panca che star suole ad pie di quel lecto. Et oltre acciò un desco piccolo da mangiare dassi di noce. ij. touaglie menate di lunghezza bra vj. luna. ij. touagliole conuenenuoli. j. botticello di. iij. some. Et oltre ad cio una roba di monchino foderata di Zendado porporino gonnella & guarnacca & cappuccio. Et ancora uoglio che essa di quello che auere douesse di suo salario di resto da me sia interamente pagata.

Ancora lascio che ciascuna persona la quale si truoua scripta nel libro delle mie ragioni sopraſegnato. A. che da me debba auere sia interamente pagato & oltre accio ciascuno altro che giustamente mostrasse di douere auere. Et pergare le dette quantità & lascio uoglio che glinfascripti miei executori ogni mio panno masserizia grano e biada e uino equalunque altra cosa mobile exceptuati i libri, & lescripture mie possano, edebbano uēdere, o far uendere, & doue delle decte mie cose mobili non sauesse tanto che bastasse a decti pagamenti, uoglio possano uendere & alienare de miei beni come potrei io medesimo uiuendo, & maximamente una casa posta in Certaldo nel popolo di saiacopo di Certaldo ad cui da. j. uia chiamata Borgo dal. ij. fornaino dandrea di messbenghi dal terzo uia nuoua dal. iiij. ildecto testatore, e non bastando questa possan uendere de gli altri miei beni come decto è.

Ancora lascio che tutti i miei libri sieno dati e cōceduti ad ogni suo piacere al uenerabile mio Maestro Martino dellordine de frati heremitani di Santo Agostino e del conuento di Sancto Spirito di Firenze li quali esso debba & p. tenere ad suo uso mentre uiue. si ueramente che il decto Maestro Martino sia tenuto e debba pregare Iddio per lanima mia, & oltre far copia ad qualunque persona li uolesse di quegli libri li quali composti. Et ancora che esso debba con queste medesime condizio

Seconda faccia.

uecchio cau haueua fatta uenire p entro delle era croce di xpo, & una cassa la quale ua facta tenerui entro le decte reliqui tutte date senza alcuna zione a frati di sancta maria di san sepolcro ouero del poggetto o dalle campora chesi chiamino, li quali dimorano uicini della citta di firenze poco fuori delle mura accio che quante uolte reuerentemente le uedranno preghino idio per me.

Ancora lascio e uoglio che una imaginetta di nostra donna dalabastro. j. pianeta con istola & manipolo di zendado uermiglio & j. palio piccolo da altare di drappo uermiglio luccheſe & un guancialetto da altare di quel medesimo drappo &. iij. guaine da corporali & j. uaso di stagno da acqua benedecta, & j. palietto piccolo di drappo foderato di zendado giallo tutte sie date a glioperai di saiacopo di certaldo & essi operai gli debbano guardare e saluare mentre durano a seruigi della detta chiesa di saiacopo & far pregar idio per me.

Ancora lascio e uoglio che una tauoletta nella quale e dalluna parte dipincta nostra donna col figliuolo in braccio & dallaltra un teschio di um morto sia data ad Madonna sandra la quale oggi e moglie di francesco di lapo buonamichi.

Appresso ad tutto questo intendo e uoglio che oltre alle predecte in ogni mia cosa cosi mobile come stabile sieno miei heredi uniuersali i figliuoli di iacopo di boccaccio mio fratello quegli che al presente sono e che nel futuro nasceranno legiptimi e naturali cosi maschi come femine si ueramente che ogni fructo il quale de predecti miei beni si ricogliera o trarra debba peruenire nella casa del predecto iacopo & ad esso aspectare & pertenere - ladministrazione di quegli in nutricare se & la moglie, & quegli figliuoli li qua li aura. Appresso intendo che de detti miei beni i predecti miei heredi non debbano ne possano uendere in altra maniera alienare o impegnare alcuno infino ad tanto che alla eta danni trenta compiuti peruenuti non sieno, & allora uiuendo iacopo predecto far nol possano senza suo consentimento, e piacere riseruato nondimeno che doue bisognasse di pagare la dote dalcuna loro sirocchia che maritassono allora uoglio possano con lautorita de lor tutori se in eta daccio fossono. Similmente intendo che imperpetuo insino ad tanto che alcuno de discendenti di boccaccio ghellini nostro padre per linea masculina si trouera etiandio che non fosse legiptimamente nato si possa uendere o alienare in alcuna altra guisa . . casa mia posta in certaldo nel popolo di saiacopo della quale questi

Mentre uiuerà.

Principio della terza faccia.

heredi percioche i pup o intendo che sieno po gauacciani Piero nigane gelmo barduccio di cher francesco di lapo bonan di torino benciuenni. & iacopo di boccaccio lor padre & mio fratello. Et intendo che quello che costoro o la maggior parte di loro o di quegli che allora uiui saranno saranno intorno a facti de decti miei nepoti, uaglia & tenga ne possa essere per gli altri riuocato o anullato o permutato.

Leonardo del chiaro di M. botte.

Appresso in executori & fedeli commessarij del mio presente testamento ouero ultima uolonta eleggho & priegho che sieno questi che appresso scriuo. Il uenerabile mio padre, & maestro martino da signa del lordine de frati heremitani di sancto Agostino di firenze. Barduccio di cherichino. Francesco di lapo bonamichi. Agnolo di torino benciuenni & iacopo di boccaccio mio fratello a quali do piena balia & autorità di uendere & alienare del mio o de miei beni quello, che conosceranno essere opportuno alla decta executione in loro per me facta. Et intendo che quello che la maggior parte di loro di quegli che allora uiui saranno si fara o adoperera intorno alla decta execuzione sia fermo & rato etiandio contradicendolo gli altri ne si possa per gli altri mutare. Et questo intendo sia il mio testamento, & ultima uolontà da à riuocando & annullando ognaltro testamento il quale insino a questo di facto auesi &c.

VAS ȝ Paullus ex Festo: Vadem, sponsorem significat datum in re capitali. Graecis ἐγγυητάι, qui uadimonio sunt obstricti, eaq. lege dimissi, ut in certum diem sistantur. SI *ille non reuertisset*, ȝ sic omnes mei, & Tertij. Male alias, Si ille non reuertisset ad diem. MORIENDVM *esset sibi ipsi*. ȝ Moriendum esset ipsi, quattuor, & Tertij. Moriendum esset ipsi sibi, unus. Moriendum esset etiam sibi ipsi, unus. Moriendum esset etiam ipsi, unus. IN *amicitiam tertium adscriberent*. ȝ Ad amicitiam, octo, & Tertij. Scriberent, unus.

CICERO

SED *utilitatis specie in rep. saepissime peccatur, ut in Corinthi disturbatione nostri, durius etiam Athenienses, qui sciuerunt, ut Aeginetis, qui classe ualebant, pollices praeciderentur. hoc iusum est utile. nimis enim imminebat propter propinquitatem Aegina Piraeeo. sed nihil, quod crudele, utile. est enim hominum naturae, quam sequi debemus, maxime inimica crudelitas. Male etiam, qui peregrinos urbibus uti prohibent, eosq. exterminant, ut Pennus apud patres nostros, Papius nuper. nam, esse pro ciue, qui ciuis non sit, rectum est non licere; quam tulerunt legem sapientissimi consules, Crassus, & Scaeuola: usu uero urbis prohibere peregrinos,*

grinos, sane inhumanum est. illa praeclara, in quibus publicae utilitatis species prae honestate contemnitur. plena exemplorum est nostra resp. cum sepe alias, tum maxime bello Punico secundo; quae Cannensi calamitate accepta maiores animos habuit, quam umquam rebus secundis. nulla fuit timoris significatio, nulla mentio pacis. tanta uis est honesti, ut speciem utilitatis obscuret, Athenienses cum Persarum impetum nullo modo possent sustinere, statuerentque, ut, urbe relicta, coniugibus, & liberis Troezene depositis, naues conscenderent, libertatemq. Graeciae classe defenderent, Cyrsilum quendam suadentem, ut in urbe manerent, Xerxemq. reciperent, lapidibus obruerunt. atque ille sequi utilitatem uidebatur: sed ea nulla erat repugnante honestate. Themistocles post uictoriam eius belli, quod cum Persis fuit, dixit in concione se habere consilium reip. salutare, sed id sciri opus non esse: postulauit, ut aliquem populus daret, quicum communicaret. datus est Aristides. huic ille classem Lacedaemoniorum, quae subducta esset ad Gytheum, clam incendi posse: quo facto frangi Lacedaemoniorum opes necesse esset. quod Aristides cum audiuisset, in concionem magna exspectatione uenit, dixitq. perutile esse consilium, quod Themistocles afferret, sed minime honestum. itaque Athenienses, quod honestum non esset, id ne utile quidem putarunt, totamq. eam rem, quam ne audiuerant quidem, auctore Aristide repudiauerunt. Melius hi, quam nos, qui piratas immunes, socios uectigales habemus. maneat ergo, quod turpe sit, id num quam esse utile, ne tum quidem, cum id, quod esse utile putes, adipiscare. hoc enim ipsum utile putare, quod turpe sit, calamitosum est.

EXPLANATIO

IN *Corinthi disturbatione* ℈ de bello Achaico lib. I. AEGINETIS, ℈ uide Valerium lib. IX. cap. de crudelitate, Plutarchum in Lysandro, Thucydidem lib. II X. Xenophontem lib. 2. Aelianus in Varijs hanc historiam mendose refert. Seruius Sulpicius ad Cic. Fam. lib. IV. ep. 5. Ex Asia rediens, cum ab Aegina Megaram uersus nauigarem, coepi regiones circum circa prospicere: post me erat Aegina, ante Megara; dextra Piraeeus, sinistra Corinthus. Aeginam Atticus quidam Piraeeo uelut oculis mucum eximendum censebat. Plutarchus in Demosthene. QVI *classe ualebant*, ℈ sic omnes mei, & Tertij. PENNIVS ℈ sic legendum, ex Cic. in Bruto, & Festo: sicq. est in Tertij libro, & uno ex meis. Est autem Iuniae familiae cognomen. Vnus, Peneius. Vnus, Pennis. Vnus, Penus. Duo, Penius. Quinque, Pennius. Vnus, Penneus. Vnus, Petrinus: & in ora, Panaetius. Vnus, Peneius, uel Petreius. CANNENSI *calamitate* ℈ Liuius lib. XXII. Florus lib. 2. cap. 6. NVLLA *fuit timoris significatio*, ℈ Fuit, abest ab undecim meis, & Tertij. ATHENIENSES *&c.* ℈ uide Isocratem in Panegyrico, & Maximum Tyrium Serm. 3. TROEZENE ℈ Troczenios Pomponius Mela fide societatis Atticae illustres appellat. NAVES *conscenderent*, ℈ Themistocle suadente. CYRSILVM *quendam &c.* ℈ Locus hic a Demosthene pacne exscriptus uidetur. apud quem haec sunt in oratione pro Ctesiphonte: Καὶ ταῦθ' οὕτω σεμνά, καὶ προσήκοντα τοῖς ὑμετέροις ἤθεσιν ὑπελαμβάνεται εἶναι, ὡς τε καὶ τῶν προγόνων τοὺς ταῦτα πράξαντας μάλιστ' ἐπαινεῖτε, εἰκότως. τίς γὰρ οὐκ ἂν ἀγάσατο τῶν ἀνδρῶν ἐκείνων τῆς ἀρετῆς, οἳ καὶ τὴν χώραν, καὶ τὴν πόλιν ἐκλιπεῖν ὑπέμειναν εἰς τὰς τριήρεις ἐμβάντες ὑπὲρ τοῦ μὴ τὸ κελευόμενον ποιῆσαι τὸν μὲν ταῦτα συμβουλεύσαντα Θεμιστοκλέα στρατηγὸν ἑλόμενοι. τὸν δ' ὑπακούειν τοῖς ἐπιταπτομένοις ἀποφηναμένον Κύρσιλον καταλιθώσαντες, οὐ μόνον αὐτὸν, ἀλλὰ καὶ αἱ γυναῖκες αἱ ὑμέτεραι γυναῖκα αὐτοῦ. οὐ γὰρ ἐξῆν τοῦτο οἱ τότε Ἀθηναῖοι οὔτε ῥήτορα, οὔτε στρατηγὸν, διὰ ὅτου δουλεύσουσιν εὐτυχῶς. ἀλλ' οἱ δὲ ζῆν ἠξίουν, εἰ μὴ μετ' ἐλευθερίας αὐτοῖς ἐξεσαι τοῦτο ποιεῖν. ἡγεῖτο γὰρ αὐτῶν ἕκαστος οὐχὶ τῷ πατρὶ καὶ τῇ μητρὶ μόνον γεγενῆσθαι, ἀλλὰ καὶ παλρίδι. διαφέρει δὲ τι; ὅτι ὁ μὲν τοῖς γονεῦσι μόνον γεγενῆσθαι νομίζων, τὸν τῆς εἱμαρμένης, καὶ τὸν αὐτόματον θανατον περιμένει. ὁ δὲ καὶ τῇ πατρίδι, ὑπὲρ τοῦ μὴ ταύτην ἐποδεῖν δουλεύουσαν ἀποθνήσκειν ἐθελήσει, καὶ φοβερωτέρας ἡγήσεται, τὰς ὕβρεις καὶ τὰς ἀτιμίας, ἃς ἐν δουλευούσῃ τῇ πόλει φέρειν ἀνάγκη. ATQVE *ille* ℈ At ille, duo. Atqui ille; Paullus pater. SEQVI *utilitatem* ℈ ord. praep. undecim mei, & Tertij. OPVS *non esse*: ℈ Non opus esse, decem mei, & Tertij. CLASSEM *Lacedaemoniorum*, ℈ uide Plutarchum in Themistocle, & Aristide, & Valerium lib. VI. cap. 5. GYTHEVM, ℈ Polybius, Ptolemaeus, Strabo, Plutarchus, Demosthenes in oratione de corona. Liuius lib. XXXIV. Gytheum opidum omnium maritimarum rerum Lacedaemonijs receptaculum dicit. AVDIVISSES, ℈ Audiuisset, nouem, & Tertij. Vnus, Audiret. PIRATAS *immunes*, ℈ uide Plutarchum in uita Pompeij, Florum lib. 3. cap. 6. Epitomem Liu. XCIX. Velleium lib. II. Orosi. lib. VI. cap. 4. Eutrop. lib. VI. cap. 4. de uir. ill. cap. ult. Cic. pro lege Manilia, Plin. lib. VII. cap. 25. & 26. & lib. XXXVII. cap. 2. Valerium lib. IIX. cap. 16. QVOD *esse utile putes*, ℈ sic duo, & Tertij. Duodecim, Quod utile esse putes. HOC *enim ipsum utile putare, quod turpe sit, calamitosum est.* ℈ felicitas enim, & calamitas maxima ex parte in animis, & moribus sita est. Τῆς ἀληθινῆς εὐδαιμονίας, ait Plutarchus, ἐν ἤθει, καὶ διαθέσει τὸ πλεῖστόν ἐστι.

CICERO

SED *incidunt (ut supra dixi) saepe causae, cum repugnare utilitas honestati uideatur: ut animaduertendum sit, repugnet ne plane, an possi cum honestate coniungi. eius generis hae sunt quaestiones: si, exempli gratia, uir bonus ab Alexandria profectus Rhodum magnum frumenti numerum adnexerit in Rhodiarum inopia, & fame, summaq. annonae caritate; si idem sciat complures mercatores ab Alexandria soluisse, nauesq. in cursu frumento onustas petentes Rhodum uiderit; dicturus ne sit id Rhodijs, an silentio suum quamplurimũ uenditurus. sapientem, & bonum uirum fingimus: de eius deliberatione, & consultatione quaerimus; qui*

celaturus Rhodios non sit. In huiusmodi caussis aliud Diogeni Babylonio uideri solet, magno, & graui Stoico; aliud Antipatro, discipulo eius, homini acutissimo; Antipatro, omnia patefacienda, ut ne quid omnino, quod uenditor norit, emptor ignoret; Diogeni, uenditorem, quatenus iure ciuili constitutum sit, dicere uitia oportere, cetera sine insidijs agere; &, quoniam uendat, uelle quamoptime uendere. aduexi, exposui; uendo meum non pluris, quam ceteri; fortasse etiam minoris, cum maior est copia: cui fit iniuria? Exoritur Antipatri ratio ex altera parte. Quid agis? tute, cum hominibus consulere debeas, & seruire humanae societati; eaq. lege natus sis, ut ea habeas principia naturae, quibus parere, & quae semper sequi debeas; ut utilitas tua, communis utilitas sit; uicissim, & aeque communis utilitas, tua sit: celabis homines, quid ijs adsit commoditatis, & copiae? Respondebit Diogenes fortasse sic. Aliud celare, aliud est tacere. neque ego nunc te celo, si tibi non dico quae natura deorum sit, quis sit finis bonorum: quae tibi plus prodessent cognita, quam tritici utilitas sed non, quidquid tibi audire utile est, id mihi dicere necesse est. Immo uero, inquit ille, necesse est: siquidem inter homines natura meministi coniunctam societatem. Memini, inquit ille: sed num ista societas talis est, ut nihil suum cuiusque sit? quod si ita est, nec uendendum quidem quidquam est, sed donandum. Vides, in hac tota disceptatione non illud dici: quamuis hoc turpe sit, tamen, quoniam expedit, faciam: sed ita expedire, ut turpe non sit: ex altera autem parte, ea re, quia turpe sit, non esse faciendum. Vendat aedes uir bonus propter aliqua uitia, quae ipse norit, ceteri ignorent: pestilentes sint, & habeantur salubres; ignoretur, in omnibus cubilibus apparere serpentes; male materiatae, ruinosae; sed hoc praeter dominum nemo sciat: quaero, si hoc emptoribus uenditor non dixerit, ae desq. uendiderit pluris multo, quam se uenditurum putarit: num id iniuste, an improbe, fecerit? ille uero, inquit Antipater, improbe facit. quid enim est aliud, erranti uiam non monstrare, quod Athenis exsecrationibus publicis sanctum est, si hoc non est, emptorem pati ruere, & per errorem in maximam fraudem incurrere? plus etiam est, quam uiam non monstrare. nam est scientem in errorem alterum inducere. Diogenes contra: Num te emere coegit, qui ne hortatus quidem est? ille, quod non placebat, proscripsit; tu, quod placebat, emisti.

EXPLANATIO

EXEMPLI *gratia*, § sic duodecim, & Tertij. Duo, Causſa. Libenter autem utitur exemplis: quin rem illustrant, ubi ratio paullo uidetur obscurior. AB *Alexandria perfectus Rhodum*, § hunc locum, recitat Nonius, omissa particula Ab, & uoce Profectus: cum quo faciunt tres mei, & Tertij liber, & Iulij Galli quoque. Alexandria profectus Rhodum, tres. AB *Alexandria soluisse*, § Ab, non est in undecim, & Tertij, & in uno Iulij Galli. Soluere, est, solutis anchoris nauigationi se committere: cui opponitur Appellere. QVAMPLVRIMVM *uenditurus*. § Quamplurimo, tredecim, & Tertij. DIOGENI *Babylonio* § Licet igitur interdum a praeceptoribus dissentire, modo id modeste fiat. Diogenes praeceptor fuit Antipatri, Antipater Panaetij, Panaetius Posidonij: lib. 1. de Diu. IVRE *ciuili* § quod non ita late patet, ut ius gentium, id est naturae. QVID *agis*? § Quid ais? quattuor, & Tertij. In uno neque, Agis; neque, Ais. TVTE, § Tu, tres, & Tertij. Tum, duo. VT *ea habeas*, § Et, pro Vt, undecim, & Tertij. ET *quae semper sequi debeas*; § Et consequi debeas, unus. Et quae sequi debeas, decem, & Tertij. VICISSIM, *& aeque communis utilitas*, § Vicissimq. communis utilitas, unus, & Tertij. Vicissim & communis utilitas, unus. Vicissim ea communis utilitas, unus. Vicissimq. & communis utilitas, tres. QVID *ijs adsit & commoditatis*, § Et, non est in decem, & Tertij. Vtilitatis, unus. QVIS *sit finis bonorum*: § Qui, duo, & Tertij. Quid, unus. ID *mihi dicere* § Idem, unus. SIQVIDEM *inter homines natura meministi coniunctam societatem*. § Siquidem meministi esse inter homines natura coniunctam soc. decem, & Tertij. MEMINI, *inquit ille*: § Inquiet, nouem, & Tertij. VT *nihil suum cuiusque* [illegible]? § Cuique, decem. Vt nihil cuiusquam sit, Fuluius Vrsinus ait esse in suo uetere libro. NEC *uendendum quidem* § Ne, duodecim mei. Totum hoc deest in Tertij libro. EX *altera autem parte*, § haec erat Antipatri opinio. PESTILENTES *sint*, § sic Diocletianus, & Maximianus lib. IX. C. de aedil. edicto, Pestibilem fundum diciunt, pro eo, qui letiferam herbam habet. IN *omnibus cubilibus* § Cubiculis, decem, & Tertij. HOC *emptoribus* § Haec, duo, & Tertij. NVM *id iuste, an improbe fecerit*? § Num id iniuste, aut improbe fecerit? nouem & Tertij. IMPROBE *facit*. § absunt haec a decem meis, & Tertij. Ille improbe uero, inquit Antipater, unus. ERRANTI *uiam non monstrare*, § ex quo uersus Ennij lib. I.

Vt homo, qui erranti comiter monstrat uiam,
Quasi lumen de suo lumine accendat, facit,
Nihilominus ut ipsi luceat, cum illi accenderit.

SANCITVM *est*, § Sanctum est, quattuor, & Tertij. Constitutum est, unus. Factum est, unus, mendose.

CICERO

QVOD *si, qui proscribunt uillam bonam, ut ipsi asserunt, beneq. aedificatam; non existimantur fefellisse, etiam si illa nec bona est, nec aedificata ratione: multominus, qui domum non laudarunt. ubi enim iudicium emptoris est, ibi fraus uenditoris quae potest esse? sin autem dictum non omne praestandum est, quod dictū non est, id praestandum putas? quid uero est stultius, quā uenditorem, eius rei, quam uendat, uitia narrare? quid autem tam absurdum, quam, si domini iussu ita praeco praedicet, domum pestilentem uendo? Sic ergo, in quibusdam*

Landesbibliothek Oldenburg

busdam cauſſis dubijs, ex altera parte defenditur honeſtas; ex altera ita de utilitate dicitur, ut id, quod utile uideatur, non modo honeſtum facere ſit, ſed etiam, non facere, turpe. haec eſt illa, quae uidetur utilium fieri cum honeſtis ſaepe, diſſenſio. Quae diiudicanda ſunt: non enim, ut quaereremus, expoſuimus; ſed, ut explicaremus. Non igitur uidetur nec frumentarius ille Rhodius, nec hic aedium uenditor celare emptores debuiſſe. neque enim id eſt celare, quidquid reticeas; ſed cum, quod tu ſcias, id ignorare, emolumenti tui cauſſa, uelis eos, quorum interſit id ſcire. hoc autem celandi genus quale ſit, & cuius hominis, quis non uidet? certe non aperti, non ſimplicis eſt, non ingenui, non iuſti, non uiri boni; uerſuti potius, obſcuri, aſſuti, fallacis, malitioſi, callidi, ueteratoris, uafri. haec tot, & alia plura, non ne inuti de eſt, uitiorum ſubire nomina? Quod ſi uituperandi ſunt, qui reticuerunt: quid de iis exiſtimandum eſt, qui orationis uanitatem adhibuerunt? C. Canius, eques R. homo nec infacetus, & ſatis litteratus, cum ſe Syracuſas, otiandi cauſſa, non negotiandi, ut ipſe dicere ſolebat, contuliſſet, dicitabat, ſe hortulos aliquos uelle emere, quo inuitare amicos, & ubi ſe oblectare ſine interpellatoribus poſſet. quod cum percrebuiſſet, Pythius ei quidam, qui argentariam faceret Syracuſis, dixit, uenales quidem ſe hortos non habere, ſed licere uti Canio, ſi uellet, ut ſuis: & ſimul ad cenam inuitauit in poſterum diem. cum ille promiſiſſet, tum Pythius, ut argentarius, qui eſſet apud omnes ordines gratioſus, piſcatores ad ſe conuocauit, & ab iis petiuit, ut ante ſuos hortulos poſtera die piſcarentur; dixitque, quid eos facere uellet. ad cenam tempore uenit Canius. opipare paratum erat conuiuium, cymbarum ante oculos multitudo pro ſe quiſque, quod ceperat, afferebat: ante pedes Pythij piſces abiiciebantur. tum Canius, Quaeſo, inquit, Quid eſt, o Pythi, tantum ne piſcium? tantum ne cymbarum? & ille, Quid mirum? inquit: hoc loco eſt. Syracuſis quidquid eſt piſcium: hic aquatio: hac uilla iſti carere non poſſunt. incenſus Canius cupiditate, contendit a Pythio, ut uenderet. grauate ille primo: quid multa? impetrat: emit homo cupidus, & locuples, tanti, quanti Pythius uoluit, & emit inſtructos: nomina facit: negotium conficit. inuitat Canius poſtera die familiares ſuos: uenit ipſe mature: ſcalmum nullum uidet: quaerit ex proximo uicino, num feriae quaedam piſcatorum eſſent, quod eos nullos uideret. nullae, quod ſciam, inquit ille: ſed hic piſcari nulli ſolent: itaq. heri mirabar, quid accidiſſet. ſtomachari Canius: ſed quid faceret? nondum enim Aquillius, collega, & familiaris, meus, protulerat de dolo malo formulas. in quibus ipſis, cum ex eo quaereretur, quid eſſet dolus malus; reſpondebat, cum eſſet aliud ſimulatum, aliud actum. hoc quidem ſane luculenter, ut ab homine perito definiendi. ergo & Pythius, & omnes aliud agentes, aliud ſimulantes, perfidi, improbi, malitioſi ſunt. nullum igitur eorū factum poteſt utile eſſe, cum ſit tot uitijs inquinatum.

EXPLANATIO

VT *quaereremus*, § ut quaeſtionem in medio non explicatam relinqueremus. NON *igitur &c.* § ſolum honeſtum, ut Stoici, Cicero ſequitur. ſentit igitur cum Antipatro. NON *ſimplicis eſt*, § τὸ Eſt, non legitur in undecim meis, & Tertij. OBSCVRI, § qui ſuam uoluntatem non facile oſtenderet. ORATIONIS *uanitatem adhibuerunt?* § falſum dixerunt. C. CANIVS, § permultae familiae Romanae nomen a beſtijs ſumpſerunt, ut Canij, Ouij, Galli, Porcij, Aſinij. De hoc Canio II. de Orat. & ad Att. HOMO *nec infacetus*, § Homo, abeſt ab omnibus meis, & Tertij. *Nec infacetus, & ſatis litteratus*, § ſic Fam. lib. x. ep. 1. Nec miror, & gaudeo. DICTITABAT § Dictabat, duodecim mei, & Tertij. Dicebat, unus. VELLE *emere*, § ord. praep. undecim mei, & Tertij. INTERPELLATORIBVS § Interpellationibus, duo mei. ARGENTARIAM *faceret* § ἀργυροπρακτικὴν ἐργάζεσθαι. SYRACVSIS, *dixit*, § Dixit, non eſt in decem meis, & Tertij. In uno eſt, Inquit, poſt uerbum Quidem. ET *ſimul ad cenam inuitauit in poſterum diem*. § Et ſimul ad cenam hominem in hortos inuitauit in poſterum diem, omnes mei, & Tertij. VT *argentarius, qui eſſet &c.* § Qui eſſet ut arg. quinque, & Tertij. Qui ut eſſet arg. unus. AB *iis petiuit*, § commentum ſimile de Egeſtaeis Siciliae populis, Athenienſes ad bellum Syracuſanum hortantibus, narrat Thucydides lib. VI. argentum enim non ſolum, ſed a finitimis populis commodato acceptum, oſtentarunt. POSTERA *die* § Poſtero die, unus. Poſtridie, duo, & Tertij. TEMPORE *uenit* § Tempori, Tertij liber. probo. OPIPARE *paratum erat conuiuium*, § Apparatum, duodecim mei, & Tertij. Opipare a Pythio adparatum erat conu. Tertij liber. CYMBARVM § Cymbae, dictae a uelocitate. Κύμβαι, Heſichio, ὄρνιθες. Vide & Sudam. ANTE *oculos* § ſic libri ueteres. D. Ambroſius, Hortulos, uidetur legiſſe. PRO *ſe quiſque*, § ideſt, pro uirili. Liu. II. Cum hoſtes adeſſent, pro ſe quiſque in urbem ex agris demigrauit. Virg. Pro ſe quiſque uiri. GRAVATE *ille primo*. § Grauare, duo. EMIT *inſtructos*: § quibus nihil, quod uſui, & ornamento ſit, deeſſet. NOMINA *facit*: § ideſt, Nomina in libris apparere facit. POSTERA *die* § Poſtridie, quattuor, & Tertij. Poſtriduum, unus. SCALMVM § Vide Pollucem lib. I. cap. 9. AQVILLIVS, § de Aquillio, in Topicis, & Plin. lib. XVII. cap. 1. COLLEGA, § in praetura. quod indicat oratio pro Cluentio. ſic & in Topicis eum appellauit, & lib. III. de nat. de. SANE *luculenter*, § Luculente, tredecim mei, & Tertij. Luculentē, unus. MALITIOSI *ſunt*. § Sunt, non eſt, in ſex, & Tertij. TOT *uitijs* § perfidia, improbitate, malitia.

CICERO

QVOD *ſi Aquilliana definitio uera eſt: ex omni uita ſimulatio, diſſimulatioq. tollenda eſt. ita nec, ut emat melius, nec, ut uendat, quiſquam ſimulabit, aut diſſimulabit uir bonus. atque iſte dolus malus etiam legibus erat uindicatus; ut tutela XII tab. & circumſcriptio adoleſcentium lege Laetoria, & ſine lege, iudicijs,*

Landesbibliothek Oldenburg

in quibus, Ex fide bona, *additur. reliquorum autem iudiciorum haec uerba maxime excellunt, in arbitrio rei uxoriae*, Melius, aequius; *in fiducia*, Vt inter bonos bene agier, *quid ergo? aut in eo, quod melius, aequius, potest ulla pars inesse fraudis; aut, cum dicitur, Vt inter bonos bene agier, quidquam agi dolose, aut malitiose, potest? dolus autem malus simulatione, & dissimulatione, ut ait Aquillius, continetur. tollendum est igitur in rebus contrahendis omne mendacium. non licitatorem uenditor, nec, qui contra se liceatur, emptor apponet: uterque, si ad eloquendum uenerit, non plus, quam semel, eloquetur. Q. quidem Scaeuola, P. filius, cum postulasset, ut sibi fundus, cuius emptor erat, semel indicaretur, idq. uenditor ita fecisset, dixit, se pluris aestimare, addidit centum millia. nemo est, qui hoc uiri boni fuisse neget; sapientis negant: ut, si minoris, quam potuisset, uendidisset. Haec igitur est illa pernicies, quod alios bonos, alios sapientes existimant: ex quo Ennius: Nequidquam sapere sapientem, qui sibiipsi prodesse nequiret. uere id quidem; si, quid esset Prodesse, mihi cum Ennio conueniret. Hecatonem quidem Rhodium, discipulum Panaetij, ideo in ijs libris, quos de Officijs scripsit Q. Tuberoni, dicere, sapientis esse, nihil contra mores, leges, institutaque ciuitatis, habere rationem rei familiaris: neque enim solum nobis diuites esse uolumus, sed liberis, propinquis, amicis, maximeq. reip. singulorum enim facultates, & copiae, diuitiae sunt ciuitatis. huic Scaeuolae factum, de quo paullo ante dixi, placere nullo modo potest. etenim omnino se negat facturum compendij sui caussa, quod non liceat. huic nec laus magna tribuenda est, nec gratia. Sed, siue & simulatio, & dissimulatio dolus malus est; perpaucae res sunt, in quibus dolus iste malus non uersetur: siue uir bonus est is, qui prodest, quibus potest, nocet nemini; recte iustum uirum bonum non facile reperiemus. Numquam igitur est utile, peccare, quia semper est turpe; & quia semper est honestum, uirum bonum esse, semper est utile.*

EXPLANATIO

VT *uendat, quisquam simulabit*, ℈ Quidquam, undecim, & Tertij. Quidquid, unus. Quicunque, unus. ATQVE *iste dolus malus* ℈ Atqui, legendum puto. Cur autem ita legam, facile patet. TVTELA ℈ Seruius Tutelam ait esse uim, atque potestatem in capite libero constitutam, ad tuendum eum, qui per aetatem sua sponte se defendere nequit, iure ciuili datam, ac permissam. CIRCVMSCRIPTIO *adolescentium* ℈ Si quis adolescentes decepisset, atque in fraudem illexisset, Terentius ait. LEGE *Laetoria*, ℈ de qua Suetonius lib. IV. Praetorum, apud Prisc. in uerbo, Stipula, & Cicero lib. III. de nat. de. SINE *lege, iudicijs*, ℈ Lex punit, iudicium damnat. VT *inter bonos bene agier.* ℈ ad Trebatium, Fam. lib. VII. ep. I. Vbi porro erit illa formula fiduciae? Vt inter bonos bene agier oportet. DOLOSE, *aut malitiose potest?* ℈ Malitiose, aut dolose potest, tres. Malitiose, aut dolo potest, unus. IN *rebus contrahendis* ℈ Ex, pro In, undecim, & Tertij. CONTRA *se liceatur*, ℈ Se, abest ab uno. Contra asse liceatur, legit Muretus: exemplisq. confirmat, Variarum Lect. lib. XIV. cap. 3. EMPTOR *opponet*: ℈ Apponet, octo, & Tertij. INDICARETVR, ℈ idest, aestimaretur. Male Nonius interpretatur, promitteret, addiceretur. SAPIENTIS *negant*: ℈ qualis Carneades. Lactant. lib. de Iustitia, cap. 17. & 18. ALIOS *bonos, alios sapientes* ℈ cum re uera distingui, & distingui non possint. omnes enim sapientes boni sunt. QVI *sibi ipsi prodesse nequiret.* ℈ Qui ipse sibi prod. nequiret, octo. Ipse, quattuor. Ipse, non est in uno. Non qui ret, duo. Citatur & Fam. lib. VII. ep. 6. Sumptum ab Euripidis Medea:

Μισῶ σοφιστὴν, ὅστις οὐχ αὑτῷ σοφός.

SINGVLORVM *enim facultates, & copiae, diuitiae sunt ciuitatis.* ℈ sic Isocrates ad Nicoclem: Απαντα τὰ τῶν οἰκούντων τὴν πόλιν, οἰκεῖα τῶν καλῶς βασιλευόντων ἐστί. NEGAT ℈ Scaeuola. ETENIM *omnino se negat f.* ℈ Etenim omnino tantum se negat f. undecim, & Tertij. Etenim omnino negat tantum se f. unus. Etenim tantum omnino se negat f. unus. HVIC ℈ Hecatoni: qui discedet a lege naturae, ius ciuile tantum seruat, idq. satis esse putat: cum Scaeuola legem etiam naturae, quae multo patet latius, quam ius ciuile, seruandam in emendo censuerit. TRIBVENDA *est, nec gratia.* ℈ Tribuenda, nec gratia est, undecim, & Tertij. SIVE *& simulatio*, ℈ Et, abest a tribus. IN *quibus dolus iste malus non uersetur:* ℈ In quibus non dolus malus iste uersetur, duodecim, & Tertij. RECTE *iustum uirum bonum non facile reperiemus.* ℈ Istum, duo ueteres libri. & ita ante multos annos emendandum putauit Pater in annotationibus in margine adscriptis. Reperimus, septem, & Tertij.

CICERO

AC *de iure quidem praediorum sancitum est apud nos iure ciuili, ut in his uendendis uitia etiam declarentur, quae nota essent uenditori. nam, cum ex duodecim tabulis satis esset cautum, ea praestari, quae essent lingua nuncupata; quae qui infitiatus esset, dupli poenam subiret: a iurisconsultis etiam reticentiae poena est constituta. quidquid enim mest praedio uitij, id, statuerunt, si uenditor sciret, nisi nominatim dictum esset, praestari oportere. ut, cum in arce augurium augures acturi essent, iussissentque T. Claudium Centimalum, qui aedes in Coelio monte habebat, demoliri eas, quarum altitudo officeret auspicijs: Claudius proscripsit, insulam uendidit: emit P. Casurnius Lanarius. huic ab auguribus illud idem denunciatum est. itaque Calpurnius, cum demolitus esset, cognouisseque, Claudium aedes postea proscripsisse, quam esset ab auguribus demoliri iussus, arbitrum illum adegit;* Quidquid sibi dare facere oporteret ex fide bona. *M. Cato sententiam dixit, huius nostri Catonis pater. ut enim ceteri ex patribus, sic hic, qui illud lumen progenuit, ex filio est nominandus. is igitur iudex ita pronunciauit: cum in uenumdando rem eam sciisset, & non pronunciauisset, emptori damnum praestari oportere.*

Landesbibliothek Oldenburg

tere. igitur ad fidem bonam statuit pertinere, notum esse emptori uitium, quod nosset uenditor. quod si recte dijudicauit; non recte frumentarius ille, non recte aedium pestilentium uenditor tacuit. Sed huiusmodi reticentiae iure ciuili omnes comprehendi non possunt; quae autem possunt, diligenter tenentur. M. Marius Gratidianus, propinquus noster, C. Sergio Oratae uendiderat aedes eas, quas ab eodem ipse paucis ante annis emerat. hae Sergio seruiebant: sed hoc in mancipio Marius non dixerat. adducta res in iudicium est. Oratam Crassus, Gratidianum defendebat Antonius. ius Crassus urgebat; quod uitij uenditor non dixisset, sciens, id oportere praestari: aequitatem Antonius; quoniam id uitium ignotum Sergio non fuisset, qui illas aedes uendidisset, nihil fuisse necesse dici; nec eum esse deceptum, qui id, quod emerat, quo iure esset, teneret. quorsum haec? ut illud intelligas, non placuisse maioribus nostris astutos. sed aliter leges, aliter philosophi tollunt astutias: leges, quatenus manu tenere possunt; philosophi, quatenus ratione, & intelligentia. Ratio igitur hoc postulat, ne quid insidiose, ne quid simulate, ne quid fallaciter. Sunt ne igitur insidiae, tendere plagas, etiam si excitaturus non sis, nec agitaturus? ipsae enim ferae, nullo insequente, saepe incidunt. sic, tu cum aedes proscribas, tabulam tamquam plagam ponas, domum propter uitia uendas, in eam aliquis incurrat imprudens: hoc quamquam uideo propter deprauationem consuetudinis neque more turpe haberi, neque aut lege sanciri, aut iure ciuili; naturae tamen lege sancitum est. societas enim est, (quod etsi saepe dictum est, dicendum tamen est saepius) latissime quidem quae pateat, hominum inter homines; interior, eorum, qui eiusdem gentis sunt; propior, eorum, qui eiusdem ciuitatis. itaque maiores aliud ius gentium, aliud ius ciuile esse uoluerunt. quod enim ciuile, non idem continuo gentium; quod autem gentium, idem ciuile esse debet. sed nos, ueri iuris, germanaeq. iustitiae solidam, & expressam effigiem nullam tenemus; umbra, & imaginibus utimur: eas. ipsas utinam sequeremur, feruntur enim ex optimis naturae principijs, & ueritatis exemplis. nam, quanti uerba illa? Vti ne propter te, fidem ue tuam captus, fraudatus ue sim. quam illa aurea? Vt inter bonos bene agier oportet, & sine fraudatione. Sed, qui sint Boni, & quid sit Bene agier, magna quaestio est. Quinctus quidem Scaeuola, pont. max. summam uim esse dicebat in omnibus ijs arbitrijs, in quibus adderetur, Ex fide bona: Fideiq. bonae nomen existimabat manare latissime, idq. uersari in tutelis, societatibus, fiducijs, mandatis, rebus emptis, uenditis, conductis, locatis: quibus uitae societas continetur: in his, magni esse iudicis, statuere, praesertim cum in plerisque essent iudicia contraria, quid quemque cuique praestare oporteret. Quocirca astutiae tollendae sunt, eaq. malitia, quae uult quidem uideri se esse prudentiam; sed abest ab ea, distatq. plurimum. prudentia est enim locata in delectu bonorum, & malorum; malitia, si omnia, quae turpia sunt, mala sunt, mala bonis anteponit.

EXPLANATIO

SANCITVM *est apud nos iure ciuili*, ℈ Digestorum lib. XXI. & lib. XLIII. Sanctum, unus, & Tertij. VITIA *etiam dicerentur*, ℈ Etiam, non est in quattuor, & Tertij. SATIS *esset cautum*, ℈ Cautum, non est in nouem, & Tertij. QVAE *essent lingua nuncupata*; ℈ lib. I. de Oratore: Totum illud, Vti lingua nuncupasset, non in XII. tabulis, quas tu omnibus bibliothecis anteponis, sed in magistri carmine scriptum uideretur. DVPLI *poenam* ℈ sic duo, & Tertij. recte. Male alij, Duplicem poenam, uel, Duplici. RETICENTIAE *poena* ℈ actio redhibitoria dicitur Dig. de aedilicio edicto. QVIDQVID *enim inest praedio uitij*, ℈ Quidquid enim est in praedio uitij, nouem, & Tertij. Est enim in pr. unus. In praedio est, unus. Est, non legitur in duobus. Vide autem de Vitij, & Morbi differentia Agellium lib. IV. cap. 2. IN *arce* ℈ uide Festum in uerbo, Acani, & in, Auguraculum. T. CLAVDIVM *Centim.* ℈ duo non habent praenomen. Titium, unus. Ti. unus. Vide Val. Max. lib. IIX. cap. de priuatis iudicijs. DEMOLIRI *eas, quarum alt.* ℈ Ea, quorum, unus, & Tertij. OFFICERET *auspicijs:* ℈ ne rite fierent. sic locutus & Val. Max. in eadem historia. Cic. de Diu. Contemplationi caeli officere. Et de Orat. I. Quod cuicunque particulae caeli officeretur. Obstruere luminibus, pro domo, & apud Iurisconsultos. INSVLAM *uendidit*. ℈ Festus: Insulae dictae proprie, quae non iunguntur communibus parietibus cum uicinis; Circuituq. publico, aut priuato cinguntur; a similitudine uidelicet earum terrarum, quae fluminibus, ac mari eminent, suntq. in salo positae. P. CALPVRNIVS *Lanarius*. ℈ uereor interdum, ne parum notae gentis nomen occasionem dederit mendo. Cafurnium enim Lanarium in antiquo lapide nominari obseruaui. ex eo fecit aliquis, Calfurnius: & ita scriptum in duodecim meis, & impressum in quamplurimis: unde alius, Calphurnius, ut in uno meo: alius, Calpurnius, quo modo in uno, & Tertij: ut error ex errore nascitur. Diuus quidem Hieronymus in Epistolis ter mentionē facit cuiusdam Calfurnij, nō Calpurnij, Lanarij. Sed hanc totam controuersiam dirimit, ut mihi quidem uidetur, antiquus lapis, in radice Capitolij, in parte priuatae domus, ita inscriptus:

C. CAFVRNIVS
C. L. ANTIOCHVS
LANARIVS
VETVRIA. C. L
DEVTERA
MONVMENTVM
FECIT. SIBI. ET. SVEIS
IN. FR. P. XV. IN. A. P. XX

QVAM

QVAM *esset &c.* ⸗ Quam eas esset, Fuluius Vrsinus legit, ex antiquo libro. ARBITRVM *illum adegit: Quidquid sibi dare, facere oporteret ex fide bona.* ⸗ Sensus hic alius esse non potest, quam, iudicis arbitrio rem committere, Claudium coegit: ad arbitrium Claudium adduxit. At Valerius Max. lib IIX. cap. 2. ita factum hoc exponit, non ut a Cafurnio Claudius ad arbitrium adductus esse, sed ut arbitrium Cafurnius una cum Claudio ad rem cognoscendam adduxisse uideatur. eius uerba sunt haec: Cafurnius demoliri domum coactus, M' Porcium, inclyti Catonis patrem, arbitrum cum Claudio adduxit, ut formulam daret: Quidquid sibi dare facere oporteret ex fide bona. Cato, ut est doctus, de industria Claudium edictum sacerdotum suppressisse, continuo illum Cafurnio damnauit. Idem paullo post similiter locutus est. De qua re, inquit, C. Aquillius, uir magnae auctoritatis, & scientia iuris ciuilis excellens, iudex adductus, prudentia, & religione sua mulierem repulit. Valerio igitur auctore, non is, qui litem intendit, aduersarium adigit ad arbitrum, idest, cogit ad arbitrum uenire; sed arbiter ad formulam dandam, id est ad iudicandum ex usitata actionis formula, ab utroque adducitur. quod mihi quidem paene persuadetur. nam Valerius eam rem ita narsat, ut, si quid in uerbis a Cicerone discrepat, sententiam magis aperire uoluisse uideatur. quare suspicor, Illum, abundare, & inculcatum, ac receptum ab iis esse, qui Arbitrum adegit, dictum existimarunt, pro, ad arbitrum ire coegit. (nam in uno meo est, Ad arbitrum illum adegit) Nec uero me, ut ita credam, unius Valerij mouet auctoritas. exemplum hoc simile in Topicis notaui: Quemadmodum, si in urbe de finibus controuersia est, quia fines magis agrorum uidentur esse, quam urbis, finibus regundis adigere arbitrum non possis: sic, si aqua pluuia in urbe nocet, quoniam res tota magis agrorum est, aquae pluuiae arcendae adigere non possis arbitrum. Hic certe, qui ad arbitrum adigatur, nullius mentio est. arbiter igitur ipse adigitur, idest, ut interpretatur Valerius, adducitur. Eadem ratio mihi suspicionem affert de mendo in oratione pro Comoedo. nam, ubi est, Cur non arbitrium pro socio adegeris Q. Roscium, quaero: rectius fore arbitror: Cur non arbitrum pro socio adegeris, quaero: idest, cur non arbitrium ad iudicandum ex formula pro socio adduxeris. nam illud, Q. Roscium, additum fortasse ex eadem inscitia, qua, Illum, inculcatum hic esse dixi. Atque haec tamen ita sentio, nihil ut affirmare audeam, nisi aliquam libri ueteres opem afferant. interim excitare aliorum ingenia, quibus ego dissentientibus a me non inuascar, ueritatem ostendentibus etiam gratias agã, non inutile fuit. *Quidquid sibi*: sententia pendet e superioribus. ideo enim Cafurnius arbitrum adegit, ut statueret, quidquid sibi Claudium dare, facere oporteret ex fide bona. quae sunt antiquae uerba formulae de dolo malo. Et, Dare facere, pro, De ea re facere, quod erat in omnibus uulgatis libris, recte ab hominibus ingenio, doctrinaq. praestantibus repositum est. nam, qui sibi promitti uolebat, ita stipulabatur. Promittis ne, quidquid te dare, facere, oportet? Respondebatur, Promitto. Exstant in Digestis exempla similia. Lib. v. tit. 2. L. Titia, 13. ff. de inoff. test. ex Scaeuola lib. III. Responsorum: Ea omnia, quae supra dari, fieri iussi, ea dari, fieri uolo. Et postea: Ea uti dentur, fiant. Lib. XIX. tit. 1. L. Idem Iulianus, 13. ff. de actionibus empti, & uenditi, ex Vlpiano lib. XXXII. ad Edictum: Id emptorem dare, facere, praestare q. oportere. Lib. XXXI. de Legat. & fideicomm. 2. tit. 1. L. Si scripsi. 46. ex Proculo lib. v. Epistolarum: Si scripsisset, qui legabat, Quidquid mihi L. Titium dare, facere oportet, Sempronio lego: nec adiecisset, Praesens, in diem ue: non dubitarem, quin ea pecunia comprehensa non esset, cuius dies moriente eo, qui testamentum fecisset, nondum uenisset. Lib. XXXIV. tit. 3. L. Cum ita, 19. ex Modestino lib. IX. Regularum: Cum ita testemur, Heres meus damnas esto liberare illum, quod is negotia mea gesit; & siquid cum mihi dare, facere oportet, ab eo non exigere. &c. Lib. XLIV. tit. 7. L. Actionum, 25. ff. de oblig. & act. ex Vlpiano libro singulari Regularum: In persona actio est, qua cum eo agimus, qui obligatus est nobis ad faciendum aliquid, uel dandum, & semper aduersus eundem locum habet. Lib. XLV. tit. 1. L. Cum stip. 125. de uerb. obl. ex Paullo lib. II. Quaestionum: Cum stipulamur, Quidquid te dare, facere oportet, nihil aliud in stipulationem deducitur, quam, quod praesenti die debetur. Ibidem supra, l. Scire, 29. ex Vlpiano l. XLVI. ad Sabinũ: Constat, siquidem ita stipulatus sim, Quod ex caussa condictionis dare, facere oportet? stipulationem ualere. Et paullo post, l. Qui sic, 47. ex Vlpiano lib. 2. ad Sabinum: Qui sic stipulatur, Quod te mihi illis Kalendis dare oportet, id dare spondes? &c. Ibidem, l. Si a col. 89. ex Paullo lib. IX. ad Plautium: Si a colono, cui fundum in quinquennium locaueram, post tres annos ita stipulatus fuero: Quidquid te dare, facere oportet? Lib. XLVI. tit. 4. L. Et uno, 18. ff. de Acceptil. ex Florentino lib. IIX. Institutionum: Quidquid te mihi ex quacumque caussa dare, facere oportet, oportebit, praesens, in diem ue. &c. Lib. L. tit. 16. L. Saepe ita, 53. ff. de uerb. sign. ex Paullo lib. LIX. ad Edictum: Quod eum dare, facere oportet. Instit. lib. IV. tit. 3. Appellamus in personam actiones, per quas ei dare, aut facere oportere intendit aduersarium. Haec igitur, a Cicerone recitata, uerba sunt Cafurnij, cum Claudio apud arbitrum stipulantis: & additum est, Ex fide bona, quasi Claudius in aedibus uendendis non ex fide bona secum egisset, uitio, quod sciuisset, occultato. HVIVS *nostri Catonis pater*. ⸗ qui se Vticae sua manu occiderat, ne seruientem patriam adspiceret. Agellius lib. XIII. cap. 19. IN *uenumdando* ⸗ In uendumdo, Tertij. In uendendo, nouem. PRONVNCIAVISSET, ⸗ Pronunciasset, undecim. DIIVDICAVIT; ⸗ Iudicauit, tredecim, & Tertij. M. MARIVS *Gratidianus*, ⸗ Asconius, Valerius, Plut. in Sulla, Cic. III. de Leg. PROPINQVVS *noster*, ⸗ Ciceronis enim auus Gratidiani sororem matrimonio coniunctam habuit. de Leg. III. C. SERGIO *Oratae* ⸗ Plin. lib. IX. cap. 54. Valer. lib. IX. cap. 1. Macrob. lib. III. cap. 15. IN *mancipio* ⸗ aedium dominio transferendo, cedendoque. CRASSVS, *Antonius*. ⸗ omnium concessu principes in eloquentia. uide in lib. de claris orat. IVS ⸗ τὸ ἐκρίβοδικαιον. AEQVITATEM ⸗ τὸ ἐπιεικὲς. QVORSVM *haec*? ⸗ Quorsus, quinque, & Tertij: QVATENVS *manu tenere possunt*; ⸗ sic omnes libri ueteres. In Bruto: Cum indicia mortis se comperisse, & manu tenere diceret. *Sic tu, cum aedes proscribas,*

scribas, § Cũ, non est in tribus, & Tertij. Sic tu si aedes proscr. duo. Tu, non est in quattuor. NATVRAE *lege* § cuius illud est, Quod tibi non uis, alteri ne feceris. QVOD *enim ciuile, &c.* § ius gentium patet latius, quam ius ciuile. *Quod enim ciuile*: Enim, non est in decem & Tertij: NATVRAE *principijs*, § Principiis, abest a duodecim meis, & Tertij. BENE *agier, magna quaestio est*. § sic imprimendum curauit Pater ante me natum. ut mirer, quosdam de hoc loco a se nuper emendato somniare. Contra tamen omnes mei ueteres, & Tertij. MALA *bonis anteponit*. § sic quattuor mei. Decem, & Tertij, Mala bonis ponit ante.

CICERO

NEC *uero in praedijs solum ius ciuile, ductum a natura, malitiam, fraudemq. uindicat: sed & in mancipiorum uenditione uenditorum fraus omnis excluditur. qui enim scire debuit de sanitate, de fuga, de furtis, praestat edicto aedilium. heredum alia caussa est. Ex quo intelligitur, quoniam iuris natura fons sit, hoc secundum naturam esse, neminem id agere, ut ex alterius praedetur inscitia. nec ulla pernicies uitae maior inueniri potest, quam in malitia simulatio intelligentiae. ex quo illa innumerabilia nascuntur: ut utilia cum honestis pugnare uideantur. quotus enim quisque reperietur, qui, impunitate, & ignoratione omnium proposita, abstinere possit iniuria? periclitemur, si placet, in ijs quidem exemplis, in quibus peccari uulgus hominum fortasse non putat. neque enim de sicarijs, ueneficis, testamentarijs, furibus, peculatoribus hoc loco disserendum est; qui non uerbis sunt, & disputatione philosophorum, sed uinculis, & carcere, fatigandi: sed haec consideremus, quae faciunt ij, qui habentur boni. L. Minucij Basili, locupletis hominis, falsum testamentum quidam e Graecia Romam attulerunt. quod quo facilius obtinerent, scripserunt heredes secum M. Crassum, & Q. Hortensium, homines eiusdem ciuitatis potentissimos. qui, cum illud falsum esse suspicarentur, sibi autem nullius essent conscij culpae, alieni facinoris munusculum non repudiauerunt. quid ergo? satin' hoc est, ut non deliquisse uideantur? mihi quidem non uidetur. quamquam alterum amaui uiuum, alterum non odi mortuum. sed, cum Basilus M. Satrium, sororis filium, nomen suum ferre uoluisset, eumq. fecisset heredem; hunc dico, patronum agri Piceni, & Sabini: (o turpem notam temporum illorum) non erat aequum, principes ciuitatis rẽ habere, ad Satrium nihil, praeter nomen, peruenire. etenim, si is, qui non defendit iniuriam, neque propulsat a suis, cum potest, iniuste facit, ut in primo libro disserui: qualis habendus est is, qui non modo non repellit, sed etiam adiuuat iniuriam? mihi quidem etiam uerae hereditates non honestae uidentur, si sint malitiosis blanditijs officiorum, non ueritate, sed simulatione, quaesitae. Atqui in talibus rebus aliud utile interdum, aliud honestum uideri solet: falso: nam eadem utilitatis, quae honestatis, est regula. qui hoc non praeuiderit, ab hoc nulla fraus aberit, nullum facinus. sic enim cogitans; est istud quidem honestum, uerum hoc expedit; res, a natura copulatas, audebit errore diuellere: qui fons est fraudum, maleficiorum, scelerum omnium. itaque, si uir bonus habeat hanc uim, ut, si digitis concrepuerit, possit in locupletiũ testamenta nomen eius irrepere, hac ui non utatur, ne si exploratum quidem habeat, id omnino neminem umquam suspicaturum. at si dares hanc uim M. Crasso, ut digitorum percussione heres posset scriptus esse, qui re uera non esset heres; in foro, mihi crede, saltaret. homo autem iustus, & is, quem sentimus uirum bonum, nihil cuiquam, quod in se transferat, detrahet. hoc qui admiratur, is se, quis sit uir bonus, nescire fateatur.*

EXPLANATIO

IN *mancipiorum uenditione* § an sana, fugitiua, fugacia. DE *sanitate*, § Fam. lib. XII. ep. 10. DE *fuga*, § Lactantius lib. V. cap. 17. SECVNDVM *naturam &c.* § hinc, Quod tibi fieri non uis, alteri ne feceris, Naturae lex. IN *malitia simulatio intelligentiae*. § infra: Prudentiam uult imitari malitia. ILLA *innumerabilia* § Ista, undecim, & Tertij. PECCARI § sic decem mei, & Tertij. probo. SED *uinculis, & carcere fatigandi*: § sic Nonius ex industria, non, Castigandi: & explanat, Cohibendi, comprimendi. sic etiam sex mei, & Tertij. L. MINVCII *Basili*, § sic lego cum Valerio Max. lib. IX. cap. 4. & cum optimo Tertij libro. & cognomen, Basili, malo, quam, Basilij: quod uidetur esse nomen gentis. Basillus, obseruaui in antiquis lapidibus.

Romae, in hortulis Caesiis.

IVNONI
REGINAE
PAEZON
AQVILIAES
BASILLAES

In Parione, in aedibus Franciſci Liſchae.

IOVI. OPTVMO
MAXIMO. DOLICHEN
PAEZON. AQVILIAES
BASILLAES. ACTOR
CVM. PAEZVSA. FILIA. SVA
D. D

Vt hic fortasse, Basillus, etiam legi posit, mutatione I in L. HOMINES *eiusdem ciuitatis potentissimos.* § recte sic legitur in octo meis. nam, Eiusdem aetatis, ad rem minus pertinet. tuendi enim falsi testamenti consilium adiuuabatur summa potentia duorum hominum eiusdem ciuitatis: quod spectarunt heredes falsi. eadem uero aetas quid afferebat ad spem obtinendi testamenti? Libentius legerem, nisi ueteres omnes aduersarentur libri, pro', Eiusdem ciuitatis potentisimos, Ciuitatis nostrae potentisimos: uti legitur in Valerio Max. lib. IX. cap. 4. Aetatis, tamen legitur in quinque, & Tertij. *Potentissimos:* Crassum diuitiis, Hortensium eloquentia. ALTERVM *amaui uiuum,* § Hortensium aemulum, cuius mortem deplorat in libri prooemio, qui inscribitur Brutus. ALTERVM *non odi mortuum.* § M. Crassum, quem uiuum oderat, & in Paradoxis insectatur. SATRIVM, § in librorum uarietate, quorum septem Satirium, duo Satirum, quattuor, & Tertij Satrium habent, familiam eam ueriorem esse puto, quae ueterum lapidum testimonio confirmatur.

Romae in aedibus Hadriani Fusconij, Episcopi Aquinatis. 1.

DIS. MANIBVS
N. SATRI
AVGVSTALIS
SATRIA
NYMPHE
VERNAE. SVO
CARISSIMO
VIX. ANN. XXII
M. I. DIEBVS. IIII

Pontis Curui. 2.

P. SATRIVS. L. F
LOC. MON. DED
P. HILARO. TYRANIDI
LIBERT. ET. PERENNO
TERTIO. IN. F. P. XII. IN. AGRO. P.
XIIII

Sentini. 3.

L. SENTINATI
L. F. LEM. VERO
IIII. VIR. QVINQ
IVR. DIC
ORDO. ET. PLEPS. SENTI
H. A. I. R
SATRIA. AN. F. VERA
FIL. PIISSIMO
L. D. D. D.

O turpem notam &c. § apparet igitur eos partem illius hereditatis accepisse. NON *erat aequum,* § sic omnes mei, & Tertij. Num, Fuluius, ex uetere suo. PRINCIPES *ciuitatis* § Ciuis, septem, & Tertij. & recte. pro, Ciues: quod est in uno. Huius, unus; Eius, alter: mendose. VERAE *hereditates* § testamento legatae: cum illa, proxime nominata, uera non fuerit. PRAEVIDERIT, § sic quinque. Prouiderit, octo. Peruiderit, Tertij. quod rectius puto. AB *hoc nulla fraus aberit.* § reciproce. pro, Ipse non aberit a nulla fraude. EST *istud quidem honestum,* § sic decem mei. Illud, unus. Id, unus. Istuc, Tertij. Vnus non habet. FRAVDVM, § Fraudium, septem & Tertij. Sic Phil. II. Laudium. Sic &, Ciuitatium, Annaeus Cornutus ad Italicum, de Virgilio lib. X. Iamq. exemplo tuo etiam principes ciuitatium, & poetae incipient similia fingere. & in antiquo lapide.

Firmi, in Piceno.

L. VOLCATIO. Q. F
VEL. PRIMO
PRAEF. COH. T. NORICOR
IN. PANN. PRAEF. RIPAE
DANVVI. ET. CIVITATIVM
DVAR. BOLOR. ET. AZALIOR
TRIB. MILIT. LEG. V
MACEDONICAE. IN
MOESIA. PRAEF. ALAE. T
PANNONIOR. IN. AFRICA

IIVIRO

II. VIRO. QVINQ
FLAMINI. DIVORVM
OMNIVM. P. C
EX. TESTAMENTO. EIVS
POSITA
M. ACCIO. SENECA
....MANLIO. PLANTA
II. VIR. QVINQ

SI *digitis concrepuerit*, § unde prouerbium, Ad digituli crepitum, ideſt, minimo momento. LOCVPLETIVM § ſic ſeptem, & Tertij. IN *foro ſaltaret*. § prae gaudio, utpote qui ſummum bonum non in honeſto, ſed in diuitiis, opibusq. poneret. Saltationem autem apud Romanos turpem fuiſſe, ueterum ſcripta abunde teſtatur.

CICERO

AT *uero, ſi quis uoluerit animi ſui complicatam notionem euoluere, iam ſeipſe doceat, eum uirum bonum eſſe, qui proſit, quibus poſſit; noceat nemini, niſi laceſſitus iniuria. quid ergo? hic non noceat, qui quodam quaſi ueneno perficiat, ut ueros heredes moueat, in eorũ locum ipſe ſuccedat? Non ergo faciat, dixerit quis, quod utile ſit, quodq. expediat? Immo intelligat, nihil nec expedire, nec utile eſſe, quod ſit iniuſtum. hoc qui non didicerit, bonus eſſe non poterit. Fimbriam conſularem, audiebam de patre noſtro puer, iudicem M. Lutatio Pythiae fuiſſe, equiti R. ſane honeſto, cum is ſponſionem feciſſet, Ni uir bonus eſſet: itaque ei dixiſſe Fimbriam, ſe illam rem numquam iudicaturum: ne aut ſpoliaret fama probatum hominem, ſi contra iudicaſſet; aut ſtatuiſſe uideretur uirum bonum aliquem eſſe, cum ea res innumerabilibus officijs, & laudibus contineretur. Huic igitur uiro bono, quem Fimbria etiam, non modo Socrates, nouerat, nullo modo uideri poteſt quidquam eſſe utile, quod non honeſtum ſit. itaque talis uir non modo facere, ſed ne cogitare quidem, quidquam audebit, quod non audeat praedicare. haec, non ne eſt turpe, dubitare philoſophos, quae ne ruſtici quidem dubitent? a quibus natum eſt id, quod iam tritum eſt uetuſtate prouerbium. cum enim fidem alicuius, bonitatemq. laudant, dignum eſſe dicunt, quicum in tenebris mices. hoc quam habet uim, niſi illam, nihil expedire, quod non deceat, etiam ſi id poſſis, nullo refellente, obtinere? Vides ne igitur, hoc prouerbio, neque Gygi illi poſſe ueniam dari, neque huic, quem paullo ante fingebam digitorum percuſſione hereditates omnium poſſe conuerrere? ut enim, quod turpe eſt, id quãuis occultetur, tamen honeſtum fieri nullo modo poteſt: ſic, quod honeſtum non eſt, id utile ut ſit, effici non poteſt, aduerſante etiam, & repugnante natura. At enim, cum permagna praemia ſunt, eſt cauſſa peccandi. C. Marius, cum a ſpe conſulatus longe abeſſet, & ſeptimum annum poſt praeturam iaceret, neque petiturus umquam conſulatum uideretur, Q. Metellum, cuius legatus erat, ſummũ uirum, & ciuem, cum ab eo, imperatore ſuo, Romã miſſus eſſet, apud populum R. criminatus eſt, bellum illud producere; ſi ſe conſulem feciſſent, breui tempore aut uiuum, aut mortuum Iugurtham ſe in poteſtatem populi R. redacturum. itaque factus eſt ille quidem conſul; ſed a fide, iuſtitiaq. diſceſſit, qui optimum, & grauiſſimum ciuem, cuius legatus, & a quo miſſus eſſet, in inuidiam falſo crimine adduxerit. Nec noſter quidem Gratidianus officio boni uiri functus eſt tum, cum praetor eſſet, collegiumq. praetorium tribuni pleb. adhibuiſſent, ut res nummaria de communi ſententia conſtitueretur. iactabatur enim temporibus illis nummus, ſic, ut nemo poſſet ſcire, quid haberet. conſcripſerunt communiter edictum cum poena, atque iudicio, conſtitueruntque, ut omnes ſimul in Roſtra poſt meridiem deſcenderent. & ceteri quidem alius aliò: Marius a ſubſellijs in Roſtra recta: idque, quod communiter compoſitum fuerat, ſolus edixit. & ea res, ſi quaeris, ei magno honori fuit: omnibus uicis ſtatuae factae ſunt: ad eas tus, & cerei. quid multa? nemo umquam multitudini fuit carior. Haec ſunt, quae conturbent in deliberatione nonnumquam, cum id, in quo uiolatur aequitas, non habetur ita magnum; illud autem, quod ex eo paritur, permagnum uidetur: ut Mario praeripere collegis, & tribunis pl. popularem gratiam, non ita turpe; conſulem ob eam rem fieri, quod ſibi tunc propoſuerat, ualde utile uidebatur. Sed omnium una regula eſt, quam cupio tibi eſſe notiſſimam: aut illud, quod utile uidetur, turpe ne ſit: aut, ſi turpe eſt, ne uideatur eſſe utile. Quid igitur? poſſumus ne aut illum Marium uirum bonum iudicare, aut hunc? explica, atque excute intelligentiam tuam, ut uideas, quae ſit in ea ſpecies, forma, & notio uiri boni. Cadit ergo in uirum bonum, mentiri, emolumenti ſui cauſſa, criminari, praeripere, fallere? nihil profecto minus.*

EXPLANATIO

COMPLICATAM *notionem euoluere*, § eleganter dictum; pro, ſecum ipſe diligenter cogitare, & ex ingenio promere quod latet. ſic infra: Explica, atque excute intelligentiam tuam. NON *ergo faciat*, § Igitur, undecim, & Tertij. QVODQ. *expediat?* § Que, non eſt in ſeptem meis, & Tertij. FIMBRIAM § Licinium Fimbriam Valerius lib. VII. cap. 2. nominat. M. LVTATIO *Pythiae* § Pinthiae, ſeptem mei, & Tertij. quo modo etiam alij edidere. ALIQVEM *eſſe*, § ordine praepoſtero, quinque, & Tertij. FIMBRIA *etiam, non modo Socrates*, § ideſt, uir in rep. gerenda uerſatus, non modo philoſophus. NE *ruſtici quidem* § bonitas etiam apud ruſticos laudem habet. TRITVM *eſt* § Contritum, decem mei, & Tertij. QVICVM *in tenebris mices*. § Luſus genus, Micatio, digitis repente remotis. Ci-

Landesbibliothek Oldenburg

ceto de Diuin. Quid est enim sors? idem propemodum, quod micare, quod talos iacere, quod tesseras. Et 11. de Fin. Vide & Varronem. Exstat & Turcij Aproniani edictum, quod dignum uisum est, ut adscriberē.

Romae, ad DD. Apostolos.

Ex. auctoritate
Turci . Aproniani . V . C.
Praefecti . urbis .
Ratio . docuit . utilitate . sua dente . consuetudine . mi candi . summota . sub . exagio potius . pecora . uendere . quam digitis . conludentibus . trade re . ut . adpenso . pecore . capite pedibus . et . seuo . lactante . et subgulari . lanio . cedentibus reliqua . caro . cum . pelle . et . inte raneis . proficiat . uenditori sub . conspectu . publico . fide . pon deris . comprobata . ut . quantum caro . occisi . pecoris . adpendat et . emptor . norit . et . uenditor commodis . omnibus . et . praeda damnata . quam . tribunus . offi cium . cancellarius . et . scriba de . pecuarijs . capere . consue rant . Quae . forma . interdicti et . dispositionis . sub . gladij . pe riculo . perpetuo . custodien da . mandatur

NATVRA, } quae omnia uiuendi praecepta nobis tradit. SEPTIMVM *annum* } cum consulatu biennio tantum praetura legibus distaret. VIRVM, } uirtute. CIVEM, } dignitate. CVM *ab eo, imperatore suo*, } etsi constat, C. Marij Q. Metellum imperatorem esse, cum hic sit proconsul, ille legatus: tamen mihi suspecta non sunt haec uerba, ut superuacanea, sed ualde uidentur ad sententiam pertinere: cum augeatur aduersus Marium inuidia, qui ab imperatore suo confecti prope belli gloriam ad se transtulerit. Nam, si legas, Ab eo, ut imperatore suo, quod ijs placet, qui alioqui duo illa uerba, tamquam glossema, tollenda existimant, frigere quodam modo, & uim suam perdere sententia uidebitur. Nostram lectionem comprobant omnes mei ueteres libri, & Tertij. BELLVM *illud producere*; } Ducere, undecim mei, & Tertij. Illum, sex. NEC *noster quidem Gratidianus* } Ne, unus, & Tertij. *Noster*: auus enim Ciceronis uxorem duxerat sororem Gratidiae, cuius filius fuerat Gratidianus. lib. III. de Leg. Vide Plin. lib. XXXIII. cap. 9. & lib. XXXIV. cap. 6. ADHIBVISSENT, } Alijssent, Fuluius Vrsinus ex uetere libro. cōtra omnes mei, & Tertij. CONSTITVERETVR. } qui scilicet nummi probi, qui adulterini, quantiq. quique essent. IACTABATVR } pretiū monetae neque aureae, neque argenteae consistebat. DESCENDERENT. } placet, quod est in uno uetere Tertij libro, Escenderent. Sic & Sallustius, Iugurtha: Pars equos escendere, ire obuiam hostibus. Ita enim legit Fronto, eum locum recitans. ET *ea res*, } To, Et, non est in uno. Vt, unus. OMNIBVS *uicis statuae factae sunt*: } in sex meis, & Tertij non leguntur, Factae sunt. ET *cerei*. } To, Et, non est in Tertij libro. QVAE *conturbant homines* } Conturbent, undecim, & Tertij. To Homines, non est in ijsdem. NON *habetur ita magnum*; } To Habetur, abest a decem, & Tertij. & sane glossema est. quod apparet ex aliis libris. in quorum uno, Non ita magnum sit; in altero, Non ita magnum est; in tertio, Non est ita magnum. ILLVM *Marium* } qui criminatus est Q. Metellum, spe consulatus adipiscendi. EXPLICA, *atque excute intelligentiam tuam*, } sic supra: Si quis uoluerit animi sui complicatam notionem euoluere. SPECIES, } Specie, quidam legunt, & explanant, In ea intelligentia. cum ijs facit unus ex meis libris ueteribus. magis placet impressa lectio.

CICERO

EST *ergo ulla res tanti, aut commodum ullum tam expetendum, ut uiri boni & splendorem, & nomen amittas? quid est, quod afferre tantum utilitas ista, quae dicitur, possit, quantum auferre, si boni uiri nomen eripuerit, fidem, iustitiamq. detraxerit? quid enim interest, utrum ex homine se conuertat quis in belluam, an in hominis figura immanitatem gerat belluae? Quid, qui omnia recta, & honesta negligunt, dummodo potentiā consequantur; non ne id faciunt, quod is, qui etiam socerum habere uoluit eum, cuius ipse audacia potens esset? utile enim uidebatur plurimum posse alterius inuidia: id quā inutilem in patriam, quam inutile, quam turpe esset, non uidebat.*

uidebat. ipse autem socer in ore semper Graecos uersus Euripidis de Phoenissis habebat: quos dicam, ut potero; incondite fortasse, sed tamen, ut res possit intelligi:

„ Nam, si uiolandum est ius, regnandi gratia
„ Violandum est: alijs rebus pietatem colas.

capitalis Eteocles, uel potius Euripides, qui id unum solum, quod omnium sceleratissimum fuerat, exceperit. Quid igitur minuta colligimus, hereditates, mercaturas, uenditiones fraudulentas? ecce tibi, qui rex populi R. dominusq. omnium gentium esse concupierit, idq. persecerit. hanc cupiditatem si quis honestam esse dicit, amens est: probat enim legum, & libertatis interitum, carumq. oppressionem taetram, & detestabilem, gloriosam putat. qui autem fateatur, honestum non esse, in ea ciuitate, quae libera fuit, quaeq. esse debeat, regnare; sed ei, qui id facere possit, esse utile; qua hunc obiurgatione, aut quo potius conuicio a tāto errore coner auellere? potest enim, dij immortales, cuiquam esse utile foedissimum, & taeterrimum parricidium patriae, quamuis, eo qui se obstrinxerit, ab oppressis ciuibus Parens nominetur? honestate igitur dirigenda utilitas est, & quidē sic, ut haec duo uerba inter se discrepare, sed tamen unum sonare, uideantur.

EXPLANATIO

Si boni uiri nomen eripuerit, § Viri boni, quinque. FIDEM, *iustitiamq. detraxerit?* § hinc Iuuenalis:

Exemplo quodcumque malo committitur, ipsi
Displicet auctori. Prima est haec ultio, quod se
Iudice nemo nocens absoluitur: improba quamuis
Gratia fallacis praetoris uicerit urnam.

IN *homine figura,* § ℔, In, abest a quattuor, & Tertij. ID *faciunt,* § Idē, tres, & Tertij. Idē efficiunt, unus. QVI *etiā socerum habere uoluit eum,* § Pompeiū carpit, qui, ut augeret potentiā suā, Caesaris filiā duxit uxorē. VTILE *enim uidebatur* § Ei, pro, Enim, octo, & Tertij. Vtile enim ei uid. unus. IPSE *autem socer* § Suetonius in Iulio. QVAM *inutile,* § absunt haec a duobus, & Tertij. In quibus ℔, Et, additur, Quam iniustum in patriam, & quam turpe. Octo, Quam ini. in p. & q. inutile, & q. t. EVRIPIDIS § abest ab undecim, & Tertij. NAM, *si &c.* § senarij iambici, ALIIS *rebus* § Aliis in rebus, unus meus, & Iulij Galli. Vnus, Aliis am rebus. ID *unum solum,* § sic in oratione pro Sextio. Duo, Qui id solum unum. Qui id unum, quod, tres, & Tertij. Vnus, Qui id solum dominium, quod. Vnus, Qui uel Caesaris id solum uitium, quod. EXCEPERIT. § Excepit, tres. *Exceperit*: in pietate colenda. CONCVPIERIT, § Concupiuerit, septem, & Tertij. Concupiuit, unus. SI *quis honestam esse dicit,* § Si honestam quis esse d. nouem, & Tertij. ℔, Esse, abest ab uno. AVELLERE? § sic liber Tertij. quattuor, Auertere. nouem, Euellere. FOEDISSIMVM, *& taeterrimum* § antea quoque in hoc libro utrumque coniunxit. Eo *qui se obstrinxerit,* § Qui se eo obstrinxerit, decem, & Tertij. Qui se obstr. eo, unus. Qui eo se obstr. unus. PARENS § Caesar. DVO *uerba* § Duo uerbo, Tertij liber. recte. INTER *se discrepare, unum sonare uideantur.* § sic Tertij liber, & quinque mei. Inter se discrepare, quae unum son. uid. duo. Inter se discrepare, unum tamen son. uid. duo. SONARE § significare. uide metaphoram elegantem in Discrepare, & Sonare. ut, Discrepare, & Concinere, de nat. de. lib. 1.

CICERO

NVNC *abeo ad uulgi opinionem. Quae maior utilitas, quam regnandi, esse possit? nihil contra inutilius ei, qui id iniuste consecutus sit, inuenio, cum ad ueritatem coepi reuocare rationem. possunt enim cuiquam esse utiles angores, solicitudines, diurni & nocturni metus, uita insidiarum periculorumq. plenissima? Multi iniqui, atque infideles regno, pauci boni sunt, inquit Attius: at cui regno? quod a Tantalo, & Pelope proditum iure obtinebatur. nam, quanto plures ei regi putas, qui cum exercitu populi R. populum ipsum Romanum oppressisset, ciuitatemque, non modo liberam, sed etiam gentibus imperantem, seruire sibi coegisset? hunc tu quas conscientiae labes in animo censes habuisse? quae uulnera? cuius autem uita ipsi potest utilis esse, cum eius uitae eacondicio sit, ut, qui illa eripuerit, in maxima gratia futurus sit, & gloria? Quod si haec utilia non sunt, quae maxime uidentur, quia plena sunt dedecoris, ac turpitudinis: satis persuasum esse debet, nihil esse utile, quod non honestum sit. quamquam id quidem cum saepe alias, tum Pyrrhi bello a C. Fabricio consule iterum, & a senatu nostro iudicatum est. cum enim rex Pyrrhus populo R. bellum ultro intulisset; cumq. de imperio certamen esset cum rege generoso, ac potente; perfuga ab eo uenit in castra Fabricij, eiq. est pollicitus, si praemium ei proposuisset, se, ut clam uenisset, sic clam in Pyrrhi castra reditusum, & eum ueneno necaturum. hunc Fabricius reducendum curauit ad Pyrrhum: idq. eius factum a senatu laudatum est. atqui, si speciem utilitatis, opinionemq. quaerimus; magnum illud bellum perfuga unus, & grauem aduersarium imperij sustulisset: sed magnum dedecus, & flagitium, quicum laudis certamen fuisset, cum non uirtute, sed scelere, superatum. Vtrum igitur utilius uel Fabricio, qui talis in hac urbe, qualis Aristides Athenis, fuit; uel senatui nostro, qui numquam utilitatem a dignitate seiunxit, armis cum hoste certare, an uenenis? si gloriae caussa imperium expetendum est, scelus absit, in quo nō potest esse gloria. sin ipsae opes expetuntur quoquo modo: non poterunt esse utiles cum infamia. Non igitur utilis illa L. Philippi, Q. filij, sententia: Quas ciuitates L. Sulla, pecunia accepta, ex S. C. liberauisset, ut eae rursus uectigales essent, neque ijs pecuniam, quam pro libertate deberant, redderemus. est ei senatus assensus. turpe imperio. piratarum enim melior fides, quam senatus. At aucta uectigalia: utile igitur.*

EXPLA-

EXPLANATIO

NVNC *abeo ad uulgi opinionem*.§ Nunc habes,unus. Nunc adeo, unus. Non habeo,unus, & Tertij. probo. PAVCI *boni sunt*§ Pauci sunt boni, duo. *A Tantalo, & Pelope prodium*§ legitima succesione a patre ad filium quasi per manus transmissum. REGI§ Caesari. QVI *cum exercitu*§ Cū, non est in ullo uetere libro. & elegantius abest. CVIVS *autem uita ipsi potest utilis esse*;§ sic omnes mei, duobus exceptis,in quorum uno,pro,Ipsi,Ipsa; in altero, Sibi. Vrsinus, Cui autem uita potest utilis esse. IN *maxima gratia futurus sit,& gloria*?§ Gratiam,& Gloriam tyrannicidae consequuntur. Lib. II. eadem coniungit: Haec genera officiorum qui persequuntur, magnam ipsi adipiscentur & gratiam, & gloriam. Et Fam.lib.x.ep.5.Gratiae,gloriaeq. caue,tempus amittas. Tres, & Tertij addunt, τὸ, Et, In maxima & gr. *A C. Fabricio consule iterum,& a senatu nostro*§ Agellius lib.III. cap. 8. *Fabricio*: Luscino. PERFVGA§ medicus Pyrrhi,ut ab aliis traditum est. Agellius, Valerius Max. Eutropius, Plutarchus. SI *praemium ei proposuisset*,§ Sibi,duodecim,& Tertij. Promisisset,unus. *A senatu laudatum est*.§ Laudatum a senatu est,septem,& Tertij. Est a senatu laudatum,unus. A senatu laudatum,unus. Laudatum a senatu, unus. VTRVM *igitur utilius*§ Visum igitur utilius,duo. SENATVI *nostro,qui numquam utilitatem a dignitate seiunxit*,§ at paullo infra: Est ei senatus assensus. turpe imperio. AN *uenenis*?§ Aut uenenis, unus. Non uenenis,duo. ESSE *utiles*§ ord. praep. duo,& Tertij. EX S. C.§ sic omnes libri ueteres. LIBERAVISSET,§ immunes esse declarasset. EST *ei senatus assensus*.§ Ei senatus est assensus, duo. Et senatus est consensus, unus.

CICERO

QVOVSQVE *audebunt dicere, quidquā utile, quod non honestum? potest autem ulli imperio, quod gloria debet fultum esse, & beneuolentia sociorum,utile esse odium,& infamia? ego etiam cum Catone meo saepe dissensi. nimis enim mihi uidebatur praefracte aerarium, uectigaliaq. defendere; omnia publicanis negare,multa socijs: cum in hos benefici esse deberemus,cum illis sic agere,ut cum colonis nostris soleremus: eoq. magis,quod illa ordinum coniunctio ad salutem reip. pertinebat. Male etiam Curio, cum caussam transpadanorum aequam esse dicebat; semper autem addebat, Vincat utilitas. potius diceret,non esse aequam, quia nō esset utilis reip. quam, cum aequam esse diceret,non esse utilem fatereiur. Plenus est sextus liber de officijs Hecatonis talium quaestionum,sit ne boni uiri,in maxima caritate annonae familiam non alere. in utramque partem disputat:sed tamen ad extremum utilitate putat officium dirigi magis, quam humanitate. Quaerit, si in mari iactura facienda sit,equi ne pretiosi potius iacturam faciat, an seruuli uilis. hic alio res familiaris, alio ducit humanitas. Si tabulam de naufragio stultus arripuerit, extorquebit ne eam sapiens, si potuerit? negat; quia sit iniurium. Quid dominus nauis? eripiet ne suum? minime;non plus, quam si nauigantem in altum eiicere de naui uelit, quia sua non sit. quoad enim peruentum sit eo, quo sumpta nauis est, non domini est nauis, sed nauigantium. Quid, si una tabula sit, duo naufragi, hiq. sapientes; sibi ne uterque rapiat, an alter cedat alteri? cedat uero; sed ei,cuius magis interest uel sua,uel reip. caussa uiuere. quid, si haec paria in utroque? nullum erit certamen;sed, quasi in sorte, aut in micando uictus, alteri cedet alter. Quid, si pater sana expilet, cumulos agat ad aerarium, indicet ne id magistratibus filius? nefas id quidem est: quin etiam defendat patrem, si arguatur. non igitur patria praestat omnibus officijs? immo uero: sed ipsi patriae conducit,pios habere ciues in parentes. Quid,si tyrannidem occupare, si patriam prodere conabitur pater, silebit ne filius? immo uero obsecrabit patrem, ne id faciat; si nihil proficiet,accusabit,minabitur etiam;ad extremum,si ad perniciem patriae res spectabit,patriae salutem anteponet saluti patris. Quaerit etiam,si sapiens adulterinos nummos accipiet imprudens pro bonis, cum id rescierit, soluturus ne sit eos, si cui debeat; pro bonis. Diogenes ait, Antipater negat: cui potius assentior. Qui uinum fugiens uendat scienś, debeat ne dicere? non necesse putat Diogenes, Antipater uiri boni existimat. Haec sunt quasi cōtrouersa iura Stoicorum. In mancipio uendendo,dicenda ne uitia? non ea,quae nisi dixeris, redhibeatur mancipium iure ciuili: sed haec, mendacem esse,aleatorem, furacem, ebriosum, alteri dicenda uidentur, alteri non dicenda. si quis,aurum uendens,aurichalcum se putat uendere,indicet ne ei uir bonus, aurum illud esse,an emat denario,quod sit millenarium? Perspicuum iam est, & quid mihi uideatur, & quae sit inter eos philosophos,quos nominaui,controuersia. Pacta, & promissa semper ne seruanda sint, quae nec ui, nec dolo malo,ut praetores solent dicere,facta sint? Si quis medicamentum cuipiam dederit ad aquam intercutem; pepigeritque,ne illo medicamento umquam postea uteretur:si eo medicamento sanus factus fuerit,& annis aliquot post inciderit in eundē morbum, nec ab eo, quicum pepigerat, impetret,ut item eo liceat uti; quid faciēdum sit,cum sit is inhumanus,qui non concedat uti, nec ei quidquam fiat iniuriae? uitae,& saluti consulendum est.*

EXPLANATIO

NIMIS *enim mihi*§ Τὸ, Enim, abest a nouem, & Tertij. In Tertij, Nimis mihi praefr. uidebatur. ORDINVM *coniunctio*§ equitum, & senatus, quorum dissensione fractae sunt opes reip. VINCAT *utilitas*.§ or.IV.in Catil.Meorum periculorum rationes utilitas reip.uincat.Plutarchus Melanopum rhetorem, Calliſtrato, pecuniam largienti,cedentem, ad populum dixisse scribit: Ὁ μὲν ἀνὴρ ἐχθρὸς· νικᾶτω δὲ τὸ

τὸ τῆς πόλεως συμφέρον. Vide lib. II. de Inuent. quo loco placere dicit Aristoteli utilitatem solam in gener deliberatiuo, sibi honestatem, & utilitatem. CVM *aequam esse diceret, non esse utilem fateretur.* § quidam libri, Cum utilem esse diceret, non esse aequam fateretur. ANNONAE § non tantum frumenti, sed quidquid ad uictum attinet. FAMILIAM § mancipia. IN *utramque partem disputat:* § cur & alenda, & deserenda uideatur. VTILITATE *putat officium dirigi,* § ut potius fame pereant serui, & ancillae, quam ipse aut insigni detrimento afficiatur, aut cum suis liberis fame periclitetur. QVAM *humanitate.* § ut familia conseruetur propter naturalem societatem rationis, & orationis, quae seruis etiam cum dominis intercedit. SERVVLI *uilis.* § qui non magni uendi possit. NEGAT; § cum tamen praestet eũ uiuere, qui sit utilior reip. DOMINVS *nauis?* § Nauicularium, & Magistrum nauis uocant Iurisconsulti. QVAM *si nauigantem* § quod Arioni musico euenisse, testatur Herodotus. QVIA *sua non sit,* § Non, abest a decem meis, & Tertij. SIBI *ne uterque rapiat, an alter cedat alteri?* § miror, quibusdam doctis uiris placere magis, Vter, quod tamen est in quinque meis, quam, Vterque. diuersa enim significant. &, Vter, pro, Vter uis, Latina lingua non recipit. nam illud pro Sextio, Horum utro uti uolueris, altero est carendum, usitatam significationem habet. Neuter, septem, & Tertij habent. Vnus, Neutrum. QVASI *sorte, aut micando uictus,* § sic liber Tertij, & plerique alij. Duodecim tamen, Aut dimicando. Male. Quod colligitur & ex Nonio Marcello, qui haec recitans in uerbo Micare, ita legit. etsi eo loco tamquam uerba Ciceronis non agnoscantur: & Nonij emendator ex Attio in Chrysippo haec proferri putet, ex uestigiis scripturae. falso tamen. ACCVSABIT § reprehendet. non enim hoc loco est, Accusare ad iudices. ADVLTERINOS, § sic omnes mei, & Tertij. ACCIPIET § Accepit, unus. Acceperit, undecim, & Tertij. CVI *potius assentior.* § cui etiam supra assensus est de Rhodio frumentario. VINVM *fugiens* § quod aetatem non fert: quod lentum incipit fieri. HAEC *sunt quasi controuersa iura Stoicorum.* § Hae, nouem, & Tertij. Controtrouersiae, duodecim, & Tertij. Controuersiae, & iura Stoicorum, decem, & Tertij. Vel iura Stoicorum, unus. *Haec:* quae sequuntur. NON *ea, quae nisi dixeris,* § Non nisi ea, quae nisi dixeris, octo mei. ALTERI *non dicenda.* § Alteri dicenda uidentur, tredecim, & Tertij. MILLENARIVM? § Mille denariorum, undeciim, & Tertij. SERVANDA *sint,* § Sunt, septem. VMQVAM *postea* § in uno deest τὸ Vmquam. in altero desunt duo uerba, Vmquam postea. SANVS *factus fuerit,* § Sit, septem. Esset, tres, & Tertij. QVICVM *pepigerat,* § Pepigerit, quinque. Qui pepigerit, unus.

CICERO

QVID, *si quis sapiens rogatus sit ab eo, qui eum heredem faciat, cum ei testamento H-S millies relinquatur, ut, antequam hereditatem adeat, luce palam in foro saltet, idq. se facturum promiserit, quod aliter eum heredem scripturus ille non esset: faciat, quod promiserit, nec ne? promisisse nollem; & id arbitror fuisse grauitatis: sed, quoniam promisit, si saltare in foro turpe ducet, honestius mentietur, si ex hereditate nihil ceperit: nisi forte eam pecuniam in reip. magnum aliquod tempus contulerit, ut, uel saltare eum, cum patriae consulturus sit, turpe non sit. Ac ne illa quidem promissa seruanda sunt, quae non sunt iis ipsis utilia, quibus illa promiseris. Sol Phaetõti filio (ut redeamus ad fabulas) facturum se esse dixit, quidquid optasset: optauit, ut in currum patris tolleretur: sublatus est: atque is, ante quam constitit, ictu fulminis deflagrauit. quanto melius fuerat, in hoc promissum patris non esse seruatum? Quid, quod Theseus exegit promissum a Neptuno? cui cum tres optiones Neptunus dedisset, optauit interitum Hippolyti filij sui, cum is patri suspectus esset de nouerca; quo optato impetrato, Theseus in maximis fuit luctibus. Quid Agamemnon? cum deuouisset Dianae, quod in suo regno pulcherrimum natum esset illo anno, immolauit Iphigeniam, qua nihil erat eo quidem anno natum pulchrius. promissum potius non faciendum, quam tam taetrum facinus admittẽdum fuit. Ergo & promissa non facienda non numquam. Neque semper deposita reddenda sunt. Si gladium quis apud te sanae mentis deposuerit, repetat insaniens; reddere, peccatum sit; non reddere, officium. Quid, si is, qui apud te pecuniam deposuerit, bellum inferat patriae, reddes ne depositum? non, credo: facies enim contra remp. quae debet esse carissima. Sic multa, quae natura honesta uidentur esse, temporibus fiunt non honesta. facere promissa, stare conuentis, reddere deposita, commutata utilitate, fiunt non honesta. Ac de iis quidem, quae uidentur esse utilitatis contra iustitiam simulatione prudentiae, satis, arbitror, dictum. Sed, quoniam a quattuor fontibus honestatis primo libro officia duximus, in eisdem uersabimur, cum docebimus, ea, quae uidentur esse utilia, neque sunt, quam sint uirtutis inimica. Ac de prudentia quidem, quam uult imitari malitia, itemq. de iustitia, quae semper est utilis, disputatum est.*

EXPLANATIO

H-S *millies* § milliones tres. LVCE *palam in foro saltet,* § Luce claro, uidetur legisse Nonius. quod coniicitur ex ipsius uerbis, licet mendosis. nam, quae Ciceronis citat, cum haec esse deberent, non leguntur in eo, sed alia, quae alicuius ueteris poetae sunt. QVOD *promiserit, nec ne?* § sic septem, & Tertij. Promisit, unus. SED, *quoniam promisit,* § contra utilitatem. AC *ne illa quidem promissa seruanda sunt,* § contra promissa. IIS *ipsis utilia,* § sic omnes mei, & Tertij, uno excepto, in quo τὸ, Iis, deest. QVIBVS *illa promiseris.* § τὸ, Illa, deest in uno. SOL *Phaetonti filio* § ex Clymene nympha, Oceani, & Thetyos filia. Ouid. Metam. I. & II. Hygin. cap. 154. Lucanus lib. II. Fulgentius lib. I. & Lucianus in Astrologia.

logia. FACTVRVM *se esse dixit*, § immo iurauit per Stygiam aquam. SVBLATVS *est: atque is, ante quam constitit*, § sic tres, & Tertij. Vnus, Sublatus insanus: atque is, ante quam const. Octo, Sublatus est, atque insanus, antequam constitit. Quod si retineamus, *Insanus*, dicendum, eum, ex scorpionis conspectu territum, habenas remisisse, ut equi sentirent se non uerum aurigam habere. ICTV *fulminis deflagrauit*. § sic duodecim, & Tertij. Fulmine deflagrauit, unus. *Ictu fulminis*: a Ioue, precibus mortalium, tanto incendio laborantium, auditis. *Deflagrauit*: collapsus in Padum. QVID, *quod Theseus exegit promissum a Neptuno?* § supra, lib. I. OPTIONES § Optationes, undecim, & Tertij. NOVERCA; § Phaedra: QVO *optato impetrato*, § Optato, abest a duobus meis. IPHIGENIAM, § fabula est apud Euripidem in tragoedia, Iphigenia in Aulide. PROMISSVM *potius non faciendum*, § contra promissa. NEQVE *semper deposita &c.* § contra deposita. REDDENDA *sunt*. § Sunt, abest ab octo meis, & Tertij. SANAE *mentis* § Sana mente, duodecim, & Tertij. TEMPORIBVSQ. *fiunt non honesta*. § honesta temporibus perturbantur, fiuntq. non honesta. *Non honesta*: sic undecim, & Tertij. unus, Inhonesta. IN *eisdem uersabimur, cum docebimus ea, quae uidentur &c.* § Videantur, undecim, & Tertij. AC *de prudentia, quam uult imitari malitia*, § supra: In malitia simulatio intelligentiae.

CICERO

RELIQVAE *sunt duae partes honestatis: quarum altera in animi excellentis magnitudine, & praestantia cernitur; altera in conformatione, & moderatione continentiae, & temperantiae. Vtile uidebatur Vlixi, (ut quidam poetae tragici prodiderunt: nam apud Homerum, optimum auctorem, talis de Vlixe nulla suspicio est) sed insimulant eum tragoediae, si multatione insaniae, militiam subterfugere uoluisse. non honestum consilium. At utile, (ut aliquis fortasse dixerit) regnare, & Ithacae uiuere otiose cum parentibus, cum uxore, cum filio. Vllum tu decus in quotidianis periculis, & laboribus cum tranquillitate hac conferendum putas? ego uero istam contemnendam, & abiciendam; quoniam, quae honesta non sit, ne utilem quidem esse arbitror. Quid enim auditurum putas fuisse Vlixe, si in illa simulatione perseueraſſet? qui, cum maximas res gesserit in bello, tamen haec audiuit ab Aiace:*

Cuiu' ipse princeps iurisiurandi fuit,
Quod omnes scitis, solus neglexit fidem:
Furere assimulauit: ne coiret, instituit.
Quod ni Palamedis perspicax prudentia
Istiu' percepset malitiosam audaciam;
Fide sacratae ius perpetuo falleret.

illi uero non modo cum hostibus, uerum etiam cum fluctibus, id quod fecit, dimicare melius fuit, quam deserere consentientem Graeciam, ad bellum barbaris inferendum. Sed dimittamus & fabulas, & externa: ad rem factam, nostramq. ueniamus. M. Atilius Regulus cum consul iterum in Africa ex insidijs captus esset, duce Xanthippo Lacedaemonio, imperatore autem patre Hamibalis Hamilcare, iuratus missus est ad senatum, ut, nisi redditi essent Poenis captiui nobiles quidam, rediret ipse Carthaginem. is, cum Romam uenisset, utilitatis speciem uidebat: sed eam, ut res declarat, falsam iudicauit: quae erat talis, manere in patria, esse domi suae cum uxore, cum liberis; quam calamitatem accepisset in bello, communem fortunae bellicae iudicantem, tenere consularis dignitatis gradum. quis haec neget esse utilia? quem censes? magnitudo animi, & fortitudo negat. num locupletiores quaeris auctores? harum enim est uirtutum proprium, nil extimescere, omnia humana despicere, nihil, quod homini accidere possit, intolerandum putare. itaque, quid fecit? in senatum uenit: mandata exposui: sententiam ne diceret, recusaut: quam diu iureiurando hostium teneretur, non esse se senatorem. atque illud etiam: (o stultum hominem, dixerit quispiam, & repugnantem utilitati suae) reddi captiuos, negauit esse utile: illos enim adolescentes, & bonos duces; se iam confectum senectute. Cuius cum ualuisset auctoritas, captiui retenti sunt, ipse Carthaginem redijt, neque eum caritas patriae retinuit, nec suorum. neque uero tum ignorabat, se ad crudelissimum hostem, & ad exquisita supplicia proficisci: sed iusiurandum conseruandum putabat. itaque tum, cum uigilando necabatur, erat in meliore causa, quam si domi senex, captiuus, periurus, & consularis, remansisset. At stulte, qui non modo non censuerit captiuos remittendos, uerum etiam dissuaserit. quo modo stulte, etiã ne si reip. cõducebat? potest ne, quod inutile reip. sit, id cuiquam utile esse? peruertunt homines ea, quae sunt fundamenta naturae, cum utilitatem ab honestate seiungunt. omnes enim expetimus utilitatem, ad eamq. rapimur; nec facere aliter ullo modo possumus. nam, quis est, qui utilia fugiat? aut quis potius, qui ea non studiosissime persequatur? sed, quia nusquam possumus, nisi in laude, decore, honestate, utilia reperire; propterea illa prima, & summa habemus, utilitatis nomen non tam splendidum, quam necessarium, ducimus.

EXPLANATIO

CONFORMATIONE, § φιλανθρωπία. Cuius contrariũ illud apud Terentiũ, Homo perpaucorũ hominũ. VTILE *uidebatur Vlixi*, § aggreditur de fortitudine. QVIDAM *poetae tragici prodiderũt*: § quorũ nullus exstat. HOMERVM, *optimũ auctorẽ*, § fabularũ, & artificij poetici, non historiarũ. Iurisconsulti omniũ uirtutũ parentem appellant. Dion tñ Chrysostomus eius narrationẽ de Troiae excidio confutat. PERICVLIS, *& laboribus* § Laboribus, & periculis, decẽ. ℔ Periculis, &, deest in Tertij libro. ISTAM § tranquillitatẽ. AVDIVIT § Audiat, septem, & Tertij. recte. CVIV' *ipse &c.* § senarij iambici, ex Pacuuij Armorum iudicio. NE COIRET, § cum reliquis Graecis, in concilio Graecorum: ubi actum de bello Troianis publice inferendo. FIDE *sacratae* § pro, Fidei sacratae. quod antique dictum qui ignorarunt, Fide, arbitrati dictum

ti dictum esse auferendi casu, Sacrata in libris scripserunt. Vide Agellium,& exempla apud Sallustium, a me in Annotationibus collecta. Veteres tamen libri,omnes, aliter. Vnus, Fides sacrata. Vnus, Fid' sacratum. Decem,& Tertij, Fide sacrata. CVM *hostibus*, § Homerus in Il. CVM *fluctibus*, § Homerus in Od. SED *dimittamus* § sic septem mei. Omittamus,quattuor,& Tertij. Obmittamus,unus. FABVLAS, § non enim hoc de Vlixe uerum putabat, nec omnia de bello Troiano pro certis habebantur. AD *rem factam,nostramq. ueniamus*. § sic tres mei,& Tertij. Vrsinus, Nostraque. Ad rem, factaq. ueniamus, unus. Ad rem factam ueniamus,duo. Ad rem,factamq. nostram ueniamus, quinque. Ad rem nostram, factaq. redeamusunus. XANTHIPPO *Lacedaemonio*, § uide Polybium lib. I. FALSAM *iudicauit*: § quae deciperet: cum utile esse non posset,quod honestum non esset. DOMI *suae* § Domui suae, unus meus,& Tertij. In Phil.Domui suae. In Tusc.Domui alienae. QVEM *censes?* § sic Tertij liber. Quae censes, omnes alij. Ter. Andr. act. 5. sc. 2. Quid censes? MAGNITVDO *animi*, § remp.otio priuato praeferentis. NVM *locupletiores quaeris auctores?* § sic supra, Testis locuples Posidonius. In Bruto, Thucydidem locupletem auctorem dicit. Ad Q. fr. Locuples tabellarius,ideſt, cui litterae recte credi possint. Pro Flacco, Testis locuples. Liuius lib.IX. de Samnitibus:Sponsores nos sumus rei satis locupletes. An locupletiores &c. alias. Nam locuplet. male,sed unde tamen eliciatur uera lectio,octo, & Tertij. Non, tres. Num,quo modo impressimus,unus. *Locupletiores auctores*: quam animi magnitudinem,& fortitudinem. NIL *extimescere*, § magnificentius haec dicuntur, quam uerius. NON *esse se senatorem*. § *Tò* Se, abest a quinque,& Tertij. ILLOS *enim adolescentes, & bonos duces*; § Illos enim adolescentes esse, & bonos duces, decem,& Tertij. NEQVE *uero tum* § sic decem mei,& Tertij. EXQVISITA *supplicia* § Agellius lib.VI.cap.4.Vide & D.Aug.de Ciu. Dei. ERAT *in meliore causa*, § rectius fecit, meliorem causam habuit: felicior erat: siquidem ex honesto felicitas prouenit. Infra Q. Pompeium in eadem cum Mancino causa esse dicit,ideſt pari ignominia. PERIVRVS, *& consularis* § *Tò*, Et,non est in ullo meo,nec in Tertij: ID *cuiquam ciui utile esse?* § Ciui, abest a quinque meis, & Tertij. neque legitur in Nonio in, Conducere. SED, *quia nusquam possumus, &c.* § utilitas ubi sit.

CICERO

QVID *est igitur,dixerit quis,in iureiurãdo? num iratum timemus Iouem? at hoc quidem commune est omnium philosophorum,non eorum modo, qui,deum nihil habere ipsum negotij,dicunt,& nihil exhibere alteri; sed eorum etiam, qui, deum semper agere aliquid,& moliri,uolunt,numquam nec irasci deum, nec nocere. quid autem iratus Iuppiter plus nocere potuisset, quam nocuit sibi ipse Regulus? nulla igitur uis fuit religionis,quae tantam utilitatem praeuerteret. An, ne turpiter faceret? primum minima de malis. num igitur tantum mali turpitudo ista habebit,quantum ille cruciatus? deinde illud etiam, apud Attium:*

„ *Fregisti ne fidem? neque dedi, neque do infideli cuiquam:*

Quamquam ab impio rege dicitur,luculente tamen dicitur. Addunt etiam: quemadmodum nos dicamus,uideri quaedam utilia, quae non sint; sic, se dicere, uideri quaedam honesta, quae non sint: ut hoc ipsum uidetur honestum, conseruandi iurisiurandi causa, ad cruciatum reuertisse, sed fit non honestum, quia, quod per uim hostium esset actum, ratum esse non debuit. Addunt etiam, quidquid ualde utile sit, id fieri honestum, etiam si antea non uideretur.

EXPLANATIO

IRATVM *Iouem?* § sic & Iouem iratum dicit ep. 12. lib. VII. NON *eorum modo*, § Epicureos intelligit. uide Lactantium Firm.libro de Ira Dei. ET *nihil exhibere alteri*; § *Tò*, Et, abest a nouem meis, & Tertij. SED *eorum etiam*, § Stoicos, Peripateticos, Academicos intelligit. SIBI *ipse Regulus?* § sic nouem mei,& Tertij. PRAEVERTERET. § ueteres omnes mei, & Tertij, Peruerteret. MINIMA *de malis*. § debemus eligere. HABEBIT, § Habeat, unus. Habebat, unus. fortasse non male, APVD *Attium*: § in Atreo. Vide & Hyginum cap.88. Sic apud Senecam in Thyeste, Thyestes, impia filiorum dape satur,

Sceleris, inquit, est aliquis modus.

Ad quae Atreus:

Sceleri modus debetur,ubi facias scelus,non ubi reponas.

QVAM QVAM *ab impio rege* § praestruit solutioni. QVEMADMODVM § & haec obiectio sapit testimonij naturam: quasi enim ex analogia petiuerunt eam aduersarij.

CICERO

HAEC *fere contra Regulum. sed prima uideamus. Non fuit Iuppiter metuendus, ne iratus noceret: quia neque irasci solet, neque nocere. haec quidem ratio non magis contra Regulum, quam contra omne iusiurandum, ualet. sed in iureiurando, non quemcumque, sed quae uis sit, debet intelligi. est enim iusiurandum, affirmatio*

matio religiosa. quod autem affirmate, quasi deo teste, promiseris, id tenendum est. iam enim non ad iram deorum, quae nulla est, sed ad iustitiam, & ad fidem, pertinet. nam praeclare Ennius,

„ O fides alma, apta pinnis, & iusiurandum Iouis.

Qui igitur iusiurandum uiolat, is fidem uiolat: quam in Capitolio uicinam Iouis Optimi Maximi, ut in Catonis oratione est, maiores nostri esse uoluerunt. At enim ne iratus quidem Iuppiter plus Regulo nocuisset, quam sibi nocuit ipse Regulus. certe, si nihil malum esset, nisi dolere. id autem non modo non summum malum, sed nec malum quidem esse, maxima auctoritate philosophi affirmant. quorum quidem testem non mediocrem, sed haud scio an grauissimum, Regulum nolite, quaeso, uituperare. quem enim locupletiorem quaerimus, quam principem reip. qui, retinendi officij causa, cruciatum subierit uoluntarium? Nam, quod aiunt minima de malis, idest ut turpiter potius, quam calamitose: an est ullum maius malum turpitudine? quae si in deformitate corporis habeat aliquid offensionis, quanta illa deprauatio, & foeditas turpificati animi debet uideri? itaque, neruosius qui ista disserunt, solum audent malum dicere id, quod turpe sit; qui autem remissius, hi tamen non dubitant summum malum dicere. nam illud quidem:

Neque dedi, neque do fidem infideli cuiquam:

iccirco recte a poeta dicitur, quia, cū tractaretur Atreus, personae seruiendum fuit. sed, si hoc, sibi sumunt, nullam esse fidem, quae infideli data sit: uideant, ne quaeratur latebra periurio. Est aīt etiam ius bellicum, fidesq. iurisiurandi saepe cum hoste seruanda. quod enim ita iuratum est, ut mens deferentis conciperet fieri oportere, id obseruandum est; quod aliter, id si non feceris, nullum periurium est: ut, si praedonibus pactum pro capite pretium non attuleris, nulla fraus est, ne si iuratus quidem id non feceris. nam pirata non est ex perduellium numero definitus, sed communis hostis omnium. cum hoc non fides eße debet, nec iusiurandum commune. non enim, falsum iurare, peierare est; sed, quod ex animi tui sententia iuraueris, sicut uerbis concipitur, more nostro, id non facere, periurium est. scite enim Euripides,

Iurauī lingua, mentem iniuratam gero.

Regulus uero non debuit condiciones, pactionesq. bellicas, & hostiles perturbare periurio. cum iusto enim, & legitimo hoste res gerebatur: aduersus quem & totū ius fetiale, & multa sunt iura cōmunia. quod ni ita esset, num quam claros uiros senatus uinctos hostibus dedidisset.

EXPLANATIO

QVIA *neque irasci solet,* § Qui, quinque, & Tertij. Nec, sex. REGVLVM, § Reguli, unus, & Tertij. QVOD *autem affirmate,* § Affirmatiue, quattuor. Quod autem affirmaris, & quasi &c. legebat Vbaldinus. IRAM *deorum, quae nulla est,* § ut philosophi omnes affirmant. *O Fides alma, apta pinnis, & iusiurandum Iouis.* § Apta pinnis, fateor me non intelligere quid sit. unus antiquus liber, Apta primis: alius, Apta pennis: alius, Apta premiis: alius, Acta p'rnis: alius Iulij Galli, Atta pcinis. obscura omnia. Si coniecturas e longinquo petere consuessem; id quod placere nonnullis uideo; legerem, A qua pendet iusiurandum Iouis. Aut dicamus, descriptum esse ab Ennio simulacrum Fidei almae, ut erat in templo Capitolino, per quam iurare proximus Iuppiter uidebatur. Fidem non esse deam, tradit D. Augustinus de Ciu. Dei, lib. IV. cap. 4. IN *Capitolio* § Plin. lib. XXXV. cap. 10. Plut. in Numa, Dionys. Halicarnasseus lib. II. Liu. lib. I. Cic. de nat. de. II. IN *Catonis oratione* § Censorium intelligit. CERTE, *si nihil malum esset,* § iuxta Epicureos, quibus summum malum est dolor. NEC *malum quidem esse,* § sic omnes mei, & Tertij. unus, Ne. PRINCIPEM *reip.* § erat enim consularis. NERVOSIVS § ut Stoici. REMISSIVS, § ut Peripatetici. NEQVE *do fidem* § Ἰὸ, Fidem, non est in tribus, & Tertij. PERSONAE § decoro personae. HOC *simi sumunt,* § sic undecim, & Tertij. Haec, unus. *Sibi sumunt*: huius defensionem susciptunt. Cic. ad Torquatum: Hoc mihi non sumo. Et ad Caecinam: Non sumo, ut &c. VIDEANT, *ne quaeratur latebra periurio.* § seruanda fides etiam infideli. EST *autem etiam ius bell.* § Est autem ius etiam bell. quinque, & Tertij. IVS *bellicum,* § de quo lib. I. SAEPE *cum hoste seruanda.* § sic nouem, & Tertij. Conseruanda, unus. Cum honestate, unus, mendose. Saepe honesti seru. alter, mendose. MENS *deferentis conciperet,* § Ἰὸ, Deferentis, non est in ullo meo uetere libro, nec in Tertij. ID *obseruandum est.* § Id seruandum est, duodecim, & Tertij. NVLLVM *periurium est:* § Nullum est periurium, Tertij liber. VT, *si praedonibus &c.* § cum enim humano generi semper infesti sint, ius humanum eos iuuare non debet. PERDVELLIVM § lib. I. COMMVNIS *hostis omnium.* § Isocrates ait milites mercenarios esse communes inimicos omnium hominum. CVM *hoc non fides* § Nec, nouem, & Tertij. ESSE *debet, nec iusiurandum* § Debet, nec iusiurandum esse, liber Tertij. FALSVM *iurare,* § non ex animi sententia. IVRAVERIS, § Iuraris, decem, & Tertij. VERBIS *concipitur,* § Verbis conceptis iurare, siue peierare, Varro de l. Lat. apud Agell. lib. VII. cap. XJ Plautus Asin. act. 3. Festus in, Praeiurationes. Quinctil. lib. V. cap. XJ. Valerius lib. IV. cap. I. de Africano consule. EVRIPIDES, § in Hippolyto: Ἡ γλῶσ' ὀμώμοχ' ἡ δὲ φρὴν ἀνώμοτος. Citat & hunc uersum Basilius de ratione studiorum, cap. 9. Huc faciunt illa Cydippes ad Acontium, apud Ouidium in epist.

Quid tibi nunc prodest, iurandi formula iuris,
Linguaq. praesentem testificata deam?
Quae iurat, mens est, nil coniurauimus: illa,
Illa fidem dictis addere sola potest.
Consilium, prudensq. animi sententia iurat,
Et nisi iudicij uincula nulla ualent.

Landesbibliothek Oldenburg

Ivs *fetiale*,§ Dionysius lib.II.Plut.in Numa,& Camillo,& Probl.Liuius lib.xxx.Agellius lib.xvi.cap.4. VINCTOS§ sic Liuius: Progressi fetiales ubi ad portam uenere, uestem detrahi pacis sponsoribus iubent, manus post terga uinciri.

CICERO

AT uero T.Veturius,& Sp.Postumius,cum iterum consules essent, quia, cum male pugnatum apud Caudium esset, legionibus nostris sub iugum missis, pacem cum Samnitibus fecerant, dediti sunt his: iniussu enim populi, senatusq. fecerant. Eodemq. tempore Ti. Numicius, Q.Melius,qui tum tribuni pl.erant,quod eorum auctoritate pax erat facta, dediti sunt, ut pax Samnitum repudiaretur. atque huius deditionis ipse Postumius, qui dedebatur, suasor, & auctor, fuit. Quod item multis annis post C.Mancinus: qui,ut Numantinis, quibuscum sine senatus auctoritate foedus fecerat, dederetur,rogationem suasit eam,quam L.Furius,& Sex. Atilius ex S.C. ferebant: qua accepta, est hostibus deditus. Honestius hic, quam Q. Pompeius: quo, cum in eadem caussa esset,deprecante, accepta lex non est. hic ea, quae uidebatur, utilitas plus ualuit,quam honestas: apud superiores utilitatis species falsa, ab honestatis auctoritate superata est. At non debuit ratum esse, quod erat actum per uim. Quasi uero forti uiro uis possit adhiberi. Cur igitur ad senatum proficiscebatur, cum praesertim de captiuis dissuasurus esset? Quod maximum in eo est, id reprehenditis. non enim suo iudicio fletit, sed suscepit caussam,ut esset iudicium senatus: cui nisi ipse auctor fuisset, captiui profecto Poenis redditi essent. ita incolumis in patria Regulus restitisset. quod quia patriae non utile putauit,iccirco honestum sibi & sentire illa, & pati credidit. Nam, quod aiunt, quod ualde utile sit,id fieri honestum:immo uero, esse, non fieri. est enim nihil utile, quod idem non honestum:nec,quia utile,honestum est;sed,quia, honestum, utile. quare ex multis mirabilibus exemplis haud facile quis dixerit hoc exemplo aut laudabilius, aut praestantius. Sed ex tota hac laude Reguli,unum illud est admiratione dignũ,quod captiuos retinendos censuerit. nam,quod rediit,nobis nunc mirabile uidetur; illis quidem temporibus aliter facere non potuit. itaque ista laus non est hominis,sed temporum. nullum enim uinculum ad adstringendam fidem, iureiurando maiores artius esse uoluerunt. id indicant leges in XII. tabulis,indicant sacra,indicãt foedera, quibus etiam cum hoste deuincitur fides; indicant notationes, animaduersionesq. censorum, qui nulla de re diligentius,quam de iureiurando,iudicabant. L.Manlio,A.filio,cum dictator fuisset,M. Pomponius tribunus pl. diem dixit, quod is paucos sibi dies ad dictaturam gerendam addidisset. criminabatur etiam,quod Titum filium,qui Torquatus postea est appellatus,ab hominibus relegasset,& ruri habitare iussisset. quod cum audiuisset adolescens filius, negotium exhiberi patri; accurrisse Romam,& cum prima luce Pomponij domum uenisse dicitur. cui cum esset nunciatum; qui illum iratum allaturum ad se aliquid contra patrem arbitraretur,surrexit e lectulo,remotisq. arbitris,ad se adolescentem iussit uenire. at ille, ut ingressus est, confestim gladium distrinxit,iurauitq. se illum statim interfecturũ, nisi iusiurandum sibi dedisset, se patrem missum esse facturum. iurauit,hoc terrore coactus,Pomponius: rem ad populum detulit: docuit,cur sibi a caussa desistere necesse esset:Manlium missum fecit. tantum temporibus illis iusiurandum ualebat. Atque hic T.Manlius is est, qui, ad Anienem,Gallo,quem,ab eo prouocatus, occiderat, torque detracto, cognomen inuenit: cuius tertio consulatu Latini ad Veserim fusi,& fugati: magnus uir in primis; &, qui perindulgens in patrem, idem acerbe seuerus in filium.

EXPLANATIO

APVD *Caudium*§ Apuliae uicum. uide Liuium lib.IX. SVB *iugum missis*,§ inermes milites cum singulis uestimentis extra uallum exire iussi. INIVSSV *enim populi, senatusq. fecerant*.§ Liuius, de hac eadem re: Iniussu populi nego quidquam fanciri posse, quod populum teneat. TI. *Numicius*,§ Tertij liber, Tiberius Minucius, Q. Emilius. quo modo quinque alij. Minicius, unus. TI. *Numicius, Q.Melius*,§ Liuius, L. Liuium,& Q. Melium tribunos nominat. TVM *tribuni pl.erant*,§ cum actum est de Samnitum pace repudianda, non cum facta pax est. nam extra urbem esse nisi per unum diem tribunis pl.non licebat. Liuius lib.IX. HVIVS *dedicationis*§ de qua D.Aug.de Ciu.D.lib.III.cap.17.Valer.lib.v. cap.1.Agellius lib.XVII.cap.ult. Plut.Parall.cap.6 Florus lib.I.cap.16. Oros. lib.III. cap.15. Eutrop. lib.II. cap.2.& de uir.ill. MVLTIS *annis post*§ post CXXCIII. Liu. Epit.LV. Plut.in Mario,Florus lib.II.cap.18. de uir.ill.c.59.Eutrop.lib.IV.cap.3 Oros.l.v.cap.5.August.lib.III.cap.21.Valerius lib.II. cap. de Scipionis discipl.mil.& lib.I.cap.de Prodigiis. Vide & Iulium Obsequentem. Q. POMPEIVS:§ qui paullo ante cum iisdem Numantinis aeque infame foedus pepigit. Cic.de Fin.II.Oros. lib.v.cap.5.Epit.Liu.XLIV. Eutrop.lib.IV.cap.7. LEX§ hanc supra Rogationẽ nominauit. Agellius tamen lib.X.cap.20. distinguit Rogationem a Lege. HONESTVM *sibi*§ Sibi honestũ,Tertij. RETINENDOS *censuerit*.§ Censuit, oẽs mei,& Tertij. INDICANT *sacra*,§ Secreta,unus. Sacrata, unus. Sacratae, decem, & Tertij. NOTATIONES,§ Notiones,decẽ. Notões,unus. Et notiones,unus. Nactões, unus. Motiones, Tertij. QVOD *is paucos sibi dies ad dictaturam gerendam addidisset*.§ quod, occasione bene faciendi belli ductus, obtinendi legitimum imperij tempus euasisset. Valerius lib.v.cap. de pietate filiorum in parentes. Legitimum autem dictaturae tempus,sex menses: ex lege XII. Tabularum, apud Cic. de Leg. QVI *Torquatus postea est appellatus*,§

Landesbibliothek Oldenburg

pellatus,§ Qui postea est Torquatus app.quattuor,& Tertij. Qui postea Torq.est app.quinque. Qui postea Torq.app.est,tres. *Torquatus*: hic postea filiũ suũ interfici iussit,quod praeter mandatũ cũ hoste conflixisset. Sall.Cat.Liu.lib.IIX.Val.lib.II.cap.2.& Plut.in Parallelis. RVRI *habitare iussisset.*§ uide Valerium lib.VI. cap.9. ET *prima luce*§ Et cũ prima luce,duodecim,& Tertij. Et eũ prima luce,unus. QVI *illũ iratum*§ sic Tertij liber.recte.Reliqui,Quod. duo,Quia. SVRREXIT *e lectulo,*§ at Liuius non ait eum surrexisse e lectulo, sed iacentem haec dixisse. REMOTISQ. *arbitris*§ e cubiculo abire iussis. Valerius. GLADIVM *distrinxit,*§ quem tectum attulerat. Valerius. NISI *iusiurandum sibi dedisset*§ nisi in quae ipse concepisset uerba iuraret. Liuius. *Ib*, Sibi, abest a Tertij libro. *A caussa desistere*§ *Ab*, A, abest ab octo meis,& Tertij. MISSVM *fecit.*§ itaque non tantum patri caussae dictio remissa est, sed etiam ipsi adolescenti ea res honori fuit. Liuius. GALLO,§ Galli, Tertij liber. & ita recitat Nonius. TORQVI *detracto,*§ sic legit Nonius. Ciceronem tamen,& Virgilium muliebri genere; Liuium uirili Torquem dixisse, annotauit D. Hieronymus. quod antiqui libri,qui est apud me,testimonio comprobatur.habet enim claris litteris,Torque detracta. Vide Q. Claudium Quadrigarium, apud Agellium. De hoc Cic. de Fin. I.Tusc.IV.Sall.Cat.Val.lib.III.cap.de fort.Plut.parall.26.de uir.ill.cap.28.Flor.lib.I.cap.13. Oros.lib.IV. cap.6.Eutropius lib.II.cap.I.& Virg.lib.VI.& Ouid. Fast.I. TERTIO *consulatu*§ cum P.Decio Mure. LATINI§ errat Plutarchus, qui in Parall. ait hoc bello Samnitico esse factum. AD *Veserim*§ Liuius: Pugnatum est haud procul radicibus Vesuuij montes,qua uia ad Veserim ferebat. FVSI, *& fugati:*§ sic nouem,& Tertij. QVI *perindulgens in patrem,idem acerbe seuerus in filium.*§ sic Tertij liber. & recte. ita autem recitat hunc locum & Nonius duobus locis, in, Indulgere,& in Seuerum.

CICERO

SED, *ut laudandus Regulus in conseruando iureiurando; sic decem illi, quos post Cannensem pugnam iuratos ad senatum misit Hannibal, in castra redituros ea, quorum erant potiti Poeni, nisi de redimendis captiuis impetrauissent, si non redierunt, uituperandi. de quibus non omnes uno modo. nam Polybius, bonus auctor in primis, scribit, ex decem nobilissimis, qui tunc erant missi,nouem reuertisse, a senatu re non impetrata: unum ex decem, qui paullo post, quam egressus erat e castris, redisset, quasi aliquid esset oblitus, Romae remansisse. reditu enim in castra, liberatum se esse iureiurando, interpretabatur: non recte: fraus enim distringit, non dissoluit,periurium. fuit igitur stulta calliditas, peruerse imitata prudentiam. itaque decreuit senatus, ut ille ueterator, & callidus uinctus ad Hannibalem duceretur. Sed illud maximum. octo hominum millia tenebat Hannibal,non quos in acie cepisset, aut qui periculo mortis diffugissent, sed qui relicti in castris fuissent a Paullo, & Varrone consulibus. eos senatus non censuit redimendos,cum id parua pecunia fieri potuisset: ut esset insitum militibus nostris,aut uincere,aut emori. qua quidem re audita, fractum animum Hannibalis, scribit idē, quod senatus, populusq. R. rebus afflictis tam excelso animo fuisset. Sic honestatis comparatione ea, quae uidentur utilia, uincuntur. Atilius autem, qui Graece scripsit historiam,plures ait fuisse, qui in castra reuertissent, eadem fraude, ut iureiurando liberarentur; eosq. a censoribus omnibus ignominijs notatos. Sit iam huius loci finis: perspicuum est enim, quae timido animo, humili,demisso, fractoq. fiant, quale fuisset Reguli factum, si aut de captiuis, quod ipsi opus esse uideret, non quod reip. censuisset,aut domi remanere uoluisset, non esse utilia, quia sunt flagitiosa, foeda, & turpia. Restat quarta pars, quae decore, moderatione, modestia, continentia, temperantia continetur. Potest igitur quidquam esse utile, quod sit huic talium uirtutũ choro contrarium? atqui ab Aristippo Cyrenaici, atque Anniceri philosophi nominati,omne bonum in uoluptate posuerunt; uirtutemq. censuerunt ob eam rem esse laudandam, quod efficiens esset uoluptatis. quibus obsoletis, floret Epicurus,eiusdē fere adiutor, auctorq. sententiae. cum his, uiris equisq. (ut dicitur) si honestatem tueri, ac retinere sententia est,decertandum est. nam, si non modo utilitas, sed uita omnis beata, corporis firma constitutione, eiusq. constitutionis spe explorata,ut a Metrodoro scriptum est, continetur:certe haec utilitas,& quidem summa (sic enim censent) cum honestate pugnabit. nam, ubi primum prudentiae locus dabitur? an, ut conquirat undique suauitates? quam miser uirtutis famulatus, seruientis uoluptati? quod autem munus prudentiae? an legere intelligenter uoluptates? sac, nihil isto esse iucundius: quid excogitari potest turpius?*

EXPLANATIO

SIC *decem illi,*§ uide Agellium. BONVS *auctor*§ maxime diguus, cui,aliquid narranti,fides habeatur. SCRIBIT,§ Ait,tres. Scripsit,tres. TVNC§ Tum,decem,& Tertij. REVERTISSE, *a senatu re non impetrata:*§ Reuertisse dicit, re a senatu non impetrata, unus. Reuertisse, re a s.non imp.sex. Re a s.non imp. reuertisse, unus. EGRESSVS *erat*§ *Et*, Erat, non est in quattuor, & Tertij. Septem, ord.praep. FRAVS *enim distringit, non dissoluit periurium.*§ sic septem mei, & Tertij. & recte. Contraria enim sunt, Distringit,& Dissoluit. & lepor est in similitudine. Destringit,unus. Destrinxit,duo. Distinguit, duo, mendose. DECREVIT *senatus, &c.*§ aliter Agellius lib.VII.cap.18.FIERI *potuisset:*§ Posset, septem mei, & Tertij. ATILIVS§ Cic.de Leg.lib.I.Acilius, duo mei,& Tertij. ILLE,§ abest a duobus,& Tertij. PERSPICVVM *est enim,quae timido animo,&c.*§ Perspicuum est enim,ea, quae &c. undecim,& Tertij. OPVS *esse uideret,*§ Videretur,omnes mei,& Tertij. NON *esse utilia, &c.*§ turpia non

pia non sunt utilia. QVIA *sunt* ʒ Sint, quinque, & Tertij. ANNICERII ʒ ab Anniceride, Platoni redemptore. de quo lege Laertium in Aristippo. Vide & Sudam. Aristippi auditor fuit Antipater Cyrenaeus, huius Epitimides Cyrenaeus, huius Paraebates, Paraebatis Anniceris. VIRIS *equisq.* ʒ i. extremo conatu. Sic antiquus liber. Sic Fam. lib. IX. ep. 7. & Sall. Iug. pag. 106. & 155. & ad Caes. de rep. ord. 207. ad Q. fr. l. 3. Phil. 8. L. Florus I. Veris, quisque, duodecim, & Tertij. Antea, Velis, equisque. CORPORIS *firma constitutione*, ʒ ἐυεξία. SPE *explorata*, ʒ sic sex, & Tertij. Saepe explorata, tres. Specie explorata, duo. Spe explorata, duo. Spe perfecte explorata, Vrsinus ex uetere libro. *A Metrodoro* ʒ Athenienſi. Legitur hoc nomen in antiqua mea inscriptione.

D. M
METRODORO. DE
DOMV. ERVCI. CLA
RI. BENEMERENTI
VIXIT. ANNIS
FECIT
MATER

AN *legere intelligenter uoluptates?* ʒ ut salutares noxiis, honestae turpibus, (si tamen hoc tribuendum est Epicuro) magnae paruis, diuturnae breuibus anteponantur. Quattuor mei, Intelligetur. Duo, Intelligere. Tres, Intelligunt. Vnus, Intelligent. Tres, Intelligitur. Tertij, Intellegitur. EXCOGITARI ʒ Cogitari, undecim, & Tertij.

CICERO

IAM, *qui dolorem summum malum dicat, apud eum quem habet locum fortitudo, quae est dolorum, laborumq. contemptio? quamuis enim multis in locis dicat Epicurus, sicut hic dicit, satis fortiter de dolore: tamen non id spectandum est, quid dicat, sed quid consentaneum sit ei dicere, qui bona uoluptate terminauerit, mala dolore ut si illum audiam de continentia, & temperantia: dicit ille quidem multa multis locis: sed aqua haeret, ut aiunt: nam, quo modo potest temperantiam laudare is, qui ponat summum bonum in uoluptate? est enim temperantia libidinum inimica, libidines autem, consectatrices uoluptatis. Atque in his tamen tribus generibus, quoquo modo possunt, non incallide terguersantur. Prudentiam introducunt, scientiam suppeditantem uoluptates, depellentem dolores. Fortitudinem quoque aliquo modo expediunt, cū tradunt, rationem negligendae mortis, perpetiendiq. doloris. Etiam temperantiam inducunt, non facillime illi quidem, sed tamen quoquo modo possunt: dicunt enim, uoluptatis magnitudinem doloris detractione fieri. Iustitia uacillat, uel iacet potius, omnesq. eae uirtutes, quae in communitate cernuntur, & in societate generis humani. neque enim bonitas, nec liberalitas, nec comitas esse potest, non plus, quam amicitia, si haec non per se expetantur, sed ad uoluptatem, utilitatem ue referantur. Conferamus igitur in pauca. nam, ut utilitatem nullam esse docuimus, quae honestati esset contraria: sic omnem uoluptatem dicimus honestati esse contrariam. quo magis reprehendendos Calliphonem, & Dinomachum iudico: qui se dirempturos controuersiam putauerunt, si cum honestate uoluptatem, tamquam cum homine pecudem, copulauissent. non recipit istam coniunctionem honestas, aspernatur, repellit. nec uero finis bonorum, & malorum, qui simplex esse debet, ex dissimilibus rebus misceri, & temperari potest. Sed de hoc hactenus: magna enim res, alio loco pluribus uerbis disputata. Nunc ad propositum. Quemadmodum igitur, si quando ea, quae uideretur utilitas, honestati repugnat, diiudicanda res sit, satis est supra disputatum. sin autem speciem utilitatis etiam uoluptas habere dicatur, nulla potest esse ei cum honestate coniunctio. nam, ut tribuamus aliquid uoluptati; condimenti fortasse non nihil, utilitatis certe nihil habebit. Habes a patre munus, Marce fili, mea quidem sententia, magnum: sed perinde erit, ut acceperis. quamquam tibi hi tres libri Cratippi inter commentarios, tamquam hospites, erunt recipiendi. sed, ut, si ipse uenissem Athenas; quod quidem esset factum, nisi me de medio cursu clara uoce patria reuocasset; aliquando me quoque audires: sic, quoniam his uoluminibus ad te profecta uox mea est, tribues his temporis, quantum poteris; poteris autem, quantum uoles. cum uero intellexero, te hoc scientiae genere gaudere; tum & praesens tecum propediem, ut spero; & dum aberis, absens loquar. Vale igitur, mi Cicero; tibiq. persuade, te mihi quidem esse carissimum, sed multo fore cariorem, si talibus monumentis, praeceptisq. laetabere.*

EXPLANATIO

MVLTIS *in locis* ʒ In multis locis, unus. Multis locis, quinque, & Tertij. AQVA *haeret, ut aiunt:* ʒ non progreditur eius ratio, impedimentis retinetur, ut aqua. NAM, *quo modo potest* ʒ Nam, qui potest, undecim, & Tertij. DEPELLENTEM *dolores.* ʒ nam philosophia medetur consternatis animis, ut ait Cicero. PERPETIENDI Q. *doloris.* ʒ Que, abest a duobus, & Tertij. DOLORIS *detractione fieri* ʒ Detractionem, omnes mei, & Tertij. COMITAS ʒ sic legendum. sic & Tertij liber, & alij mei. CALLIPHONEM, *& Dinomachum* ʒ de Fin. lib. v. Tusc. v. Acad. IV. EX *dissimilibus* ʒ Ex disimillimis, quinque, & Tertij. SED *de hoc hactenus:* ʒ Ὁ, Hactenus, abest a duodecim, & Tertij. ALIO *loco* ʒ in libris

libris de Finibus. PLVRIBVS *uerbis disputata*.§ haec duo postrema uerba, Verbis disputata, absunt a decem, & Tertij. In uno uerbum Disputata, non legitur. In alio, Pluribus dixi. Vt facile appareat, omnia esse glossemata. HABERE *dicatur*,§ Dicitur, unus. Diceretur, quattuor, & Tertij. PERINDE *erit, ut acceperis*.§ Sic Plautus: Res perinde est, ut eam agas, atque magnificias. QVAMQVAM *tibi hi tres libri Cratippi inter comm*.§ In quinque non legitur ?ò, Tibi. Septem, & Tertij, Quamquam hi tibi tres libri inter Cratippi comm. TAMQVAM *hospites*§ plus igitur Cratippo, quam sibi ipsi, tribuere uidetur. Fam. lib. XII. ep. 16. & lib. XVI. ep. 21. & horum librorū primo, ipso initio, & initio huiusce tertij. DE *medio cursu*§ E medio cursu, undecim, & Tertij. ME *quoque*§ non modo Cratippum. VT *spero;*§ auguratur scilicet, quod euenit. nam proscriptus, & interfectus est paullo post scriptos hos libros, M. Antonij Triumuiri iussu. Neque igitur praesens, neque absens cum filio locutus est. TE *mihi quidem esse car.*§ Te quidem mihi esse car. unus. Te esse mihi car. duo. Mihi quidem te esse car. unus. Esse te mihi quidem car. unus. Te mihi esse car. duo. Esse te quidem mihi car. quinque, & Tertij. Te esse equidem mihi car. unus. SI *talibus monumentis, praeceptisq. laetabere*.§ placere uideo doctis uiris, Monitis, potius, quam, Monumentis, contra ueteres omnes libros. ab his ego non libenter dissentio: sed libenter quoque tueor antiquitatem librorum, uel ipsam potius sententiam Ciceronis. quem loqui uideo de suis libris, eosq. uocare Monumenta, paterni scilicet amoris in filium: tamquam diu duraturos. in quibus quoniam praecipiuntur ea, quae ad honestatem, ueramq. gloriam pertinent, propterea subiunxit, Praeceptisque. Quasi dicat, Si meos libros leges, eorumq. praecepta seruabis. praecepta enim monumentis eiusmodi continentur. Vnus, Ornamentis.

Landesbibliothek Oldenburg

CLARISSIMO VIRO

IOANNI DONATO

CLARISSIMO VIRO

IOANNI. DONATO

BONVM omnes ſuſpiciunt, laudant, atque etiam ad id adipiſcendum natura impelluntur, IOANNES DONATE, ampliſſime. ſed multos a uirtutis uia, quae ad verum bonum ducit, aberrantes, id, quod ſpecie quidem bonum, re autem ipſa malum eſt, expetere ſatis conſtat. Multi rurſus ſunt, quos, ne male agant, poenae tantum metus deterret, eoſq. tamen extra bonorum numerum collocandos, maloſq. appellandos, ſapienter cecinit Poeta. Neque meliores uidentur his, qui propter diuitias, honorem, dominationem, bene, non ſponte quidem, ſed uelut inuiti, agunt. Sed optimum illud, & caeleſte, ac paene diuinum hominum genus cenſendum eſt, qui, propoſita impunitate mali, uel etiam praemio, nihil turpe, nihil indecorum, nihil umquam flagitioſum admitterent, nihil in religionem, fidem, remp. parentes, amicos, audendum eſſe exiſtimarent. Quorum Tu in numerum, uir ampliſſime, non ſolum adſciſcendus es, uerum omnium, quorum memoriam litterae nobis commendarunt, princeps cenſendus, ſoluſq. inter optimos optimus, & inter praeſtantiſſimos quoſque praeſtantiſſimus. ſed (id quod in maxima felicitatis parte numerandum eſt) non alius de te ſenſus eſt hominum: neque ingrata eſt Ciuitas, & Reſpublica, quae, in Te tota conuerſa, conſilium, tamquam Pythij Apollinis ab Oraculo reſponſa, petit. Equidem M. Catonem Porciae gentis Principem tres ſummas in homine res praeſtitiſſe ferunt. fuiſſe enim optimum oratorem, optimum ſenatorem, optimum imperatorem. Quas omnes in Te eſſe ſummas, atque admirabiles, maximis, ac difficillimis ſuis temporibus, Veneta, omnium, quae a prima uſque mundi origine fuerunt, nobiliſſima Reſp. non ſemel experta fuit. Et, licet Tibi numquam militarem rem attingere, & bellicas tuas uirtutes ſimul cum aciebus ipſis explicare, & manum cum hoſte conſerere, contigerit, (quod talis, & tanta Reſp. talem, tantumq. uirum a ſe longius ablegandum numquam paſſa fuerit) non tamen Tibi ſemel oblata eſt occaſio, domi, atque in toga, quantum in hac militari laude poſſes, & ſententia, & conſilio, & quotidiano ſermone, & in omni alia publica, priuataq. actione, declarandi. Huius igitur uiri memoriam, quem Tibi ex omni antiquitate licet multo inferiorem ſimillimum tamen & his, quas dixi, uirtutibus, & uitae inſtituto, & moribus fuiſſe, dicere ſaepe ſolitus ſum, & mihi facile perſuadeo, cum ego ſemper eximio quodam animi ſtudio iam inde a puero coluerim, omniaq.

ipsius dicta, ac facta, eaq. etiam, quae eius personae adscripta sunt diligenter obseruassem, & pleraque memoriae mandassem; uolui tandem Ciceronis de Senectutis laudibus Dialogum, in quo loquentem ipsum facit, meis illustratum commentarijs, Tuoq. amplissimo nomini commendatum, typis mandare, ut & maximam studiorum, uitae, morumq. tecum cum Catone similitudinem, & meam de uobis opinionem, Tuiq. singularem obseruantiam, & mirificam de litteratis uiris benemerendi uoluntatem simul testatam relinquerem. Vale. Venetijs,

Kal. Iun. CIↃ·IↃ XXCI.

PRAESTANTISSIMO VIRO,

LAVRENTIO MASSAE,

Reip. Venetae Secretario.



MEos in M.T. Ciceronis de Amicitia Dialogum Tibi nuncupo commentarios, mi LAVRENTI MASSA. Tibi, inquam, quem honestissimum, & ornatissimum uirum, tum propria, tum maiorum gloria, perillustrem, mihi arctissimo amicitiae uinculo adiungere tanta dignum laude duco, ut maiorem expetere nequeam. si quidem ego, non tantum, honore, amplitudine, aut praepotentium opibus, (quae omnia simul in Te maxima sunt) quam animo uirtute praedito delectari soleo. qui (ut cum Cicerone nostro dicam) amare, aut redamare possit. qualem Tu medius fidius animum semper erga omnes, & me praesertim, quibuscumque licuit officiis, iisq. minime uulgaribus, ostendisti. Iuxta, Venerem Charites, iuxta Bacchum Aethiopes quondam Mercurium ueteres posuere. & Capitolino Ioui uicina fuit Fides, ut in Catonis oratione scriptum fuit. Tuae uero statuae, quae iampridem tali uirtuti debetur, ad immortalitatis memoriam aliquis amicitiae typus adiungendus profecto esset, & omnis de amicitia sermo, omnis oratio, & disputatio ad Te merito pertinere debet, Tibiq. dicari. cum fortunas, animique uires pro amicis profundere, ita proprium Tibi sit, & peculiare, ut, quod numquam uulgare fuit, numquam permanauit ad multos, Tu uix Tibi patiare commune esse cum paucis. Quod si ego, pro mea tenuitate, pari erga Te officio, & obseruantia, uti non potui: Deum tamen immortalem testor, numquam mihi officiosissimam uoluntatem defuisse. Quae Tuis in primis, ut aequum est, in me meritis, excitari, atque augeri solet, quoties eorum mihi uenit in mentem, recolo autem ea saepissime: nihiloq. minus uetustissimam, & praeclarissimam Massonum familiam complector animo, ex qua dein Massae cognominantur, quae postquam omnem suam gloriam in Te, LAVRENTI nobilissime, transtulit, & illustrior facta est, & gloriosior. Etenim Nicolaus ille, Boccaccii testimonio celebris, & alter eius cognominis, uterque singulari medicae facultatis laude clarissimus, Tibi merito cedunt. itemq. tres illi nihilominus illustres eiusdem item nominis, uirtutisq. Antonii, quorum primus, Theologus clarissimus ordinis minorum, pro Nicolao V. Nuncii Constantinopolitani munere functus est. Secundus uero Antonins Massa Gallaesius, iuris, legumq. scientia adeo clarus, ut nulli suae memoriae in eo genere praestanti uiro secundus foret. Tertius denique doctissimus ille, pater Apollonii, adhuc superstitis, qui tantum, atque tam praeclaram inter medicos laudem consecutus est, nihil ut ad eam accedere posse uideatur. Hi, inquam, omnes Tibi merito cedant, qui tantam iis reddis gloriam solus, quantam a tot uiris illustribus acceperis. Te enim non temere Secretarium Resp. Veneta complectitur, filium amat, consultorem alloquitur, in Te fidem laudat, amorem commendat, sapientiam admiratur, Te quoque cuiuscumque ordinis homines suspiciunt, Tuamq. immensam uirtutem, & comitatem, quam uel ex ipso adspectu, & corporis habitu contemplari licet, diligentissime colunt. Me studiorum paritas, uirtutis amor, communisq. animorum ardor, quo Critonium nostrum, di-

uinum plane iuuenem, prosequimur, subigit, ut Te aeque ac ipsum amem, & ,quae ipse de Te cecinit, in primisq. ea, quae hic subscripsi, dulcis utriusque uestrum memoriae ergo saepe, ac libenter usurpem.

Vale. Venetiis, Idib. Iun. CIↃ ↃↃXXCI.

IACOBI. CRITONII SCOTI

Ad Clariſsimum uirum, Patritium Venetum, IOANNEM. DONATVM

Ode.

DVM cupidus, tumiduſq. Deo tua dicere facta,
Donate, quaero, maxime;
Mens deſideriis ardet, ſed lenta fatiſcit
Sub corde uirtus anxio.
Non tenui tentanda uidens freta turbida uelo,
Tardoq. Pontum remige,
Compreſſo feruore ſemel ſub pectore anhelo
Labore deſiſto graui.
Sed nihil intonſus fruſtra mihi Cinthius umquam
Suaſit, uel alta numina.
Ergo Deum, & doctas ſaepe in mea uota camoenas
Rurſus inuoco furens.
Tum mens euehitur multa ſeu candidus aura
Olor leuatus euolat,
Praepetibuſq. petit uolitans ſublimia pennis,
Magnumq. inane diuidit.
Victorem armatae flammis ſi Muſa Chimerae
Canora uatis extulit,
Siue trucidantes immania monſtra, uel ipſum
Natum Marinae Tethyos,
Aut Anchiſiadem, Priameiumq. Hectora grande
Carmen poetarum beat,
Si uiuunt Theronque, Hieronque, atque Ithacus ille,
Ob uana Clari ludicra,
Quos numquam obſcura ſub nube ſilentia condent
Obliuioſa Tartari,
Hoc opus o ueſtrum, Muſae, eſt. mihi cingite frontem,
Tempuſq. Lauro Apollinari.
Nec deerit diuos inter, regeſq. deorum
Genus, Donato gloria.

Landesbibliothek Oldenburg

M. TVLLII. CICERONIS
CATO. MAIOR
VEL
DE. SENECTVTE
AD. T. POMPONIVM. ATTICVM

Dialogi personae,
SCIPIO. CATO. LAELIVS

CICERO

TITE, *si quid ego adiuuo, curam ue leuasso, Quae nunc te coquit, & uersat sub pectore fixa, Ecquid erit praemi?* licet enim uersibus ijsdem mihi affari te, Attice, quibus affatur Flamininum ille uir, haud magna cum re, sed fide plenus. quamquam certo scio, nō, ut Flamininum, solicitari te, Attice, sic noctesq. diesque. noui enim moderationem animi tui, & aequitatem; teq. non cognomen solum Athenis deportaße, sed humanitatem, & prudentiam intelligo. & tamen suspicor ijsdem rebus te, quibus me ipsum, interdum grauius commoueri. quarum consolatio & maior est, & in aliud tempus differenda. nunc autem mihi uisum est aliquid ad te de senectute conscribere. hoc enim onere, quod mihi tecum commune est, aut iam urgentis, aut certe aduentantis senectutis, & te, & me ipsum leuari uolo. etsi, te quidem id modice, ac sapienter, sicut omnia, & ferre, & laturum esse, certo scio. sed mihi, cum de senectute uellem aliquid scribere, tu occurrebas dignus eo munere, quo uterque nostrum communiter uteretur. mihi quidem ita iucunda huius libri confectio fuit, ut non modo omnes abstulerit senectutis molestias, sed effecerit mollem etiam, & iucundam senectutem. numquam igitur satis laudari philosophia poterit: cui qui pareat, omne tempus aetatis sine molestia possit degere. Sed de ceteris & diximus alias multa, & saepe dicemus. hunc uero librum de senectute ad te misimus. omnem autem sermonē tribuimus non Tithono, ut Aristo Chius, ne parum eßet auctoritatis in fabula; sed M. Catoni seni, quo maiorem, auctoritatem haberet oratio: apud quem Laelium, & Scipionem facimus admirantes, quod is tam facile senectutem ferat, ijsq. eum respondentem. qui si eruditius uidebitur disputare, quam consueuit ipse in suis libris; attribuito Graecis litteris, quarum constat eum perstudiosum fuisse in senectute. sed, quid opus est plura? iam enim ipsius Catonis sermo explicabit nostram omnem de senectute sententiam.

EXPLANATIO

CATO MAIOR] de huius Dialogi inscriptione ipse Cicero in Laelij proemio. Maior, autem addidit, ad Minoris differentiam. nam minoris quoque laudem Cic. scripsit. ex quo Caesar Anticatonem litteris mandauit. Vide Plutarchum in Cicerone. DE SENECTVTE] M. Terentius Varro librum & ipse scripsit, Tithonum, περὶ γήρως, Demetrius quoque Phalereus περὶ γήρως nominatur a Laertio. *O Tite,*] Versus antiquorum poetarum apud Ciceronem saepe insertos reperiri, scribit Quinctil. lib. 1. cap. 3. de quo uide ipsum Ciceronem lib. 11. de Orat. SI QVID] nonnihil, aliquantum. debebat hoc amicitiae mutuae, cuius officium est, tam mutuo admonere, quam omnia communia reddere. ADIVRO,] sic lego, pro, Adiuuero, quod legitur in uetere meo: & in alio item scriptum esse, Langius notat. reliqui omnes uiginti, (nam in hoc libro emendando uno & uiginti utor scriptis, meis) Adiuto. Adiurit, Ter. Phorm. act. 3. sc. 3. LEVASSO,] pro, Leuauero. antique dictum. sic, Nemo separatim

Landesbibliothek Oldenburg

paratim habeſsit deos. Et, Si aliquis im occiſit. Vnus neus, Relaxo. QVAE *nunc te coquit*, ℈ ad Q. fratrem: Vaticinij odia non ſorbeo ſolum, ſed etiam concoquo. ET VERSAT *ſub pectore fixa*, ℈ *Sub pectore*: in extrema parte pectoris, ore ſtomachi. Vnus, Et uerſat tibimet in pectore fixa. Vnus, Et uerſatur in pectore firma. Vnus, Et uerſatur in pectore fixa. Tres, Et uerſat in pectore fixa. Duo, Verſatur pectore fixa. Quinque, Verſatq. in pectore fixa. Vnus, Verſatq. in pectore firma. Vnus, Et uexat in pectore firma. Vnus, Vexatq. in pectore fixa. ECQVID ℈ uenuſtatis quiddam habet. quale apud Terentium Eunucho:

Ecquis me uiuit hodie fortunatior?

PRAEMII? ℈ ſic quattuordecim mei. Septem, Pretij. MIHI *affari te*, ℈ ἐμφαλικῶς: amiciſsimo amiciſsimum. FLAMININVM. ℈ L. Quinctium Flamininum, L. Quinctij Flaminini fratrem, quem Ennius his uerſibus alloquitur, Galliae proconſulem, a Catone cenſore ſenatu motum, & ignominia notatum, propter quendam, quem ad preces, ſiue amaſij, ſiue amicae, uel ſua manu occiderat, uel ſecuri percuſſerat: qui ex Macedonia, & Philippo rege triumphauit anno ab V.C. DLIX. HAVD *magna cum re*, ℈ iocus. nam, cum uellet dicere, Locuples teſtis, ex conſuetudine Latini ſermonis, recordatus eius inopiae, dixit, Haud magna cum re. Sic omnes mei libri. & Ennius ipſe in Annalibus:

Certantes magna cum cura, tamen cupientes
Regni dant operam, ſimul auſpicio, augurioque.

SED *fide plenus*. ℈ Sed plenus fide, duo. reliqui, Sed plenus fidei. SOLLICITARI *te, Attice*, ℈ O Attice, unus. In uno deeſt *Ὦ* Te. Tite, ſex. O Tite Attice, unus. NOCTES Q. *dieſque*. ℈ νύκτας τε, καὶ ἡμέρας πάντα. MODERATIONEM *animi tui*, ℈ qui neque ſecundis rebus efferaris, nec aduerſis deprimaris. quod magni animi eſſe, ait Ariſtoteles. quod pari faſtigio ſteterit in utraque fortuna. ait Nepos. ET *aequitatem*; ℈ aequum animum, aequanimitatem. COGNOMEN ℈ Nepos: Hoc ſpecimen prudentiae, quod, cum in eam ſe ciuitatem contuliſſet, quae antiquitate, humanitate, doctrinaq. praeſtaret omnes, ei nunc ante alios fuerit cariſsimus. Huc ex Aſia Sulla decedens cum ueniſſet, quamdiu ibi fuit, ſecum habuit Pomponium, captus adoleſcentis & humanitate, & doctrina. ſic enim Graece loquebatur, ut Atheniſnatus uideretur: tanta autem ſuauitate ſermonis Latini, ut appareret natiuum quendam leporem eſſe, non adſcitum. Idem poemata pronunciabat & Graece, & Latine ſic, ut ſupra nihil poſſet addi. HVMANITATEM, ℈ doctrinam, ſcilicet, eruditionem. unde Humaniores litterae. Cornelius Nepos: Atticus & principum philoſophorum ita percepta habuerat praecepta, ut iis ad uitam agendam, nō ad oſtentationem, uteretur. PRVDENTIAM ℈ in diſsimulando dolore animi: ne tyrannus offenſus magis ſaeuiat. quod Ciceronem, Tulliolae obitum parum moderate ferentem, monet Sulpicius. IISDEM *rebus* ℈ reip. perturbatione. MEIPSVM, ℈ qui non modo, ut tu, philoſophiam didici, ſed alios docendos, & animi perturbationibus leuandos ſuſcepi. INTERDVM ℈ maiores enim uires ſunt naturae, quā diſciplinae. GRAVIVS, ℈ quam deceat, uel quam doctrina permittat. ET *maior eſt*, ℈ nam, quo maior dolor, eo maior conſolatio requiritur. ET *in aliud tempus differenda*. ℈ non enim licet, ob tyrannum. ONERE, ℈ onus, cum aduenit; quod, dum abeſt, deſideramus. ADVENTANTIS ℈ Horatius:

Eheu fugaces, Poſtume, Pooſtume,
Labuntur anni: nec pietas moram
Rugis, & inſtanti ſenectae
Afferet, indomitaeq. morti.

Seneca:

Rota praecipitis uertitur anni.

Ouidius:

Vtendum eſt aetate; cito pede labitur aetas:
Nec bona tam ſequitur, quam bona prima fuit.

MEIPSVM ℈ ne imitari uidear malos medicos, qui in alienis morbis ſe profitentur tenere medicinae ſcientiam, ſeipſos curare non poſſunt. LEVARI *uolo*. ℈ Leuare, unus. MODICE, ℈ pro, Modeſte. ſic locutus in oratione pro Plancio, & lib. III. de Leg. non longe ab extremo. ſic omnes mei libri, uno excepto, in quo, Modeſte. CERTO *ſcio*. ℈ Certe ſcio, quindecim mei. DIGNVS *eo munere*, ℈ atqui ſcriptores ſemper cupiebant ſcripta ſua dignis hominibus commēdare: quorum utinam nunc eſſet copia. VTERQVE *noſtrum* ℈ amicorum enim omnia communia. SATIS *laudari* ℈ Satis laudari digne, nouem. Satis digne laudari, quinque. Digne ſatis laudari, unus. PHILOSOPHIA *poterit*: ℈ ord. praep. quinque. DE *ceteris* ℈ philoſophiae laudibus. SAEPE *dicemus*. ℈ propoſitum enim ei erat, totam philoſophiam Latinis litteris illuſtrare. HVNC *uero librum* ℈ Vero, abeſt ab omnibus: in duobus, Hunc autem librum. DE *ſenectute ad te* ℈ ord. praep. decem ſeptem. TITHONO, ℈ Laomedontis filio. qui cum ab Aurora adamatus eſſet, ab eaq. in caelum ſublatus, illius ſucco perunctus eſt. atque ob id ad eam ſenectutem peruenit, ut petiuerit ſe in cicadam conuerti: quod genus cantando mori ferunt. Horatius:

Abſtulit clarum cita mors Achillem:
Longa Tithonum minuit ſenectus:
Forſan & nobis, tibi quod negauit,
Contulit hora.

Vide Comm. in Hom. Il. λ. & Od. ε. Ser. Aen. IV. Hygin. cap. CCX. ARISTO *Chius*, ℈ de quo Laertius. QVO *maiorem auctoritatem* ℈ In Laelio. Genus hoc ſermonum, poſitum in hominū ueterum auctoritate, &

eorum

eorum illustrium, plus nescio quo pacto uidetur habere grauitatis. LAELIVM,§ Sapientem dictum, prioris Laelij filium. Phil.XI. SCIPIONEM§ Africanum minorem, Paulli filium. FACILE *senectutem ferat*,§ ῥᾳδίως φέρειν τὸ γῆρας, Plato. GRAECIS *litteris*,§ quas, natu grandior, Sardiniae praetor, ab Ennio didicisse fertur. SENTENTIAM.§ quod animo sentimus. διάνοιαν. Vide Quinctilianum lib. IIX. cap. 5.

CICERO

SCI. *Saepenumero admirari soleo cum C. hoc Laelio, cum ceterarum rerum tuam excellentem, M. Cato, perfectamq. sapientiam, tum uel maxime, quod numquam grauem tibi senectutem esse persensérim: quae pleriſque senibus sic odiosa est, ut onus se Aetna grauius dicant sustinere.* CA. *Rem haud sane, Scipio, & Laeli, difficilem admirari uidemini. quibus enim nihil est in ipsis opis ad bene, beateq. uiuendum, iis omnis aetas grauis est: qui autem omnia bona a se ipsis petunt, iis nihil potest malum uideri, quod naturae necessitas afferat: quo in genere est in primis senectus: quam ut adipiscantur, omnes optant; eandem accusant adepti: tanta est inconstantia, stultitia, atque peruersitas. Obrepere aiunt eam citius, quam putaßent. primum, quis coegit eos falsum putare? qui enim citius adolescentiae senectus, quam pueritiae adolescentia, obrepit? deinde, qui minus grauis eßet iis senectus, si octingentesimum annum agerent, quam si octogesimum? praeterita enim aetas, quamuis longa, cum effluxißet, nulla consolatione praemulcere posset stultam senectutem. quocirca, si sapientiam meam admirari soletis, quae utinam digna esset opinione uestra, nostroq. cognomine; in hoc sumus sapientes, quod naturam optimam ducem, tamquam deum, sequimur, eiq. paremus: a qua non ueriſimile est, cum ceterae partes aetatis bene descriptae sint, extremum actum, tamquam ab inerti poeta, esse neglectum. sed tament necesse fuit, esse aliquod extremum, &, tamquam in arborum baccis, terraeq. frugibus, maturitate tempestiua quasi uietum, & caducum: quod ferendum est molliter sapienti. quid enim est aliud, gygantum more bellare cum diis, nisi naturae repugnare?*

EXPLANATIO

CVM *C. hoc Laelio*,§ Cum hoc C. Laelio, decemnouem. unus, Cum C. Laelio. CETERARVM *rerum*§ quas in Laelio enumerat: Cato, quia multarum rerum usum habebat, multaq. eius & in senatu, & in foro uel prouisa prudenter, uel acta constanter, uel responsa acute ferebantur, propterea quasi cognomen iam habebat in senectute Sapientis. QVOD *numquam grauem tibi senectutem esse persensérim*:§ undecim, Quod numquam senectutem tibi grauem esse sensérim. quinque, Quod numquam tibi senectutem grauem esse sensérim. unus, Quod numquam senectutem tuam grauem tibi sensérim. unus, Quod numquam senectutem grauem tibi omnem sensérim. unus, Quod numquam senectutem tuam grauem tibi persensérim. Duo faciunt cum impressa lectione, praeterquam quod pro Persensérim habent Sensérim. ONVS *Aetna grauius*§ ex Euripide in Herc. Furente:

ἀ νεότας μοι φίλον.
τὸ δὲ γῆρας ἄχθος αἰεὶ
βαρύτερον Αἴτνας σκοπέλων
ἐπὶ κραλὶ κεῖται.

Vide Muretum Var. lect. lib. VII. cap. 15. De Aetna autem Pindarus Ode 4 Olymp. Ode prima Pyth. Virg. III. Aen. Agell. lib. XVII. cap. 10. Macrobius lib. V. cap. 27. Claudianus lib. I. de raptu, Silius lib. XIV. Lucretius. Strabo lib. VI. Pomponius Mela, de Sicilia, lib. 2. Plinius lib. II. cap. 106. lib. III. cap. 8. Solinius cap. XJ. Orosius lib. XI. cap. 12. August. de Ciu. lib. III. in fine, Iustinus in principio libri IV. Graecus senarius Senectutem graue onus dicit: χαλεπὸν τὸ γῆρας ἐστιν ἀνθρώποιν κάρος. *A seipsis petunt*,§ sic omnes libri, uno excepto, in quo, In seipsis ponunt. QVOD *naturae necessitas afferat*:§ Euripides:

Δεινῆς ἀνάγκης οὐδὲν ἰσχύει πλέον.

Idest: Necessitatis omnium uix maxima.

Et Hesiodus.

EANDEM *accusant adepti*:§ sic legendum, ex duodecim meis libris. In Graeco, κλησάμενοι.

Martialis:

Quod sis, esse uelis, nihilq. malis.

Antiphanes apud Stobaeum:

Εἰ δισὰς μοι γῆρας, ὡς κακὸν μέγα
οὐ μὴ τυχόντι θανάτος ἐσθ' ὅ ξυμία.
οὗ πάντες, ἐπιθυμοῦμεν, ἀνδ' ἔλθῃ ποτὲ
ἀνιώμεθ' οὕτως ἐσμὲν ἀχάριστοι φύσει.
τοῦ ζῆν γὰρ οὐδεὶν, ὡς ὁ γηράσκων ἐρᾷ.

Et Theres, apud Euripidem:

ὀλίγον μὲν τὸ ζῆν, φίλον δέ.

INCONSTANTIA,§ quia dissentiunt a seipsis: STVLTITIA,§ quia sine caussa. PERVERSI-

TAS. § quia mentis, animiq. uitio. est enim Peruersitatis maior, quam Stultitiae, culpa. excusationem enim aliquam habet stultitia, peruersitas non habet: in qua rationem deprauata uolũtas uincit. itaque accedere ad improbitatem uidetur, cuius expers stultitia est. ep.7.lib.1.Fam. Quamquam est incredibilis hominum peruersitas, (grauiori enim uerbo uti non libet) &c. Ineſt, pro Eſt, octo. Septem ord. praep. Stult. inconſt. Stultitiae inconſtantia, unus. Tanta eſt hominum inconſt. &c. unus. OBREPERE *aiunt eam citius, quam putaſſent.* § Plato in Axiocho: Λαθὸν ὑπεισῆλθε τὸ γῆρας. Sumpſit ex Menecrate poeta, apud Stobaeum:

Γήρας ἑπεὰν μὲν ἀπῇ, πᾶς εὔχεται.
ἦν δὲ ποτ' ἔλθῃ, μέμφεται.

Idem tradit Ouidius Faſt. 1. & VI. & de Arte amandi III. Auſonius:

Seneſcimus, effugit aetas. Et Satyricus:
-- Obrepit non intellecta ſenectus.

QVIS *coegit* § nam dicere, Non putaram, turpe eſt. CVM *effluxiſſet*, § perinde enim eſt, ac ſi numquam fuiſſet. NVLLA *conſolatione* § Nulla tamen conſolatione, ſeptem. Nulla cum conſ. unus. Conſolatio, duo. STVLTAM *ſenectutem*. § μετωνυμία. continens pro contento. SI *ſapientiam meam admirari ſoletis*, § quam Laelius in dialogo de Amicitia ſuae pari modeſtia praetulit; immo Socrati, Apollinis iudicio ſapientiſsimo, antepoſuit; quod illius tantum praeclare dicta, huius etiam egregie facta laudarentur. NOSTROQ. *cognomine*; § Veſtroq. cogn. octo. non placet. M. enim Cato, & C. Laelius nominati Sapientes. uide lib. III. de Off. NATVRAM *optimam ducem*, § quam ſequentibus omnia expedita ſuccedunt. Seneca Ep. lib. XXII. ep. 122. TAMQVAM *deum*, § nam Errare humanum eſt, non diuinum. Plin. lib. II. cap. I. Naturam deum facit. Cic. III. de Fin. Tempori parere, ſequi deum, ſe noſcere, nihil nimis. ESSE *aliquod extremum*, § Aliquid, Omnes mei. Duo, Aliquid eſſe extr. Vnus, Aliquid fuiſſe extr. BACCIS *terraeq. frugibus*, § Cic. I. de Leg. Nec ſolum ea, quae frugibus, atque baccis terrae fetu perfunduntur, ſed etiam pecudes. Ouidius.

Ingrataſq. uocat, nec frugum munere dignas.

MATVRITATE *tempeſtiua* § uide Agellium lib. x. cap. II. VIETVM, § languidum, ſine ui, naturalibus uiribus priuatum. Feſtus. Vietus ſenex, Terentio; Vieta membra, Horatio; Vieta ueſtis aranei, i. tela, Lucretio. Vietus locus, Catoni; Vieca ficus, Columellae. CADVCVM: § ad caſum pronum. MOLLITER. § non effeminate, & parum uiriliter: ſed, animo leni, & non iniquo. GYGANTVM *more* § Gygantium, unus. Modo, quinque. More gygantum, unus. Gygantes bellare, unus. Gygantomachiam ſcripſerunt Heſiodus in Theogonia, Virg. Georg. I. Ouid. Metam. I. & V. & Claudianus. De fabulae mythologia Macrobius Sat. lib. I. cap. 20. Theognis:

οὐκ ἔστι θνητοῖσι πρὸς ἀθανάτους μαχέσασθαι,
οὐδὲ δίκην εἰπεῖν. οὐδενὶ τοῦτο θέμις.

Bella mouere nefas, litemq. intendere diuis,
Mortales, uetitum eſt. hoc tibi nemo dabit.

CICERO

ATQVI, Cato, gratiſſimum nobis, ut etiam pro Scipione pollicear, feceris, ſi, quoniam uolumus (ſperamus quidem certe) ſenes fieri, multo ante a te didicerimus, quibus facillime rationibus ingraueſcentem aetatem ferre poſſimus. CA. *Faciam uero Laeli, praeſertim ſi utrique ueſtrum gratum, ut dicis, futurum eſt.* LAE. *Volumus ſane, niſi moleſtum eſt tibi, Cato, tamquam longam aliquam uiam confeceris, quam nobis quoque ingrediendum ſit, iſtuc, quo peruenisti, uidere quale ſit.* CA. *Faciam, ut potero, Laeli: ſaepe enim interfui querellis aequalium meorum, (pares autem cum paribus, ueteri prouerbio, facillime congregantur) quas C. Salinator, quas Sp. Albinus, homines conſulares, noſtri fere aequales, deplorare ſolebant; tum, quod uoluptatibus carerent, ſine quibus uitam nullam putarent; tum, quod ſpernerentur ab iis, a quibus eſſent coli ſoliti. qui mihi non id uidebantur accuſare, quod eſſet accuſandum. nam, ſi id culpa ſenectutis accideret, eadem mihi uſu euenirent, reliquiſq. omnibus, maioribus natu; quorum ego multorum cognoui ſenectutem ſine querella; qui ſe, & libidinum uinculis laxatos eſſe non moleſte ferrent, nec a ſuis deſpicerentur. ſed omnium iſtiuſmodi querellarum in moribus eſt culpa, non in aetate. moderati enim, & nec difficiles, nec inhumani ſenes tolerabilem ſenectutem agunt: importunitas autem, & inhumanitas omni aetati moleſta eſt.*

EXPLANATIO

VT *etiam pro Scipione pollicear*, § ſic de Amicitia: Pro hoc, qui minor eſt natu, meo iure ſpondeo. QVONIAM *uolumus, (ſperamus quidem certe)* § Quoniam ſperamus, uolumus quidem certe, tres. Quoniam ſperamus, & uoluimus quidem certe, duo. Quoniam ſperauimus, uoluimus quidem, unus. Quoniam ſperamus, & uoluimus quidem, unus. Quoniam ſperamus, & uolumus quidem, ſeptem. Quoniam ut ſperamus & uolumus, unus. Quoniam ſperamus, uolumus certe, unus. Quoniam ſperamus, & uolumus quidem certe, quinque. FACIAM *uero, Laeli*, § annuentis. De Fin. Tuo uero id arbitratu. Thſc. V. Tu uero, ut uidetur. Terentius: Laudas eos, qui heros fallunt? Cui reſpondet ſeruus: Ego uero laudo.

Landesbibliothek Oldenburg

laudo. VOLVMVS *sane, nisi &c.* § sunt haec uerba Socratis ad Cephalum Athenienſium oratorem, 1. de Rep. unde tota huius ſermonis ratio deſumpta eſt. MOLESTVM *eſt tibi,* § Το Tibi, abeſt a ſexdecim. Vnus, Ni. Vnus, Niſi moleſtum eſt, M. Cato. QVAM *nobis quoque ingrediendum ſit,* § non obſeruata figura multos potuit in errorem inducere. Nos & ueteres libros undecim, in quibus eſt, Quam, non, ut in uulgatis, Qua, & conſuetudinem ſecuti Latini ſermonis, repoſuimus, Quam. Cuius generis exempla ſubſcribam. In Vatinium: Eripueras ſenatui prouinciae decernendi poteſtatem. Terentius: Nouarum ſpectandi. Et Hecyra: Eius tuidendi. cum de muliere loquatur. Quo loco uide Donatum. Et hic, infra: Notandum putaui libidinem. Et Tuſc. 1. Iphigenia Aulide duci ſe immolandum iubet. Quaeq. ab Oberto Giſanio, praeſtantis induſtriae uiro, quemq. Venetiis aliquando familiariter noui, obſeruata eſſe uideo: Varronis lib. III. de re ruſt. Acus ſubſternendum gallinis parturientibus. Eiuſdem, eodem libro: Eas haras ſubſternendum palea. Virgilij:

-- Pacem Troiano ab rege petendum.

Lucretij lib. I.

Poenas timendum.

Eodem lib.

Multa agendum.

Ibidem:

Mons corpora priuandum.

Lib. II. Addendum partes alias.

Lib. III. Faciendum eſt animam ſenſibus auctam.

Vide de hoc Platonem lib. VII. Pol.

PARES *cum paribus, &c.* § Ar. Rhet. II. Ηλιξ ἥλικα τέρπει. Et Plato in Sympoſio, in Lyſia, & de Rep. IV. QVAS *C. Salinator, quas Sp. Albinus deplorare ſolebant;* § durum uideri poteſt, Deplorare querellas: niſi putemus uſurpatam eſſe uocem continentem pro ea, quae continetur. querebantur enim ſenectutis incommoda, eaq. deplorabant. TVM, *quod uoluptatibus carerent,* § Plato Polit. I. TVM, *quod ſpernerentur ab iis, a quibus eſſent coli ſoliti.* § hinc uere Terentius:

Omnes ſibi malle melius eſſe, quam alteri.

Et Ouidius:

Vulgus amicitias utilitate probat.

Et paullo poſt:

-- en detrahe menti
Spem fructus auidae: nemo petendus erit.

Et Polynices, apud Euripidem:

Εὖ πράσσε. λὰ τῶν φίλων οὐδὲν, ἤν τις δυσχῇ.

Ideſt: Cura, ut bene tibi ſit. nulla enim ſunt in calamitate amicorum ſubſidia.

SINE *querella;* § non querulam. MODERATI, § qui cupiditatibus, uoluptatibus, & iracundiae moderentur. NEC *difficiles,* § qui nec aequas petitiones reſpuant, nec modicis delictis ueniam negent, nec neceſſe habeant omnia pro ſuo iure agere: apud quos & cognoſcendi, & ignoſcendi peccati locus ſit. NEC *inhumani* § comes, benigni, non importuni, & moroſi: qui habent aliquid iuuenilis hilaritatis. IMPORTVNITAS *autem, & inhumanitas* § quae ipſa uitia modo dicta ſunt. OMNI *aetati* § Omni aetate, ſex mei. & ita Graece.

CICERO

LAE. *Eſt, ut dicis, Cato: ſed fortaſſe dixerit quiſpiam, tibi, propter opes, & copias, & dignitatem tuam, tolerabilem ſenectutem uideri, id autem non poſſe multis contingere.* CA. *Eſt iſtud quidem, Laeli, aliquid, ſed nequaquam in iſto ſunt omnia: ut Themiſtocles fertur Seriphio cuidam in iurgio reſpondiſſe. cum ille dixiſſet, non eum ſua, ſed patriae gloria ſplendorem aſſecutum: Nec hercle, inquit, ſi ego Seriphius, nobilis; nec tu, ſi Athenienſis eſſes, clarus umquam fuiſſes. quod eodem modo de ſenectute dici poteſt. nec enim in ſumma inopia leuis eſſe ſenectus poteſt, ne ſapienti quidem; nec inſipienti, etiam in ſumma copia, non grauis. Aptiſſima omnino ſunt, Scipio, & Laeli, arma ſenectutis, artes, exercitationesq. uirtutum: quae in omni aetate cultae, cum diu multumq. uixeris, mirificos afferunt fructus; non ſolum, quia numquam deſerunt, ne extremo quidem tempore aetatis; (quamquam id quidem maximum eſt) uerum etiam, quia conſcientia bene actae uitae, multorumq. benefactorum recordatio iucundiſſima eſt. Ego Q. Maximum, eum, qui Tarentum recepit, ſenem adoleſcens ita dilexi, ut aequalem. erat enim in illo uiro comitate condita grauitas: nec ſenectus mores mutauerat. quamquam eum colere coepi non admodum grandem natu, ſed tamen iam aetate prouectum. anno enim poſt, quam conſul primum fuerat, ego natus ſum: cumq. eo quartum conſule adoleſcentulus miles ad Capuam profectus ſum, quinctoq. anno poſt ad Tarentum quaeſtor: deinde aedilis, quadriennio poſt factus ſum praetor: quem magiſtratum geſſi conſulibus Tuditano, & Cethego, cum quidem ille admodum ſenex ſuaſor legis Cinciae de donis, & muneribus fuit. hic & bella gerebat, ut adoleſcens, cum plane grandis eſſet: & Hannibalem, iuueniliter exſultantem, patientia ſua molliebat: de quo praeclare familiaris noſter Ennius:*

Vnus homo nobis cunctando reſtituit rem:
Non ponebat enim rumores ante ſalutem.

Ergo

Ergo magisque, magisq. uiri nunc gloria claret.
Tarentum nero qua uigilantia, quo consilio recepit? cum quidem, me audiente, Salinatori, qui, amisso opido, fugerat in arcem, glorianti, atque dicenti; mea opera, Q. Fabi, Tarentum recepisti; certe, inquit, ridens: nam, nisi tu amisisses, ego numquam recepissem. Nec uero in armis praestantior, quam in toga; qui, consul iterum, Sp. Caruilio collega quiescente, C. Flaminio tribuno pl. quoad potuit, restitit, agrum Picenum, & Gallicum uiritim contra senatus auctoritatē diuidentibus: augurq. cum esset, ausus est dicere, optimis auspicijs ea geri, quae pro reip. salute gererentur; quae contra remp. fierent, contra auspicia fieri. Multa in eo uiro praeclara cognoui: sed nihil est admirabilius, quam quo modo mortem Q. filij tulit, clari uiri, & consularis. est in manibus laudatio: quam cum legimus, quem philosophum non contemnimus? Nec uero ille in luce modo, atque in oculis ciuiū magnus, sed intus, domiq. praestantior. qui sermo? quae praecepta? quanta notitia antiquitatis? quae scientia iuris augurij? multae etiam, ut in homine Romano, litterae: omnia memoria tenebat non domestica solum, sed etiam externa, bella. cuius sermone ita tum cupide fruebar, quasi diuinarem id, quod euenit, illo extincto, fore, unde discerem, neminem. Quorsum igitur haec tam multa de Maximo? quia profecto uidetis, nefas esse dictum, miseram fuisse talem senectutem. nec tamen omnes possunt esse Scipiones, aut Maximi, ut urbium expugnationes, ut pedestres, nauales ue pugnas, ut bella a se gesta, ut triumphos, recordentur. est etiam quiete, & pure, atque eleganter actae aetatis placida, ac lenis senectus: qualem accepimus Platonis; qui, uno & octogesimo anno, scribens est mortuus: qualem Isocratis; qui eum librum, qui Panathenaicus inscribitur, quarto & nonagesimo anno scripsisse dicitur, uixitq. quinquennium postea: cuius magister Leontinus Gorgias centum & septem compleuit annos; neque umquam in suo studio, atque opere, cessauit. qui, cum ex eo quaereretur, cur tam diu esse uellet in uita, Nihil habeo, inquit, quod accusem senectutem praeclarum responsum, & docto homine dignum. sua enim uitia insipientes, & suam culpam, in senectutem conferunt: quod non faciebat is, cuius modo mentionem feci, Ennius:

„ Sicut fortis equus, spatio qui saepe supremo
„ Vicit Olympia, nunc senio confectu' quiescit.

Equi fortis, & uictoris senectuti comparat suam: quem quidem meminisse probe potestis: anno enim undenonagesimo post eius mortem hi consules, T. Flaminius, & M'. Acilius, facti sunt: ille autem Caepione, & Philippo iterum consulibus mortuus est, cum ego, quinque & sexagintа annos natus, legem Vocontiam magna uoce, & bonis lateribus suasissem. sed annos septuaginta natus (tot enim uixit) Ennius ita ferebat duo, quae maxima putantur, onera, paupertatem, & senectutem, ut eis paene delectari uideretur. etenim, cum complector animo, quattuor reperio causas, cur senectus misera uideatur; unam, quod auocet a rebus gerendis; alteram, quod corpus faciat infirmum; tertiam, quod priuet omnibus fere uoluptatibus; quartam, quod haud procul absit a morte. earum, si placet, causarum quantum quaeque ualeat, quamq. sit iusta, uideamus.

EXPLANATIO

LAELIVS. *Est, ut dicis, Cato: sed fortasse dixerit quispiam, tibi, propter opes, & copias, & dignitatem tuam, tolerabilem senectutem uideri: id autem non posse multis contingere.* CATO. *Est istud quidem, Laeli, aliquid: sed nequaquam in isto sunt omnia: ut Themistocles fertur Seriphio cuidam in iurgio respondisse: cum ille dixisset, non eum sua, sed patriae gloria splendorem assecutum: Nec hercle, inquit, si ego Seriphius, nobilis; nec tu, si Atheniensis esses, clarus umquam fusses.* Cum hunc locum ex Platonis lib. 1. de Rep. sumptum esse constet; mirari satis non possum, qui uenerit in mentem nonnullis, reponere, Ignobilis, pro Nobilis. nam in Platone quidem legitur Ονομαστὸς. quem locum Cicero paullo liberius, suo more, conuertit: quippe pro uno eo uerbo Ονομαστὸς, quod in Platone ad Themistoclem simul, & Seriphium quendam pertinet, duo retulit; & de Themistocle, Nobilis; de Seriphio, Clarus, dixit. uerum Platonis locum subscribemus, atque etiā ad uerbum interpretabimur: quod ob eam causam necessarium uidetur, quia Latina Platonis conuersione, quae in plerisque libris mendosa est, utuntur multi. Τὸ τοῦ Θεμιστοκλέους εὖ ἔχει, ὃς τῷ Σεριφίῳ λοιδορουμένῳ, καὶ λέγοντι, ὅτι οὐ δι' αὐτὸν, ἀλλὰ διὰ τὴν πόλιν εὐδοκιμοῖ, ἀπεκρίνατο, ὅτι οὔτ' ἂν αὐτὸς Σέριφιος ὢν, ὀνομαστὸς ἐγένετο, οὔτ' ἐκεῖνος, Ἀθηναῖος. καὶ τοῖς δὴ μὴ πλουσίοις, χαλεπῶς δὲ τὸ γῆρας φέρουσιν, εὖ ἔχει ὁ αὐτὸς λόγος, ὅτι οὔτ' ἂν ὁ ἐπιεικὴς πάνυ ῥᾳδίως γῆρας μετὰ πενίας ἐνέγκοι, οὔθ' ὁ μὴ ἐπιδεικὴς πλουτήσας, εὐκόλως ποτ' ἂν ἑαυτῷ γένοιτο. Latine sic: Bene Themistocles, qui Seriphio conuicianti, ac dicenti, non propter ipsum, sed propter ciuitatem clarū esse, respondit, neque ipsum, si Seriphius esset, splendorem assecuturum fuisse; neque illum, si Atheniensis. similiter in eos, qui inopia laborant, nec senectutem facile ferunt, idem sermo conuenit. nam neque moderatus admodum facile senectutem cum inopia patiatur; neque immoderatus diues molestia umquam uacet. Idem Themistoclis responsum in eius uita, & in Apophthegm. Plutarchus, idem, omissa tamen Seriphij mentione, Herodotus quoque recitat: & apud Plutarchum, Εὔδοξος, apud Herodotum, item ut apud Platonem, Ονομαστὸς, scriptum est. Quorum consensu mendi suspicio tollitur. nisi si quis clarissimis etiam rebus tenebras offundere conetur. Sed omittamus historiam; cui non ualde patent eorum aures, qui Graece nesciunt: perpendamus sententiam, & ad eam Themistoclis exemplum accommodemus. Propositum Ciceroni uidetur, uel Platoni potius, a quo Cicero sumpsit, ut senectutem & inopi sapienti, & diuiti insipienti grauem esse ostendat. utrique enim aliquid deest ad tolerandam senectutem: inopi sapienti, rei familiaris adiumenta; diuiti insipienti, sapientia. hoc plane Ciceronis illa uerba declarant: Nec enim in summa inopia leuis esse senectus potest, ne sapienti quidem; nec insipienti, etiam in summa copia, non grauis. quod Plato Graece dixit hoc modo: οὔτ' ἂν ὁ ἐπιεικὴς πάνυ ῥᾳδίως γῆρας μετὰ πενίας ἐνέγκοι, οὔθ' ὁ μὴ ἐπιεικὴς πλουτήσας, εὐκόλως ποτ' ἂν ἑαυτῷ γένοιτο. Quo, loco, pro Επιεικὴς, & Μὴ ἐπιεικὴς, dixit Cicero, Sapiens, & Insipiens;

Insipiens: quod est proprie, Moderatus, & Immoderatus. Sed, ut dixi iam, paullo liberius Cicero, nec tamen male, uertit: si quidem, & qui moderatus, idem sapiens, & qui sapiens, idem moderatus est. Comparantur igitur inter se inops sapiens, & diues insipiens: nec tantum aut apud inopem sapientia, aut apud insipientem diuitiae ualent, ut senectutem agere tolerabilem queant. quod si adimatur uel inopia sapienti, uel insipientia diuiti, ut cum sapientia diuitiae coniungantur: aequo animo feretur senectutis onus. Cum hac sententia, quis non intelligit, dictum Themistoclis optime congruere? nam, quemadmodum ad ferendam senectutem ualent aliquid opes, & copiae, nec tamen in iis omnia sunt; quia, nisi sapientia simul aderit, senectus leuis esse non poterit: sic ad hominum decus, & ornamentum ualet omnino aliquid patria, nec tamen in eo sunt omnia: quia, si quis uirtute careat, is, uel in patria nobilissima natus, claritatem assequi nullam poterit. itaque nec Themistocles, si ei contigisset, ut in humili, obscuraq. insula Seripho nasceretur; nec Seriphius ille, si Athenis, clarus umquam fuisset. porro, cum Seriphio illi non tam patriae gloria, quam ipsius uirtus defuerit: non uidetur conferendus neque cum sene inopi sapiente, neque cum diuite insipiente; quorum alteri senectutem inopia, alteri insipientia grauem facit: sed ei seni simillimus est, cuius ad miseriam addi nihil potest; cum neque res domestica subsidio est, neque sapientia solatio. nam senectus inopi sapienti grauis est, diuiti insipienti grauior, inopi simul & insipienti grauissima. atque hoc tertium senectutis miserrimae genus indicat Cicero, cum ait: Ne sapienti quidem. nam, sine sapienti quidem inopi leuis esse senectus potest; sequitur, ut insipienti inopi grauissima sit. Fieri autem grauiora senectutis incommoda, si absit sapientia, quam si copiae, tum Plato ipse, tum etiam Cicero, si quis eorum uerba diligenter inspiciat, perspicue demonstrant. Ac seni quidem inopi sapienti Themistocles, si in Seriphio insula natus esset, similis fuisset; diuiti autem insipienti Seriphius ille, si Athenis. Quocirca hoc etiam modo Themistocles Seriphio praestitisset. Nec uero potuit acutius respondere, aut modestius. nam & cum homine patriã uituperauit: & suam laudem cum patriae laude coniunxit. Satis haec uidentur, ut Ciceronis pulcherrima sententia conseruetur, adiuncto praesertim antiqui libri testimonio, quem patri meo, praestans eruditione, atque integritate uir, omniq. plane laude cumulatus, ac de nobis quidem perpetua multorum annorum benignitate optime meritus, Gulielmus Sirlettus Cardinalis, ut ad communem utilitatem uteretur, donauit. in eo libro, non obscuris litteris, Nobilis, scriptum uideo. ut iam neminem fore arbitrer, nisi si quem a ueritate pertinacia detorserit, qui Platonis, Herodoti, Plutarchi testimonio, libri ueteris auctoritati, &, quod caput est, Ciceronis ipsius sententiae, infirmam, inanem, & plane falsam coniecturam, audeat opponere. Alius meus liber, Non ignobilis. VT *Themistocles fertur* ⁊ Sunt, qui, hoc non sat bonum loquendi genus esse, iureiurando affirment. quos refellunt ipsa exempla. nam de nat. de. lib. III. de Solibus loquens: Quartus, ait, quem heroicrs temporibus Achanto Rhodi peperisse dicitur, auum Ialysi, Camiri, & Lindi. quinctus, qui Colchis fertur Axeram, & Circen procreauisse. In Laelio quoque: Quod Tarquinius dixisse fertur. sic enim emendo, ex auctoritate quattuor meorum librorum. NEC *insipienti, etiam in s. &c.* ⁊ Nec quidem insipienti, & in s. tres. AFFERVNT *fructus*; ⁊ sic quattuor. Efferunt, quattuordecim. Efferent, unus. Efficiunt, unus. Effecerunt, unus. In Verrem: Id perdere aratorem, quod agri, segetesq. extulissent. De Clar. or. Ager, qui multos annos quieuisset, uberiores efferre fructus soler. *Mirificos efferunt fructus*: de quibus uidendus Isocrates in prooemio Paraeneseos. NON *solum, quia numquam deserunt*, ⁊ aduerbium, Numquam, est in meis antiquis libris: & recte. quod obseruatione Latini sermonis facile perspexi. Aut enim dicebant ueteres, exempli gratia, Non amat ne propinquos quidem suos; sequentibus, post uerbum, Amat, Ne quidem. Aut: Ne propinquos quidem suos amat; sequente uerbo Amat, post Ne quidem. similiter hoc in loco usitate, & proprie duobus modis loqui Cicero potuit, uel, ut locutus est, Non solũ quia numquam deserunt, ne extremo quidem tempore aetatis, uel, Non solum quia ne in extremo quidem tempore aetatis, uel, Non solum quia ne in extremo quidem tempore aetatis deserunt. Nec tamẽ, sublato Numquam, sententia mutaretur. Hoc in loco mirari equidem non satis possum, elegantis ingenij uiros, beneq. de litteris meritos, quibusdam scriptis libris adductos, a quibus abest Numquam, quod tamen, ut dixi, est in omnibus meis, parum, ut uidetur, obseruato Latinae linguae usu, pariter in mutatione consensisse. Recte ne, an secus, alij quoque iudicent. ego meam sententiam ostendi; &, ut arbitror, satis probaui. nec mihi tamẽ tantum assumo, ut eruditis hominibus iudicandi facultatem ereptam uelim. CONSCIENTIA *bene actae uitae, multorumq. bene factorum recordatio iucundissima est.* ⁊ Aristoteles quoque Rhet. lib. II. in iucundis numerat. Conscientia, mille testes, in adagio. Et Satyricus:

--prima est haec ultio, quod se
Iudice nemo nocens absoluitur.

BENEFACTORVM: *Ennius:*

Benefacta male locata, malefacta arbitror.

EGO Q. *Maximum*, ⁊ Ego quidem Q. Maximum, tres. Ego quidem Maximum, unus. EVM *qui tarentum recepit* ⁊ Calabriae metropolin. Strabo lib. VI. Pomponius Mela lib. II. Plin. lib. III. cap. II. Bello Punico II. ad Hannibalem defecit. praesidium tamen Romanorum, cuius erat dux Liuius Salinator, in arcem se recepit. Q. Fabius Maximus eam recuperauit, militibusq. diripiendã tradidit. Liuius lib. XXVII. Silius lib. XV. Plut. in Fabio Max. scriptor de uiris ill. Aug. de ciu. D. lib. I. cap. 6. SENEM *adolescens* ⁊ aetatis inaequalitas amicitiae nostrae nihil incommodauit. ERAT *in illo uiro comitate condita grauitas*: ⁊ sic Fam. lib. XII. ep. 27. Est ita temperatis, moderatisq. moribus, ut summa seueritas cum humanitate iungatur. Eadem laus Attico tribuitur: Eius comitatem non sine seueritate fuisse, neque grauitatem sine facilitate. ut difficile esset intellectu, utrum eum amici magis uererentur, an amarent. Et Isocrates ad Nicodem. ANNO

enim

enim post, quam consul primum fuerat, ego natus sum: § in librorum uarietate, omnes tamen fere consentiunt, ita legentes: Anno enim post consul primum fuerat, quam ego natus sum. Reliqua cum impressa nostra lectione. AD *Capuam*: contra Grammaticos. QVEM *magistratum gessi consulibus Tuditano, & Cethego,* § secutus sum eorum sententiam, qui Catonis quaesturam, non praeturam, hic significari putant. nam, si praetor fuisset hic consulibus: non tam longe distaret a praetura consulatus eius, quem gessit annis nouem post hos consules, ut Fasti Capitolini declarant. talis enim uiri perspectae uirtuti tam sero tributum esse consulatum, cui uerisimile uideretur? gessit igitur quaesturam iis consulibus, non Romae, sed in Africa. nam cum P. Scipione, non consule, sed proconsule in Africa profectum esse, docet historia. LEGIS *Cinciae de donis & muneribus* § Tacitus legem Titiam mendose nominat, qua antiquitus cauetur, ne quis ob caussam orandam pecuniam, donum ue accipiat. Vide Liuium lib. xxxiv. Festum, Cic. 1. de or. & 1. ad Att. VT *adolescens*, § alacritate animi, non temeritate iuuenili. HANNIBALEM, *iuueniliter exsultantem, patientia sua molliebat:* § qui pro Molliebat, Moliebatur reponunt, pulcherrimum uerbum e suo loco sine caussa extrudunt: qui retinent, iis habenda gratia est. cum & sententia, & ueteres libri, & auctoritas Nonij eodem concurrant. Quod autem iidem illi, qui mutant, uerbum Mollire alienum esse putant a sententia, mihi contra uidetur: quia aptius nihil existimo: at, Moliebatur, minime hunc in locum conuenire. cum ad alia, sed dissimilia, proprie, & eleganter usurpetur. Est autem, Mollire, pro, Efficere, ut minus exsultaret, qui superioribus uictoriis, ducumq. Romanorum insscitia, exsultare solitus erat. Quis autem ignorat, molles qui sunt, modestius agere, nec temere exsultare solitos esse? Ergo Fabius patientia sua, quia locum committendi proelij acerrimo duci Hannibali, pugnandi cupido, numquam dabat, reprimebat eum, nec sinebat, ut antea, iuuenili liter exsultare, sed molliorem, quietioremq. reddebat, quia sibi cum sapientissimo duce, nihil per imprudentiam, temeritatem ue peccãte, quibus antea uitiis res Romana laborauerat, negotium esse intelligeret. Secus autem fecit, quam Cleombrotus, & Callicratidas, qui cum patriae pernicie succubuerant. CVNCTANDO § Inde Cunctatoris cognomen adeptus. Liuius, Plutarchus, Polybius lib. III. Florus lib. II. cap. 6. Prima, inquit, redeuntis, sed (ut sic dixerim) reuiuiscentis imperij spes Fabius fuit, qui nouam de Hannibale uictoriam commẽtus est, non uelle pugnare. hinc illi cognomen nouum, & reip. salutare, Cunctator. hinc illud lex populo, ut Imperij scutum uocaretur. NON *ponebat enim &c.* § propter conuicium stulti populi, & magistri equitum Q. Minucij obtrectationes, & iniurias, non discedebat a ratione cõsiliorum suorũ, ERGO *postq. magisq.* § sic legitur lib. 1. Off. sic est & in undecim meis. Vnus, Ergo post magisq. Duo, Ergo postq. magis. Vnus, Ergo magisq. magisq. Duo, Ergo magis magisq. Vnus, Ergo magis atque magis Vnus, Ergo prius, magisq. Vnus, Ergo primo magisq. Vnus. Ergo magisq. Ex Ennij XII. Annali. Macrobius. Quem Virgilius est imitatus:

Vnus qui nobis cunctando restituit rem.

Vide & Liuium lib. xxx.

SALINATORI, § C. Liuio Salinatori, arcis Tarentinae praefecto, ut ait Polybius lib. IIX. nam M. Liuius Salinator, gesto ante multos annos consulatu, Tarentum priuatus profectus non esset. ut omittam, quod Tarenti, quo anno amissum est, non uidetur esse potuisse. exsulabat enim, populi iudicio damnatus ex consulatu: nec, nisi anno ante, quam Tarentum a M. Fabio V. consule receptum est, in urbem rediit, opera, & beneficio consulum Marcelli, & Laeuini. At Cicero Salinatorem uocat. Quid tum? num ideo sequitur, ut sit M. Liuius Salinator? quasi uero, praeter M. Liuiũ, non potuerint alij Salinatores esse: cum supra quoque C. Salinatoris mentio facta sit. cuius praenomine adducor, ut eundem suspicer esse, quem hic Cicero nominat: siquidem & Polybius Caium appellat eum, qui acri Tarentinae praefuit. T. Liuius M. Liuium nominat. facit cum Cicerone Plutarchus. CERTE, *inquit, ridens:* § sic de Diu. II. Vrbem philosophiae proditis, dum castella defenditis. Hoc autem dicit, ut Salinatorem accuset, qui magno alieno labore partam gloriã uerbis in se transmouet. Cic. de Orat. II. de Iocis, & Liuius lib. XXVII. NEC *uero in armis praestantior, quam in toga;* § parua quippe arma foris, ubi non est consilium domi. hinc, Cedant arma togae, &c. Ad Att. IV. Ergo erimus ὁπλῖαι, qui togati esse nolumus. Homerus:

Ἀμφότερον βασιλεῦς τ' ἀγαθὸς τ' αἰχμητής.

Rex bonus, & duris bellator fortis in armis. Et:

Μύθων τε ῥητῆρ' ἐμεναι, πρηκτῆρα τε ἔργων.

Vt idem & eloquentia, & rebus gerendis excellat.

CARVILIO § testatum uolo, in septem legi, Cornelio; in uno, Canuleio; in uno, Garulio; in uno, Caluinio. C. FLAMINIO § qui consul ad Thrasimenum in proelio caesus est. QVOAD *potuit*, § nequidquam id quidem conatus. Polybius lib. 2. De hoc bello Cic. in Bruto. PICENVM, § Picentem, unus meus. & ita etiam legit recitans hunc locum Carisius lib. II. CONTRA *senatus auctoritatem* § inuito, & refragante senatu. Polybius lib. IIX. ait, ab eo latam esse legem inuito senatu. hic Cicero, resistente Fabio, latam non esse ostendit. OPTIMIS *auspicijs ea geri, quae pro reip. salute gererentur;* § Homerus ι. λ. μ.

Εἰς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης.

Augures Graecis οἰωνοπόλους uocari posse, scribit Dionysius lib. 2. Vide Platonem in Phaedro. Plut. in Marcello: Οἱ δὲ αὔγουρα ἀπέδειξαν, τοῦτο δ' ἐστὶν ἱεροσύνης εἶδος, ᾧ μάλιστα τὴν ἀπ' οἰωνῶν μαντικὴν ἐπιβλέπειν καὶ παραφυλάττειν νόμος δέδωκεν. QVAE *contra remp. fierent, contra auspicia fieri.* § Ferrentur, & Ferri, omnes libri mei, licet quidam aliqua ex parte mendose: uno tantum excepto, qui facit cum impressa lectione. QVO *modo* § quanta animi constantia, & moderatione. Durior autem constructio est haec, Nihil admirabilius, quam quo modo; quaeq. longe absit a Grammaticorum regulis. LAVDATIO: § laudauit enim ipsemet

filium

filium in funere. Plutarchus. Et ipse Cicero librum scripsit de Consolatione ad se ipsum, in morte filiae. IN *luce* ⁊ in publico. IN *oculis ciuium* ⁊ in conspectu ciuium. INTVS, ⁊ apud animum suum Graece, καθ' ἑαυτὸν. Persius, Intus, & in cute. Contra illud,

Astutam uapido gestasse in pectore uulpem.

QVAE *scientia iuris augurij*? ⁊ sic malo, consentientibus octo meis libris, quam ut est in sex, Iuris, & augurij. quod uiri docti probarunt; distinguentes, Iuris, augurij. ut in Fabio fuerit & iuris ciuilis, & augurandi scientia. Quod probare non possum. Nam, si ius ciuile Cato ei tribueret, certe litteras tribueret, quibus ipsum ius continetur. Ac de litteris postea loquitur. Itaque malo, Iuris augurij, pro, Iuris augurandi. Et fortasse, cum scriptum esset in antiquis libris Aug. quod significare potuit, Augurales, produxere imperiti librarij, & fecerunt, Augurij. Quod ideo dictum uolui, ne quis in dubium uocaret, quasi duriuscule dictum, Iuris augurij. τὸ Augurij deest in uno. Augurandi, in uno. Vnus, Quanta notitia antiquitatis, & augurum, & quanta scientia iuris? Duo, Q. n. a, & augurij, quanta scientia iuris? Vnus, Quae scientia iuris, & augurum? VT *in homine Romano*, ⁊ litterarum enim laudem Romani Graeciae concedebant, militarem sibi assumebant.

Quippe magis norat, quam sidera, Romulus arma.

DOMESTICA ⁊ gesta a Romanis. EXTERNA ⁊ exterarum nationum, Graecorum, Persarum, Assyriorum. QVASI *diuinaremid*, *&c.* ⁊ Ouidius:

Augurium ratio est, & coniectura futuri:
Hac diuinaui, notitiamq. tuli.

Plautus in hanc sententiam:

Tum demum homines nostra intelligimus bona,
Cum ea, quae in potestate habuimus, amisimus.

Horatius:

-- Virtutem incolumem odimus:
Sublatam ex oculis quaerimus inuidi.

Graecus Poeta, apud Sudam:

Ζωὸν ἀτιμήσαντες, ἀποθλίμενον ποθέουσι,
Καὶ πόθ' ὑπὲρ τύμβοιο χ' ἁπνοῦ εἰδώλοιο
Ἀσεα νεῖκος ἔπλαθεν, ἔριν δ' ἐσήσατο λαός.

Quo fortasse respexit Virgilius, de Palamede loquens:

--quem falsa sub proditione Pelasgi
Insontem, infando iudicio, quia bella uetabat,
Demisere neci: nunc cassum lumine lugent.

VNDE ⁊ a quo. SCIPIONES, ⁊ maiorem Africanum significat. LENIS *senectus*: ⁊ Leuis, quattuor libri. & Graece. Duo alij, Leuis, & placida senectus. PLATONIS; ⁊ idem tradit D. Hieronymus de uita clericorum, & Lucianus in Macrobijs. Laertius uarias sententias adducit, alteram Hermippi, quae cum Cicerone facit; alteram Neanthis, qui XXCIV. annos natum defecisse scribit. Scribit idē Laertius, Magos diuinitatis quandam opinionem e septenario toties multiplicato de Platone concepisse. EST MORTVVS ⁊ non immoratus est studijs, sed immortuus. ISOCRATIS; ⁊ legendus Pantathenaicus, & oratio περὶ ἀντιδόσεως. Philostratus, Plutarchus, Halicarnasaeus. D. Hier. ad Nepotianum. VIXIT Q. *quinquennium postea*: ⁊ dura constructio. sed nec ferri potest. Sunt, qui mutant, Vixisse quinquennium postea: contra ueteres omnes libros. Quinquennio, unus. LEONTINVS *Gorgias* ⁊ Sudas de Gorgia, ἐβίω ρθ' ἔτη. Quinct. lib. III. cap. I. & lib. XII. cap. XI. Lucianus in Macrobijs, Plin. lib. VII. cap. 48. Aelianus uar. hist. Val. Max. lib. IIX. cap. 13. 2. CENTVM *& septem* ⁊ Sic & Valerius. Lucianus, & Plinius, Centum & octo; Apollodorus apud Laertium in uita Empedoclis, & Quinctilianus, Centum & nouem. PRAECLARVM *responsum*, ⁊ uide alia eiusdem responsa, eadem de re, apud Athenaeum lib. XII. cap. 26. VICIT *Olympia*, ⁊ Synecdoche Attica. Pugnare pugnam, Certare certamen. CAEPIONE, *& Philippo iterum cos.* ⁊ COS. consule. ut ad Philippum referatur. Vide Fastos. Consule, distincte, est in septem meis. LEGEM VOCONIAM ⁊ de mulierum hereditatibus. D. Aug. de ciu. D. lib. III. cap. 21. Agell. lib. XVII. cap. 6. & lib. XX. cap. 1. MAGNA *uoce*, *& bonis lateribus* ⁊ de Catonis ualidis suprema aetate lateribus uide Val. lib. IIX. cap. de studio, & industria: Cato sextum & octogesimum annum agens, dum in rep. tuenda iuuenili animo perstat, neque aut memoriam eius quisquam tardiorem, aut firmitatem lateris, ulla ex parte quassatam, aut os haesitatione impeditum animaduertit. Sic Phil. II. Tu istis faucibus, istis lateribus, ista gladiatoria totius corporis firmitate. CVM *complector animo*, ⁊ sic omnes mei. Sunt, qui legant, Quantum compl. an. CORPVS *faciat infirmum*; ⁊ Infirmius, decem mei. QVANTVM *quaeque ualeat*, *quamq. sit iusta*, *uideamus*. ⁊ Quanta, quamq. iusta sit unaquaeque, uideamus, quattuordecim. Quanta, & quam iusta sit unaquaeque, uideamus, duo. Reliqui mendosi.

Landesbibliothek Oldenburg

CICERO

ARebvs gerendis senectus abstrahit: quibus? an iis, quae iuuentute geruntur, & uiribus? nullae ne igitur res sunt seniles, quae uel infirmis corporibus, animo tamen administrentur? nihil ergo agebat Q. Maximus? nihil L. Paullus, pater tuus, Scipio, socer optimi uiri, filij mei? ceteri senes, Fabricij, Curij, Coruncanij, cum remp. consilio, & auctoritate defendebant, nihil agebant? ad Ap. Claudij senectutem accedebat etiam, ut caecus esset: tamen, cum sententia senatus inclinaret ad pacem cum Pyrrho, foedusq. faciendum, non dubitauit illa dicere, quae uersibus persecutus est Ennius:

„ Quo uobis mentes, rectae quae stare solebant
„ Antehac, dementi sese flexere ruina?

ceteraq. grauissime. notum enim uobis carmen est: & tamen ipsius Appij exstat oratio. atque haec ille egit septem & decem annis post alterum consulatum; cum inter duos consulatus anni decem interfluxissent, censorq. ante superiorem consulatum fuisset. ex quo intelligitur, Pyrrhi bello grandem sane fuisse: & tamen sic a patribus accepimus. Nihil igitur afferunt, qui in re gerenda uersari senectutem negant: similesq. sunt, ut si quis gubernatorem in nauigando nihil agere dicat, cum alij malos scandant, alij per foros cursent, alij sentinam exhauriant; ille autem, clauum tenens, quietus sedeat in puppi. Non facit ea, quae iuuenes. At uero multo maiora, & meliora facit. non enim uiribus, aut uelocitatibus, aut celeritate corporis, res magnae geruntur, sed consilio, auctoritate, sententia: quibus non modo non orbari, sed etiam augeri, senectus solet. nisi forte ego uobis, qui & miles, & tribunus, & legatus, & consul uersatus sum in uario genere bellorum, cessare nunc uideor, cum bella non gero: at senatui, quae sunt gerenda, praescribo; & Carthagini, male iam diu cogitanti, bellum multo ante denuncio. de qua uereri non ante desinam, quam, illam excisam esse, cognouero. quam palmam utinam dij immortales, Scipio, tibi reseruent, ut aui reliquias persequare: cuius a morte sextus hic & trigesimus annus est: sed memoriam illius uiri omnes excipient anni consequentes. anno ante me censorem mortuus est, nouem annis post meum consulatum, cum consul iterum, me consule, creatus esset. num igitur, si ad centesimum annum uixisset, senectutis eum suae paeniteret? nec enim excursione, nec saltu, nec eminus hastis, aut comminus gladijs uteretur, sed consilio, ratione, sententia. quae nisi essent in senibus, non summum consilium maiores nostri appellassent Senatum. Apud Lacedaemonios quidem ij, qui amplissimum magistratum gerunt, ut sunt, sic etiam nominantur senes. Quod si legere, aut audire uoletis externa; maximas resp. ab adolescentibus labefactatas, a senibus sustentatas reperietis.

„ Cedo, qui uestram remp. tantam amisistis tam cito?

sic enim percunctanti, ut est in Naeuij Ludo, respondentur & alia, & haec in primis:

„ Proueniebant oratores noui, stulti, adolescentuli.

temeritas est uidelicet florentis aetatis, prudentia senectutis. At memoria minuitur: credo, nisi eam exerceas; aut etiam, si sis natura tardior. Themistocles omnium ciuium perceperat nomina: num igitur censetis eum, cum aetate processisset, qui Aristides esset, Lysimachum salutare solitum? equidem non modo eos, qui sunt, noui, sed eorum patres etiam, & auos; nec, sepulcra legens, uereor, (quod aiunt) ne memoriam perdam. bis enim ipsis legendis, in memoriam redeo mortuorum. Nec uero quemquam senum audiui oblitum, quo loco thesaurum obruisset. omnia, quae curant, meminerunt, uadimonia constituta, qui sibi, cui ipsi debeant. Quid iurisconsulti, quid pontifices, quid augures, quid philosophi senes? quam multa meminerunt? manent ingenia senibus, modo permaneat studium, & industria; nec ea solum in claris, & honoratis uiris, sed in uita etiam priuata, & quieta. Sophocles ad summam senectutem tragoedias fecit. qui, propter studium cum rem familiarem negligere uideretur, a filijs in iudicium uocatus est, ut, quemadmodum nostro more male rem gerentibus patribus bonis interdici solet; sic illum, quasi desipientem, a re familiari remouerent iudices. tum senex dicitur eam fabulam, quam in manibus habebat, & proxime scripserat, Oedipum Coloneum recitasse iudicibus, quaesisseque, num illud carmen desipientis uideretur. quo recitato, sententijs iudicium est liberatus. num igitur hunc, num Hesiodum, Simonidem, Stesichorum, num, quos ante dixi, Isocratem, Gorgiam, num Homerum, num philosophorum principes, Pythagoram, Democritum, num Platonem, num Xenocratem, num postea Zenonem, Cleanthem, aut eum, quem uos etiam Romae uidistis, Diogenem Stoicum coegit in suis studijs obmutescere senectus? an non in omnibus his studiorum agitatio uitae aequalis fuit? Age, ista diuina studia omittamus. possum nominare ex agro Sabino rusticos Romanos, uicinos, & familiares meos, quibus absentibus numquam fere ulla in agro maiora opera fiunt, non serendis, non percipiendis fructibus, non condendis. quamquam in his minus hoc mirum. nemo enim est tam senex, qui se annum non putet posse uiuere. sed idem in iis elaborant, quae sciunt nihil omnino ad se pertinere:

„ Serunt arbores, quae alteri saeculo prosint,

ut ait Statius noster in Synephebis. nec uero dubitat agricola, quamuis senex, quaerenti, cui serat, respondere; dijs immortalibus, qui me non accipere modo haec a maioribus uoluerunt, sed etiam posteris prodere. Melius Caecilius de sene, alteri saeculo prospiciente, quam illud;

„ Aepol, senectus, si nil quidquam aliud uitij
„ Apportes tecum, cum aduenis; unum id sat est:
„ Diu quis uiuendo, multa, quae non uolt, uidet:

& multa fortasse, quae uolt: atque in ea, quae non uolt, saepe etiam adolescentia incurrit. Illud uero idem Caecilius uitiosius:

„ Tum etiam in senecta hoc deputo miserrimum;
„ Sentire ea aetate esse odiosum se alteri.

iucundum potius, quam odiosum. ut enim adolescentibus, bona indole praeditis, sapientes senes delectantur; leuiorq. est senectus eorum, qui a iuuentute coluntur, & diliguntur: sic adolescentes senum praeceptis gaudent, quibus ad uirtutum studia ducuntur. nec minus intelligo me uobis, quam uos mihi, esse iucundos. sed uidetis, ut senectus non modo languida, atque iners non sit, uerum etiam sit operosa, semper agens aliquid, & moliens, tale scilicet, quale cuiusque studium in superiore uita fuit. Quid, quod etiam addiscunt aliquid? ut Solonem uersibus gloriantem uidemus; qui se, quotidie aliquid addiscentem, senem fieri, dicit: ut ego feci, qui Graecas litteras senex

didici:

didici: quas quidem sic auide arripui, quasi diuturnam sitim expleve cupiens; ut ea ipsa mihi nota essent, quibus me nunc exemplis uti uidetis. quod cum feciſſe Socratem in fidibus audirem: uellem equidem & illud: (discebant enim fidibus antiqui) sed in litteris certe elaboraui.

EXPLANATIO

QVAE *iuuentute geruntur*, § sic nouem mei. Quae in iuuentute geruntur, nouem. Quae a iuu. ger. unus. Quae iuu. & uiribus ger. unus. Quae ger. iuu. unus. ANIMO *tamen adminiſtrentur?* § Tantum, legendum aliquando putaui. & mecum facit antiquus meus liber. alius, mendoſe, Animo tamen, ac tantum adminiſtrentur. SOCER *optimi uiri, filij mei?* § ideo laudat, quia perierat iam. infra quoque probitatem eius commendat. το῀, Viri, abeſt a duobus. AVCTORITATE § conſilio graui, & prudenti. DEMENTI *ſeſe flexere ruina?* § Dementem ruinam quoque dixit Horatius in Odis. Pro Ruina, Via, habent tredecim mei. ET *tamen* § Et tum, tres mei. HAEC *ille egit* § Hoc, duo. Geſsit, duo. ANNI *decem* § quod lex tum quidem nulla iubebat, ut exempla declarant, ſed poſtea iuſsit lata a L. Sulla. INTERFLVXISSENT, § Interfuiſſent, decem octo. ET *tamen ſic a patribus accepimus.* § Tamen, non eſt in uetere. Parentibus, in uno. NIHIL *afferunt*, § nugas agunt, nulla firma ratione utuntur, ab ipſa experientia coarguuntur. SI *quis* § Qui, ſexdecim, Qui autem, pro Quis, dictum eſt. Vt alibi. In quo mendum peperit ignoratio, uel negligentia potius: ut infra reponeretur, Dicant, pro Dicat. Quaſi numero multitudinis Qui poſitum ſit. quod hic quidem ſingulare eſt. CVRSENT, § Curſitent, duo. AVT *uelocitatibus*, § ſuſpicabatur pater hoc abundare; cum ſequatur proxime, Aut celeritate. AVT *celeritate corporis*, § Corporum, ſexdecim. VERSATVS *ſum* § praeſertim in Hiſpania. Liuius, Plut. alij. AVI § qui tributariam, Hannibale uicto, Carthaginem fecerat. SEXTVS *hic & trigeſimus annus eſt:* § Tertius, ueteres omnes libri. SENTENTIA. § in ſenatu. concio uero ad populum. SVMMVM *conſilium* § de Diu. lib. I. AVT *audire* § ſic decem ſeptem. recte. Vel audire, tres. Et audire, unus, & alias. EXTERNA; § exempla. LABEFACTATAS, § Labefactas, quattuordecim. PERCVNCTANTI, § Percunctantur, decemocto. NAEVII *Ludo*, § Naeuij poetae Ludo, duodecim. Naeuij poſteriori libro, quattuor. Ennij, tres. Ennij poſteriori libro, unus. Libro Naeuij poetae, unus. Citatur a Feſto in Redhoſtire Naeuij Lupus. Agellius, & Cariſius citant libros Ἐρωτοπαιγνίων. Marſus edidit olim, In Naeuij Praecone poſteriore. PROVENIEBANT § Praeueniebant, unus. Veniebant, unus. Sunt, qui legant, Prouehebantur ad res noui &c. NOVI, *ſtulti*, § ord. praep. unus. NOVI, § rerum imperiti: ſiue, nouandarum rerum cupidi. TEMERITAS *eſt florentis aetatis, prudentia ſenectutis.* § Ariſtot. Polit. lib. VII. Ἡ μὲν δύναμις ἐν νεωτέροις, ἡ δὲ φρόνησις ἐν πρεσβυτέροις ἐσί. PRVDENTIA *ſenectutis*: Seneſcentis, ſex mei libri. & ſane eleganter opponitur τῶ Florentis. THEMISTOCLES § cui cum Simonides artem memoriae polliceretur, ſe artem obliuionis malle dixit, quod meminiſſet eorum, quae nollet; obliuiſci non poſſet, quae uellet. De eius memoria uide Cic. de Orat. II. Quinctil. lib. XI. Val. l. IIX. cap. de ſtudio, & induſtria. SED *eorum patres etiam*, § το῀, Etiam, abeſt a ſeptem meis. ET *auos*; § το῀, Et, abeſt a duobus. *Auos*: Proauos, unus. MEMORIAM *perdam*. § legendis enim multorum nominibus, perturbatur, & confunditur memoria; quod ſequentibus uerbis declaratur. *A filijs* § Lucianus in Macrobijs Iophantem nominat, eumq. lege talionis inſaniae iudices damnaſſe ſcribit. MALE *rem gerentibus patribus bonis interdici ſolet*, § deleui uerbum, Patribus, quia non patribus tantum, ſed omnibus, uel ſi liberos non haberent, bonis interdici ſolet. & in uno meo uetere libro in ordine uerborum non eſt Patribus, ſed additum in margine; a tribus prorſus abeſt. Quod autem, Patrijs bonis, alij legunt, id repellit ratio. Nam, ſi poſt obitum patris male rem gerit filius, ſuis ei bonis, non iam patrijs, interdicitur: praeterea, ſiquis hereditatem accepit a patruo, ab alijs propinquis, ab amico aliquo; aut ſi ipſe, mercaturis faciendis, induſtriaq. ſua, dites factus eſt, poſteaq. male rem gerit, num ei patrijs bonis interdicitur? Bonis quidem, non tamen patrijs. OEDIPVM *Coloneum* § qua ſola fabula omnium eiuſdem ſtudij poetarum praeripere gloriam potuit. Valerius. NVM *illud carmen deſipientis uideretur*. § Satyrus, ut eſt apud Ariſtophanis interpretem, Sophoclis apologiam huiuſmodi fuiſſe prodit, Εἰ μὲν εἰμὶ Σοφοκλῆς, οὐ παραφρονῶ, εἰ δὲ παραφρονῶ, Σοφοκλῆς οὐκ εἰμί. SENTENTIIS *iudicum* § Plutarchus: Θαυμασοῦ δὲ τοῦ μέλους φανέντος προεπέμφθι μετὰ κρότου καὶ ῥοῆς τῶν παρόντων. EST *liberatus*. § tantum ſapientiae in aetate iam fracta ſpecimen dedit, ut ſeueritatem tribunalium in theatri fauorem uerteret. D. Hieronymus. NVM *igitur hunc, num Heſiodum* § Num igitur hunc Homerum, num Heſiodum, ſex. & rectius coniungitur Homerus cum poetis, quam infra ponitur. Dicitur autem Homerus annum CIIX. attigiſſe. HESIODVM, § inde, Heſiodi ſenecta. SIMONIDEM, § Simonides Poeta octogeſimo anno & docuiſſe ſe carmina, & in eorum certamen deſcendiſſe, ipſe gloriatur. Valerius lib. IIX. Vixit autem Luciano, ſupra nonaginta. STESICHORVM, § octuagintaquinque annis uixit, quot Anacreon, Lucianus. Hi autem grandes natu cygnaeum neſcio quid, & ſolito dulcius uicina morte cecinerunt. Hieronymus ad Nepotianum. PYTHAGORAM, § obijt anno octuageſimo; uel, ut alij, nonageſimo. Laertius. Lact. lib. III. cap. 2. Aug. de ciu. D. lib. IIX. cap. 2. Cic. Tuſc. v. DEMOCRITVM, § hic, centum & quattuor annos natus, cum alimento abſtineret, mortuus eſt. Lucianus. XENOCRATEM, § octogenario maior obijt. Laertius. Male antea, Socratem. ZENONEM, § octo & nonaginta. Lucianus, & Laertius. CLEANTHEM, § nouem & nonaginta. Valerius, & Lucianus. Hic, cum decreuiſſet inedia

Landesbibliothek Oldenburg

uitam absumere, acceptis ab amicis litteris, cibum sumpsit; &, amicorum negotijs absolutis, denuo cibo abstinuit, & obijt. DIOGENEM § octuaginta octo. Lucianus. AN *non in omnibus his* § sic sex. reliqui non habent ℘ Non. RVSTICOS *Romanos*, § sic est in omnibus meis. Sic in epistola Ciceronis filij ad Tironem: Rusticus Romanus factus es, Fam. lib. XVI. ep. 21. Et Varro Περὶ τοῦ διδασκάλω, apud Nonium, in Nundinae: Quoties priscus homo, ac rusticus Romanus, internundinum barbam radebat. VICINOS, § infra: Conuiuium uicinorum quotidie compleo. QVAMQVAM *in his minus hoc mirum*. § omnes libri, Alijs, pro His. Vnus, His alijs. Minus, inquit, habet admirationis, quod in alijs omnibus rebus, quae ad ipsos pertinent, curam ponunt; in hoc uero, quod senex serit arbores, quae alteri saeculo prosint, id multo magis mirandum uidetur. NEMO *est tam senex, qui se annum non putet posse uiuere*. § φιλοζώους, idest, uitae prorogandae studiosos, esse senes, ait Aristoteles Rhet. lib. II. SERIT *arbores*, § sic undecim. reliqui, Serunt, ut antea. Loquitur de sene alteri saeculo prospiciente. ut infra. Tusc. I. Serit arbores, quae alteri saeculo prosint, ut ait Statius in Synephebis, quid spectans, nisi etiam posteram saecula ad se pertinere? QVI *me non accipere modo haec a maioribus nostris uoluerunt, &c.* § Isocrates Panegyrico: Οτοι τὸν βίον οἱ πρῶτοι φανέντες ἐπὶ γῆς οὐκ ἐυθὺς οὕτως ὥσπερ νῦν ἔχοντα κατέλαβον, ἀλλὰ κατὰ μικρὸν ἑαυτοῖς συνεπορίσαντο. SED *etiam posteris prodere*. § propagare ad posteros. impium quippe illud:

Εμοῦ θανόντος, γαῖα μιχθήτω πυρί.

CAECILIVS § Plotio. uide Nonium in, Aduenire. AEPOL, § pro, Aedepol. ut stet uersus. senarij enim sunt. APPORTES *tecum*, § sic omnes, duobus exceptis, in quibus, Apportas. unus, Apportet secum. ADVENIS; § Aduéneris, quinque. Aduenit, unus. VNVM *id* § ord. praep. quinque. SAT § Satis, nouem. Vnum satis est, unus. DIV *quis uiuendo*, § Quod diu uiuendo, sexdecim. Euripides:

Ο βίος ἀληθῶς οὐ βίος, ἀλλὰ ξυμφορά. CAECILIVS § Ephaestione. uide eúdem Nonium in Seniũ.

TVM *etiam* § Tum equidem, in tredecim. Vnus, Tum quidem. Iam equidem, quinque. Iamq. equidem, unus. ESSE *odiosum se alteri*. § Esse se odiosum alteri, in tribus. Se esse odiosum alteri, tres. Eum odiosum esse ipsum alteri, unus. Esse odiosum alteri, quinque. Odiosum se esse alteri, quattuor. Se odiosum esse alteri, tres. LEVIORQ. *est eorum senectus*, § Leuiorq. fit senectus eorum, quattuor. Leuiorq. est sen. eorum, quattuordecim. Leuiorq. est senectus senum, unus. Leuiorq. fit senectus senum, unus. COLVNTVR, § propter uirtutem, & dignitatem, atque etiam aetatis reuerentiam. DILIGVNTVR: § propter facilitatem, & morum suauitatem. Haec duo uerba coniunxit & infra, & in Laelio. OPEROSA, *semper agens aliquid*, § Operosa, & semper agens aliquid, Nonius, in, Moliri, & oēs libri mei. QVID, *quod etiam addiscunt aliquid*? § Quid, qui etiam &c. tredecim. reliqui mendosi. SOLONEM *uersibus gloriantem uidemus*; § infra: Vt honestum illud Solonis fit, quod ait uersiculo quodam, senescere se multa in dies discentem. Valerius, Lucianus ait C annis uixisse. Plato in Amatoribus, in Lachete, & VII. de Rep. Exstat & Senecae epistola in hunc sensum lib. X. ep. 77. De Solonis poesi Plato in Timaeo. Solonis uersus est:

Γηράσκω δ' ἀεὶ πολλὰ διδασκόμενος.

GRAECAS *litteras senex didici*: § Ennio poeta docente, quem secum in prouinciam duxit. Quinct. lib. XII. cap. XI. Valerius lib. IIX. cap. de studio, & industria, Hieronymus ad Nepotianum. Athenis Graece orauit. Plutarchus. SOCRATEM § Valerius lib. IIX. Quinct. lib. I. cap. de Musica, lyra institutum refert. Eius praeceptor Conus uocatus est. Cic. Fam. lib. IX. DISCEBANT *enim fidibus antiqui* § Discebant enim in fidibus antiqui, septem. Totum hoc, sunt, qui delendum censeant.

CICERO

NEC *nunc quidem uires desidero adolescentis, (sis enim locus erat alter de uitijs senectutis) non plus, quam adolescens tauri, aut elephanti desiderabam. quod est, eo uti decet, &, quidquid agas, agere pro uiribus. quae enim uox potest esse cõtemptior, quam Milonis Crotoniatae? qui, cum iã senex athletas, se in curriculo exercentes, uideret, adspexisse lacertos suos dicitur, illacrymansq. dixisse:*

At hi quidem mortui iam sunt:

Non uero tam isti, quam tu ipse, nugator. neque enim ex te unquam es nobilitatus, sed ex lateribus, & lacertis tuis. nihil Sex. Aelius tale, nihil multis annis ante Ti. Coruncanius, nihil modo P. Crassus: a quibus iura ciuibus praescribebantur: quorum usque ad extremum spiritum est prouecta prudentia. orator, metuo, ne languescat senectute. est enim munus eius non ingeny solum, sed laterum etiam, & uirium. omnino canorum illud in uoce splendescit etiam nescio quo pacto in senectute: quod equidem adhuc non amisi: & uidetis annos meos: sed tamen est decorus senis sermo quietus, & remissus; facitq. persaepe ipsa sibi audientiam diserti senis compta, & mitis oratio. quod si ipse exsequi nequeas, possis tamen Scipioni praecipere, & Laelio. quid enim iucundius senectute, stipata studijs iuuentutis? an ne eas quidem uires senectuti relinquemus, ut adolescentes doceat, instituat, ad omne officij munus instruat? quo quidem opere quid potest esse praeclarius? mihi uero Cn. & P. Scipiones, & aui tui duo, L. Aemilius, & P. Africanus, comitatu nobilium iuuenum, fortunati uidebantur. nec ulli bonarum artium magistri non boni putandi, quamuis consenuerint uires, atque defecerint. etsi ista ipsa defectio uirium, adolescentiae uitijs efficitur saepius, quam senectutis. libidinosa enim, & intemperans adolescentia effetum corpus tradit senectuti. Cyrus quidem apud Xenophontem eo

sermone,

sermone, quem moriens habuit, cum admodum senex esset, negat, se unquam sensisse senectutem suam imbecilliorem factam, quam adolescentia fuisset. Ego L. Metellum memini puer, qui, cum quadriennio post alterum consulatum pontifex maximus factus esset, uiginti & duos annos ei sacerdotio praefuit, ita bonis esse uiribus extremo tempore aetatis, ut adolescentiam non requireret. Nihil necesse est mihi, de me ipso dicere. quamquam est id quidem senile, aetatiq. nostrae conceditur. uidetis enim, ut apud Homerum saepissime Nestor de uirtutibus suis praedicet. tertiam enim iam aetatem hominum uiuebat: nec erat ei uerendum, ne, uera praedicans de se, nimis uideretur aut insolens, aut loquax. etenim (ut ait Homerus) ex eius lingua melle dulcior fluebat oratio: quam ad suauitatem nullis egebat corporis uiribus. & tamen dux ille Graeciae numquam optat, ut Aiacis similes habeat decem, at ut Nestoris: quod si acciderit, non dubitat, quin breui sit Troia peritura. Sed redeo ad me.

EXPLANATIO

NEC *nunc quidem* ʃ Ne nunc quidem, unus. Neque, duo. ELEPHANTI ʃ Elephantis, uiginti. *Eo uti decet*, ʃ Eo decet uti, tredecim. PRO *uiribus*. ʃ quas quilibet aetas exigit. MILONIS *Crotoniatae*? ʃ maximis quondam uiribus praediti, ut sublatum in humeros bouem per stadium ferret. de quo paullo infra. Vide Plin. lib. VII. cap. 20. Solinum cap. 4. De eius miserabili interitu uide Strabonem lib. VI. Sudam, Aggellium lib. XV. & Val. lib. IX. cap. 22. ILLACRYMANS Q. ʃ recordatione uictoriarum, & pristinae gloriae desiderio. NVGATOR. ʃ qui naturam, tamquam nouercam, falso, male gratus, insimulas. SEX. *Aelius* ʃ Sex Aemilius, omnes scripti. Aelius, tamen, probo: qui propter iuris ciuilis scientiam sic appellatus a summo poeta est:

Egregie cordatus homo, catus, Aelius Sextus.

Quem uersum refert Cicero Tusc. I. Is librum populo R. dedit, Ius Aelianum inscriptum: auctore Pomponio l. 2. §. augescente, ff. de orig. iuris. Ibidemq. ait exstare illius librum, inscriptum Tripartita, qui ueluti iuris cunabula continet. MVLTIS *annis ante* ʃ circiter XC. TI. *Coruncanius*, ʃ qui ius primus profiteri coepit. idem Pomponius. EST *prouecta prudentia*. ʃ Prouidentia, unus. Prudentia producta est, unus. Proucta est sapientia, unus. SED *laterum etiam, & uirium*. ʃ Sed laterum & etiam uirium, unus. Sed laterum, etiam uirium, unus. Sed etiam laterum, & uirium, unus. Sed laterum, & uirium, quinque. *Sed laterum etiam, & uirium:* Quinct. lib. III. cap. de Pronunc. Latera cum gestu consentiant. facit enim aliquid & totius corporis motus, adeo, ut Cicero plus illo agi, quam manibus ipsis, putet. Ita enim dicit in Orat. Nullae argutiae digitorum, non ad numerum articulus cadens, trunco magis toto seipse moderans, & uirili laterum flexione. Et idem Cicero de Orat. III. Omnes autem hos, manus subsequi debet gestus, non hic uerba exprimens scenicus, sed uniuersam rem, & sententiam non demonstratione, sed significatione declarans, laterum inflexione hac forti, & uirili, non ab scena, & histrionibus, sed ab armis, aut etiam a palaestra. CANORVM *illud in uoce* ʃ Quinctilianus, ubi de Pronunciatione agit, dicit, uocis naturam spectari quantitate, & qualitate. Quantitas est simplicior: in summa enim, grandis, aut exigua est: Qualitas magis uaria est. nam est aut candida, aut fusca; & plena, & exilis; & lenis, & aspera; & contracta, & fusa; & dura, & flexibilis; & clara, & obtusa. *Canorum*: uocem claram. clarior enim tum fit, cum obtusa splendescit. QVOD *equidem adhuc non amisi*: ʃ Quod equidem non amisi adhuc, duo. ET *uidetis annos meos*: ʃ Et uos uidetis annos, unus. Etiam uidetis annos meos, unus. Et uidetis tamen meos annos, unus. Meos, non est in sex. SED *tamen est decorus senis sermo* ʃ Sed tamen sermo est decorus senis, duo. Sed tamen decorus est sermo senis, quattuor. REMISSVS; ʃ citat haec Nonius in, Remittere, delectare. AVDIENTIAM ʃ sic Plautus: Surge, praeco, fac populo audientiam. QVOD *si ipse exsequi nequeas, possis tamen Scipioni praecipere, & Laelio*. ʃ & libri ueteres mei decemocto habent, Quam, pro, Quod; & eos docti uiri sequuntur. ego assensum sustineo. uereor enim, ne quis, ob illud antecedens, Compta, & mitis oratio, putauerit esse subiungendum, Quam. sed meae quidem aures, Exsequi orationem, inuitae audiunt. Illud autem, Quod si exsequi nequeas, hoc uidelicet spectat: ut prompta, & miti utaris oratione. Posteriora quoque uerba, Possis tamen Scipioni praecipere, & Laelio, magis congruere uidentur cum eo, Quod si exsequi nequeas. Ipse, non est in uno. QVID *enim iucundius* ʃ Quid est enim iuc. sex. Quid enim est iuc. unus. Quid est iuc. duo. CN. *& P. Scipiones*, ʃ duo fratres, qui in Hispania ceciderunt. Silius:

Dum Capua infaustam luit haud sine sanguine culpam,
Interea geminos terra crudelis Ibera
Fortuna abstulerat, permiscens tristia laetis,
Scipiadas, magnumq. decus, magnumq. dolorem.

Hos Virgilius in VI uocat, Duo fulmina belli Scipiadas. Publius est maioris Africani, & Asiatici pater; Cnaeus, eorum patruus, Scipionis Nasicae genitor. ET *aui tui duo*, ʃ Aemilius sanguinis, Africanus Publij filius adoptionis linea. MAGISTRI *non boni* ʃ ideſt, idonei. Graeci dicunt, ἱκανοί. INTEMPERANS *adolescentia* ʃ exhauriuntur enim uires eae, quibus sustentari senectutem oportebat. APVD *Xenophontem* ʃ lib. IIX. Cyri Paediae. Herodotus, & Iustinus uarie hoc scribunt. A quibus dissentit Lucianus in Macrobijs. AETATIQ. *nostrae* ʃ propter auctoritatem, opinione prudentiae, & multi usus rerum partam. CONCEDITVR. ʃ non uitio uertitur, quamuis non laudetur. APVD

Homerum ʃ.

Landesbibliothek Oldenburg

Homerum ξ Il. lib. 1. & 23. potiſsimum, & alibi. De *uirtutibus ſuis* ξ ideſt, ijs de rebus, quas uirtute ſua geſſerat. Tertiam *aetatem* ξ τριτάτην γένεην, Homerus ιλ. α.

—τοῖσι δὲ Νέστωρ
ἡδυεπὴς ἀνόρουε λιγὺς Πυλίων ἀγορήτης,
τοῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή.
τῷ δ' ἤδη δύο μὲν γενεαὶ μερόπων ἀνθρώπων
Ἐφθίαθ' οἵ οἱ πρόσθεν ἅμα τράφεν, ἠδ' ἐγένοντο
ἐν Πύλῳ ἠγαθέῃ, μετὰ δὲ τριτάτοισιν ἄνασσεν.

Et Ouidius:

Spectatorem operum multorum reddere, uixi
Annos bis centum, nunc tertia uiuitur aetas. Et ille:
Ter binos, deciesq. nouem superrexit in annos
Iusta senescentum quos complet ora uirorum.

Naeuius Trisaecliſenem, & Dulcioriloquum uocat, ut est apud Agellium lib. xix. cap. 17. Vide Lucianum in Macrobijs, & Hieron. ad Nepotianum, & Prouerb. Neſtorea ſenecta. Nec *erat ei uerendum*, ξ tacite indicat, ne ſibi quidem id uerendum eſſe. Vera *praedicans de ſe*, ξ praeſertim ob eam cauſſam, ut non ſuas decantet laudes, ſed ut auctoritatem ſibi conciliet. Audite, inquit, iuuenes, ſenem, quem ſenem iuuenem audiuerunt. Ex *eius lingua melle dulcior fluebat oratio*: ξ Cic. in Bruto, ex hoc Homeri loco colligit, heroicis illis temporibus oratoriam in pretio fuiſſe, cum Homerus Vlixi uim, Neſtori ſuauitatem dicendi dederit. Quinctilianus in xi. ex Homero tria dicendi genera obſeruauit, breuem, & propriam iucunditatem in Menelao, in Neſtore melle dulciorem ſermonem, in Vlixe orationem impetu, flumini, niuibus hibernis aucto, parem. Plutarchus in Homeri uita de generibus dicendi alia oſtendit exempla. Vide Prouerb. Neſtorea eloquentia. Et *tamen dux ille Graeciae* ξ Agamemnon. ſignificat, bellum magis conſilio, quam ui, geri debere. Locus eſt ιλ. β.

αὖ γὰρ Ζεύ τε πάτερ, καὶ Ἀθηναίη, καὶ Ἀπόλλον,
τοιοῦτοι δέκα μοι συμφράδμονες εἶεν Ἀχαιῶν,
τῶ, κε τάχ' ἠμύσειε πόλις Πριάμοιο ἄνακτος,
χερσὶν ὑφ' ἡμετέρῃσιν ἁπλουτά τε, περθομένη τε.

Interea tamen Cic. pulchre diſcimulat, quod Neſtor ubique queritur, ſe iuuenili robore deſtitutum. Ille dux, quattuor. Aiacis *ſimiles* ξ Aiaci, unus. Nestoris: ξ Neſtori, unus. Hom. ιλ. 2. Quod *ſi acciderit*, ξ Quod ſi ſibi acciderit, tredecim. Quod ſibi ſi acciderit, quinque. Quod ſi ſi acciderit, unus. Quod ſibi acciderit, unus. Quod ſi is Neſtor acciderit, unus. male.

CICERO

Quartum *ago annum & octogeſimum. uellem id quidem poſſe, quod Cyrus: ſed tamen hoc queo dicere, non me quidem ijs eſſe uiribus, quibus aut miles bello Punico, aut quaeſtor eodem bello, aut conſul in Hiſpania fuerim, aut quadriennio poſt cum tribunus militum depugnaui apud Thermopylas Man. Acilio Glabrione conſule: ſed tamen, ut uidetis, non plane me eneruauit, non afflixit ſenectus: non curia uires meas deſiderat, non Roſtra, non amici, non clientes, non hoſpites. nec enim umquam ſum aſſenſus illi ueteri, laudatoq. Prouerbio, quod monet, mature fieri ſenem, ſi diu uelis ſenex eſſe. ego uero me minus diu ſenem eſſe mallem, quam eſſe ſenem ante, quam eſſem: itaque nemo adhuc conuenire me uoluit, quin fuerim occupatus. At minus habeo uirium, quam ueſtrum uteruis. nec uos quidem T. Pontij centurionis uires habetis. num iccirco eſt ille praeſtantior? moderatio modo uirium adſit, & tantum, quantum poteſt, quiſque nitatur: nae ille non magno deſiderio tenebitur uirium. Olympiae per ſtadium ingreſſus eſſe Milo dicitur, cum humeris ſuſtineret bouem. utrũ igitur has corporis, an Pythagorae tibi malis uires ingenij dari? Denique iſto bono utare, dum adſit; cum abſit, ne requiras. niſi forte adoleſcentes pueritiam, paullulum aetate progreſſi, adoleſcentiam debent requirere. curſus eſt certus aetatis, & uia una naturae, eaq. ſimplex, ſuaq. cuique parti aetatis tempeſtiuitas eſt data. ut enim infirmitas, puerorum eſt; fero citas, iuuenum; grauitas, iam conſtantis aetatis: ſic ſenectutis maturitas naturale quiddam habet, quod ſuo tempore percipi debeat. Arbitror te audire, Scipio, hoſpes tuus Maſſiniſſa quae faciat hodie, nonaginta annos natus: cum ingreſſus iter pedibus ſit, in equum omnino non aſcendere; cum equo, ex equo non deſcendere; nullo imbre, nullo frigore adduci, ut capite operto ſit; ſummam in eo eſſe corporis ſiccitatem; itaque exſequi omnia regis officia, & munera. Poteſt igitur exercitatio, & temperantia in ſenectute etiam aliquid conſeruare priſtini roboris. Non ſunt in ſenectute uires. nec poſtulantur quidem uires a ſenectute. ergo, & legibus, & inſtitutis, uacat aetas noſtra muneribus ijs, quae non poſſunt ſine uiribus ſuſtineri. itaque non modo, quod non poſſumus, ſed ne quantum poſſumus quidem, cogimur. At ita multi ſunt imbecilli ſenes, ut nullum officij, aut omnino uitae munus exſequi poſſint. At id quidem non proprium ſenectutis eſt uitium, ſed commune inualetudinis. quam fuit imbecillus P. Africani filius, is, qui te adoptauit? quam tenui, aut nulla potius ualetudine? quod niſi ita fuiſſet, alterum ille exſtitiſſet lumen ciuitatis. ad paternam enim magnitudinem animi doctrina uberior acceſſerat. quid mirum igitur in ſenibus, ſi infirmi ſunt aliquando, cum ne id quidem adoleſcentes effugere poſſint? Reſiſtendum, Laeli, & Scipio, ſenectuti eſt, eiuſq. uitia diligentia compenſanda ſunt: pugnandum, tamquam contra morbum, ſic contra ſenectutem: habenda ratio ualetudinis; utendum exercitationibus*

tionibus modicis: tantum cibi, & potionis adhibendum, ut reficiantur uires, non opprimantur. Nec uero corpori solum subueniendum est, sed menti, atque animo multo magis. nam haec quoque, nisi tamquam lumini oleum instilles, exstinguuntur senectute. Et corpora quidem exercitationum defatigatione ingrauescunt: animi autem exercendo leuantur. nam, quos ait Caecilius comicos stultos senes, hos significat credulos, obliuiosos, dissolutos. quae uitia sunt non senectutis, sed inertis, ignauae, somniculosae senectutis. ut petulantia, ut libido magis est adolescentium, quam senum, nec tamen omnium adolescentium, sed non proborum: sic ista senilis stultitia, quae deliratio appellari solet, senum leuium est, non omnium. Quattuor robustos filios, quinque filias, tantam domum, tantas clientelas Appius regebat & senex, & caecus. intentum enim animum, tamquam arcum, habebat: nec languescens succumbebat senectuti: tenebat non modo auctoritatem, sed etiam imperium, in suos: metuebant eum serui, uerebantur liberi, carum omnes habebant. uigebat in illa domo mos patrius, & disciplina. ita enim senectus honesta est, si se ipsa defendit, si ius suum retinet, si nemini mancipata est, si usque ad ultimum spiritum dominatur in suos. ut enim adolescentem, in quo aliquid senile, sic senem, in quo aliquid est adolescentis, probo. quod qui sequitur, corpore senex esse poterit, animo numquam erit.

EXPLANATIO

AVT *consul in Hispania fuerim*, ℥ in qua plura opida cepit, quam dies fuit. Plutarchus. Mirum autem, glorioſum ſenem glorioſum obticuiſſe triumphum. de quo Liuius lib. XXXIV. & Plut. in eius uita. CVM *tribunus mil. depugnaui apud Thermopylas, Man. Acilio Glabrione conſule:* ℥ memoriae uitium in Cicerone deprehenditur. legerat enim in Annalibus, Catonem non tribunum mil. ſed legatū apud Thermopylas M Acilio cos. depugnaſſe. quod Liuius lib. XXXVI. perſpicue docet. neminem enim poſt conſulatum tribunum mil fuiſſe conſtat, at legatos ita multos, ut exemplis probare neceſſe non ſit. *Thermopylas*: Thermopylarum deſcriptionem uide apud Liuium lib. XXXVI. & Strabonem lib. IX. VT *uidetis*, ℥ ualent enim multum teſtes oculati. ENERVAVIT, ℥ robore deſtituit. nam robur eſt in neruis ſitum. Hinc, Omnibus neruis, Neruos intendere, expedire. Cic. pro Coelio: Quem ſi uobis, ſi ſuis, ſi reip. conſeruatis, adductum, deditum, obſtrictum uobis, ac liberis ueſtris habebitis, omniumq. huius neruorum, ac laborum uos potiſsimnm inde fructus uberes, diuturnoſq. capietis. NON *clientes, non hoſpites.* ℥ Cicero in Diuinatione: Clariſsimi uiri noſtrae ciuitatis, temporibus optimis hoc ſibi ampliſsimum, pulcherrimumq. ducebant ab hoſpitibus, clientibuſq. ſuis, ab exteris nationibus, quae in amicitiam populi R. ditionemq. eſſent, iniurias propulſare, eorumq. fortunas defendere. M. Catonem illum ſapientem, clariſsimum uirum, & prudentiſsimum, cum multis (maxime Galba) graues inimicitias geſsiſſe accepimus, propter Hiſpanorum, apud quos conſul fuerat, iniurias. De clientibus, & hoſpitibus, uide Halicarnaſſeum lib. 2. Agellius lib. V. cap. 13. Clientem a Colendo dicunt, quaſi Colentem. MATVRE *heri ſenem*, ℥ mature ſibi parcere, & iuuenilia opera intermittere. uel, iuuenili aetate ſenilem ſibi prudentiam, & affectuum, cupidita umq. moderationem comparare. QVAM *eſſe ſenem ante, quam eſſem*: ℥ ignauo otio torpeſcere, dum & animi, & ſenſuum integritate ualeam. CONVENIRE *me uoluit*, ℥ Valuit, ſex. QVIN *ſuem occupatus*. ℥ Off. lib. III. in prooemio, de P. Scipione: Numquam minus otioſum, quam cum otioſus. NEC *uos quidem* ℥ Ne, unus. T. *Pontij centurionis* ℥ fortaſſe Pontium intelligit, qui, cum Capitolium a Gallis eſſet obſeſſum, Tiberim tranſnauit. Plut. in Camillo, Liu. lib. V. Ait Vegetius, centuriones non niſi procero, & robuſto corpore eſſe lectos. NVM *iccirco eſt ille praeſtantior*? ℥ ſic decem octo mei. duo, & alias, N. i. e. i. p. uobis? QVANTVM *poteſt, quiſque nitetur*: ℥ Quantum quiſque poteſt, nitatur, duodecim. MILO ℥ Crotoniata. Quinctil. lib. I. cap. 14. Vide Prou. Taurum tollat, uitulum qui ſuſtulerit. PYTHAGORAE ℥ Valerius lib. IIX. cap. de ſtudio, & induſtria, Laertius in uita. ISTO *bono* ℥ Corporis commoda uocat Bona, communi loquendi modo, non Stoicorum dogmate. PAVLLVLVM *aetate progreſſi* ℥ ultra adoleſcentiam. SVAQ. *cuique parti aetatis* ℥ το, Aetatis, abeſt a ſeptem. TEMPESTIVITAS ℥ non tempus hic ſignificatur, ſed maturitas temporis. ideoq. male uidetur legiſſe Nonius, Tempeſtas. EST *data*. ℥ a natura. INFIRMITAS *puerorum* ℥ quae pueris cum ſenibus quodam modo communis eſt: unde Prou. Bis pueri ſenes. FEROCITAS *iuuenum*: ℥ quae poſita eſt magis in inferenda, quam propulſanda iniuria, & quiduis uirium potius arbitrio ,, quam conſilio ſuſcipiendo. graue, periculoſum uitium, & honeſtis laboribus corporis, atque animi frangendum. GRAVITAS *iam conſtantis aetatis*: ℥ quae omnium dicta, & facta certo conſilio gubernat. SVO *tempore percipi* ℥ refertur ad maturitatem ſenectutis tantum, non etiam ad infirmitatem puerorum, & ferocitatem iuuenum: quod putarunt alij, librorum quorundam uarietate adducti. HOSPES *tuus Maſſiniſſa* ℥ Hoſpes tuus habitus Maſſ. decemocto. Hoſpes tuus habiturus Maſſ. unus. Errore facili. Legendum enim, Hoſpes tuus aiutus Maſſ. Africani enim maioris hoſpes fuit, ut ex Scipionis Somnio. Quando in Romanorum amicitiam uenerit, uide apud Sall. Iugurtha. De eius conſtantia in amicitia, Valerius lib. V. cap. de Gratis. Quae ipſe Scipioni dono dederit, recenſet Silius lib. I.

Huic iuueni dono inſignem uelamine picto
Dat chlamydem, ſtratumq. oſtro (quem ceperat ipſe
Deiecto uictor Magone, animumq. probarat)
Cornipedem, & cum qua diuum libabat ad aras
Haſdrubal, ex auro pateram, galeamq. comantem,

Ex

Ex infirmato sociali foedere regis.

NONAGINTA *annos natus*: § tot etiã Lucianus uixisse scribit. Florus uero Epit. L. maiorẽ decessisse ait. CVM *ingressus iter* § Valerius lib. IIX. cap. 13. de Senect. De eo Plin lib. VII. cap. 14. & 48. ITAQ. *exsequi omnia regis officia, & munera*. § honestam disciplinam, & locupletationem ciuium regis officia praecipua, tradit Isocrates. EXERCITATIO, *& temperantia* § ergo intemperantia, & ignauia pristinum robur tollit. IN *senectute etiam* § non modo in iuuentute. VACAT *aetas nostra muneribus ijs*, § qui acceperunt pro Dare operam, quod nusquam libera rep. quisquam dixit, perperam locum interpretati sunt, & distinxerunt. Hinc Vacatio, & excusatio munerum, apud Iurisconsultos. Dicebantur autem hi, Emeriti. *Muneribus ijs*: belli, & senatorio. SVNT *imbecilli senes*, § Imbecilles, duodecim. COMMVNE *ualetudinis*. § sic omnes: duobus exceptis, in quibus, Inualetudinis. P. AFRICANI *filius*, § maioris, fratris Corneliae, Gracchorum matris. In Bruto: Ipsum Scipionem accepimus non infantem fuisse. filius quidem eius, is, qui hunc minorem Scipionem a Paullo adoptauit, si corpore ualuisset, in primis habitus esset disertus. indicant cum oratiunculae, tum historia quaedam Graeca, scripta dulcissime. AVT *nulla* § Et, unus. Ac, tres. ALTERVM *ille exstitisset lumen ciuitatis*. § Illud, sex. τὸ, Ille, non est in uno. Alterum in isto exstitisset lumen ciu. unus. Apud Homerum Aiax Teucro ait:

Βάλλ' ὕτως, εἰ κέντι φέως Δαναοῖσι γένηαι.

Ita iaculare, si quod forte lumen Graecis exsistas.

EIVSQ. *uitia diligentia compensanda sunt*: § Diligentius, unus. Compescenda, octo. EXERCITATIONIBVS *modicis*: § Plin. lib. XXIIX. cap. 4. POTIONIS § Potationis, septem. Potus, duo. SED *menti, atque animo multo magis*. § Sed etiam menti, & animo magis, unus. Sed etiam menti, & animo multo magis, unus. HAEC *quoque* § mens, atque animus. EXERCITATIONVM *defatigatione ingraueſcunt*: § τὸ, Exercitationum, non est in duobus. Defectione, unus. Defatigatione, & exercitatione, unus. ANIMI *autem exercendo leuantur*. hoc Quinctilianus de memoria dicit, quae pars ingenij est. Isocrates: τὰ μὲν σώματα τοῖς συμμέτροις πόνοις· ἡ δὲ ψυχὴ τοῖς σπουδαίοις λόγις ἀυξεσθαι πέφυκε. *Exercendo*: dum exercentur. Vt: Vritq. uidendo Femina. Exercitando, tres. Exercitatione, duo. Animi autem se exercendo leu. quattuordecim. CREDVLOS, § Credulitatem esse uitium, scribit Dion Prusaensis περὶ ἀπιστίας. Vide & Luciani libellum περὶ τοῦ μὴ ῥαδίος πιστεύειν διαβολῇ. DISSOLVTOS. § qui uerecundiae fines transierint. Off. I. Negligere, quid de se quisque sentiat, non modo arrogantis est, sed etiam omnino dissoluti. DELIRATIO § De Orat. II. O delirationem incredibilem. Plautus Amph. Haec quidem deliramenta loquitur. Suet. Vesp. Neque illa quidquam aliud, quam cachinasse, mirantem, quod, adhuc se mentis compote, deliraret iam filius suus. Metaphora sumpta a re rustica. Plinius lib. XIIX. cap. 20. de Occasione: Hoc quoque ubi consuetudo patitur, crate dentata, uel tabula aratro adnexa, quod uocant Lirare, operientes semina, unde primum appellata Deliratio est. Hinc, Lirari, & Liratim, apud Columellam. REGEBAT *& senex, & caecus*. § Tusc. v. Appius Claudius, qui caecus multos annos fuit, in illo suo casu nec publico, nec priuato muneri defuit. TENEBAT *non modo* § Tenebat enim non modo, quinque. AVCTORITATEM, § quam aut uirtus, aut sapientia, aut potentia parit, saepe etiã amor. IMPERIVM § Auctoritas habere uidetur aliquid uoluntarium; Imperium, aliquid coactum, & uoluntum: ut, nisi quid ex praescripto fiat, poena sequatur. METVEBANT *eum serui*, § Eum, non est in sexdecim. HONESTA *est*, § honore digna, & honorata. SI *se ipsa defendit*, § anteacta uita parta auctoritate, & de diligentia nihil remittendo. SI *ius suum retinet*, § ne ex arbitrio liberorum pendeat, ne ue ad agnatos, & gentiles, ideſt in tutelam, & quasi mancipationem deducatur. eo enim Cicero respexisse uidetur, ne senex bis puer, rei suae administrandae parum idoneus, inuerso naturae ordine, quasi in liberorum sacra recidat. Ius suum obtinere, Demosthenis, & Isocrati, τυγχάνειν τῶν δικαίων. Demosthenis, τὸ δίκαιον ἔχειν. MANCIPATA *est*, § Emancipata est, Nonius & duo mei libri. Emancipare, est, alteri in manum tradere. Emancipatum, interpretatur Nonius, subnixum, deditum. VLTIMVM *spiritum* § Vltimum uitae spiritum, unus. *Vsque ad ultimum spiritum*: Vespasianus aiebat, imperatorem stantem mori oportere. IN *quo aliquid est adolescentis*, § alacritas, & hilaritas iuuenilis.

CICERO

SEPTIMVS *mihi liber Originum est in manibus: omnia antiquitatis monumenta colligo: caussarum illustrium, quascumque defendi, nunc quammaxime orationes coficio: ius augurium, pontificium, ciuile tracto: multum etiam Graecis litteris utor: Pythagoreorumq. more, exercendae memoriae gratia, quid quoque die dixerim, audiuerim, egerim, commemoro uesperi. hae sunt exercitationes ingenij, haec curricula mentis: in his desudans, atque elaborans, opus ut ues non magno opere desidero: adsum amicis: uenio in senatum frequens: ultroq. affero res multum & diu cogitatas, ealq. tueor animi, non corporis uiribus. quae si exsequi nequirem, tamen me lectulus oblectaret, ea ipsa cogitantem, quae iam agere non possem: sed, ut possim, facit acta uita. semper enim in his studijs, laboribusq. uiuenti non intelligitur, quando obrepat senectus. ita sensim sine sensu aetas senescit; nec subito frangitur, sed diuturnitate exstinguitur. Sequitur tertia uituperatio senectutis, quod eam carere dicunt uoluptatibus. O praeclarum munus aetatis: siquidem id aufert a nobis, quod est in adolescentia uitiosissimum. accipite enim, optimi adolescentes, ueterem orationem Archytae Tarentini, magni in primis, & praeclari uiri: quae mihi tradita est, cum essem adolescens Tarenti cum Q. Maximo. nullam capitaliorem pestem, quam uoluptatem*

tem corporis, hominibus dicebat a natura datam: cuius uoluptatis auidae libidines, temere, & effrenate ad potiundum incitarentur: hinc patriae proditiones, hinc rerump. euersiones, hinc cum hostibus clamdestina colloquia nasci: nullum denique scelus, nullum malum facinus esse, ad quod suscipiendum non libido uoluptatis impelleret: stupra uero, & adulteria, & omne tale flagitium, nullis alijs illecebris excitari, nisi uoluptatis. cumq. homini sine natura, sine quis deus nihil mente praestabilius dedisset; huic diuino muneri, ac dono nihil esse tam inimicum, quam uoluptatem: nec enim, libidine dominante, temperantiae locum esse, nec omnino in uoluptatis regno uirtutem posse consistere. quod quo magis intelligi posset, fingere animo iubebat, tanta incitatum aliquem uoluptate corporis, quanta posset maxima. nemini censebat fore dubium, quin tamdiu, dum ita gauderet, nihil agitare mente, nihil ratione, nihil cogitatione consequi posset: quo circa nihil esse tam detestabile, tamq. pestiferum, quam uoluptatem; siquidem ea, cum maior esset, atque longinquior, omne animi lumen exstingueret. Haec cum C. Pontio Samnite, patre eius, a quo Caudino proelio Sp. Postumius, T. Veturius consules superati sunt, locutum Archytam, Nearchus Tarentinus, hospes noster, qui in amicitia populi R. permansérat, se a maioribus natu accepisse, dicebat; cum quidem ei sermoni interfuisset Plato Atheniensis: quem Tarentum uenisse, L. Camillo, P. Claudio consulibus, reperio.

EXPLANATIO

SEPTIMVS § nec plures citantur a ueteribus. quorum nullus exstat. nam, quae circumferuntur, Annij Viterbiensis esse, nemo nescit. LIBER *Originum est in manibus*: § quibus Cicero in Bruto florem, & eloquentiae lumen tribuit. Vide Festum. *Est in manibus*: a me conscribitur. Supra, In manibus est laudatio: ideſt, edita doctorum manibus teritur. ORATIONES *conficio*: § in quibus eum Lyfiae comparat Cicero in lib. de claris Orat. PYTHAGOREORVM Q. *more*, § de Pythagoreorum uiuendi ratione, Agellius lib. 1. cap. 4. Pythagoras in Carminibus aureis:

Μηδ' ὕπνον μαλακοῖσιν ἐπ' ὄμμασι προσδέξασθαι,
Πρὶν τῶν ἡμερινῶν ἔργων τρὶς ἕκαστον ἐπελθεῖν.
Πῆ παρέβην; τίδ' ἔρεξα; τί μοι δέον οὐκ ἐτελέσθη;

Ideſt:

Neque somnum mollibus in oculis suscipe,
Antequam diurnorum operum ter unumquodque percurras.
Quo transgressus sum? quid feci? quid mihi decens non perfectum est?

Pythagoreorumq. more: Pythagoreorum more, septem. Pythagoreo more, unus. Pythagoricorumq. more, unus. DESVDANS, § exercens. Manet in metaphora palaestrae, Curricula, quae sunt spatia, intra quae se cursores exercent, Desudare. ADSVM *amicis*: § Adesse, patrocinari: sicut Graecis, τὸ παρεῖναι. NON *magnopere* § nam Aristoteles Rhet. ad Theodecten II. ait τὴν ἐπιθυμίαν esse τοῦ ἀπόντος. EAS Q. *tueor* § contra eos, qui a me dissentiunt. ANIMI, *non corporis uiribus*. § uerbis enim, non pugnis, ut alibi ait, disceptamus. In senatu uincit non robustior, & potentior, (siquidem libera sit respublica) sed prudentior, & disertior. SENSIM *sine sensu aetas senescit*; § ταυτολογία. ioci genus, & lepor quidam, in repetitione litterarum. Sic Ennius apud Prisc. XII. & ad Her. lib. IV.

O Tite, tute Tati tibi tanta tyranne tulisti.

Item:

Quidquam quisquam cuiquam, quod conueniat, neget.

Item alibi:

Nam, cuius rationis ratio non exstet, ei rationi ratio non est fidem habere.

Et idem in Phoenice, apud Nonium.

Stultu st, qui cupita cupidus cupienter cupit.

Et Plautus Menaech.

Non potui paucis plura plane proloqui.

Et Cato senex, apud Carisium l. 2.

Suapte natio sua separata seorsum.

Sensim: unde Ouidius:

Tempora labuntur, tacitisq. senescimus annis

ID *aufert a nobis*, § Id aufert nobis, octo. TRADITA *est*, § in manus: nimirum scripta. AD *potiundum incitarentur*: § ideſt, impense cupiunt, consulunt parum, ut ait Comicus. CLAMDESTINA *colloquia nasci*: § Clamdestina colloquia nasci dicebat, undecim. EXCITARI, *nisi uoluptatis*. § Incitari, quattuor. Voluptatibus, sex. NEC *omnino* § Neque omnino, undecim. QVANTA *posset maxima*. § Quanta percipi posset maxima, decemseptem. Posit, quattuor. C. PONTIO *Samnite*, § Herennij filio, patre longe prudentissimo nato. Liuius. de uir. ill. additum cognomen est Thelesini. Hic ille est, qui optabat in ea se tempora reseruatum, cum Romani dona accipere cupissent. Off. II. CAVDINO *proelio* § Liuius lib. IX. Florus lib. I. cap. 17. de uir. ill. cap. 30. Oros. lib. III. cap. 15. D. Aug. de ciu. D. lib. III. cap. 17. Agell. lib. XVII. cap. 21. De Caudinis furculis uide Liuium. CONSVLES § cum iterum consules essent. Off. III. SVPERAT. *sunt*, § sub iugum missi. QVI *in amicitia populi R. permansérat*, § antiqua formula. In Fragmento Thoriae legis, apud Fuluium Vrsinum: QVEI. EO-

Landesbibliothek Oldenburg

RVM. IN. AMICITIAM. POPVLI. ROMANI. BELLO. POINICIO. PROXIMO. MANSERVNT. Et in uetustissimo apud eundem S. C. Graece scripto, quod M. Lepido, Q. Catulo cos. in aes incisum fuit: Τ῀ διὰ τέλους ἐν τῇ φιλίᾳ τοῦ δήμου τῶν Ρωμαίων μεμενηκυῖν. L. CAMILLO, ℈ sic recte sex mei.

CICERO

QVORSVM *haec? ut intelligeretis, si uoluptatem aspernari ratione, & sapientia non possemus, magnam habendam senectuti gratiam, quae efficeret, ut id non liberet, quod non oporteret. impedit enim consilium uoluptas, rationis inimica; ac mentis (ut ita dicam) praestinguit oculos, nec habet ullum cum uirtute commercium. Inuitus feci, ut fortissimi uiri T. Flaminini fratrem, L. Flamininum e senatu eicerem septem annis postquam consul fuisset: sed notandam putaui libidinem. ille enim, cum esset consul in Gallia, exoratus in conuiuio a scorto est, ut securi feriret aliquem eorum, qui in uinculis essent damnati rei capitalis. hic Tito, fratre suo, censore, qui proximus ante me fuerat, elapsus est. mihi uero, & Flacco neutiquam probari potuit tam flagitiosa, & tam perdita libido, quae cum probro priuato coniungeret imperij dedecus. Saepe audiui a maioribus natu, qui se pueros porro a senibus audisse dicebant, mirari solitum C. Fabricium, quod, cum apud Pyrrhum regem legatus esset, audisset a Thessalo Cynea, esse quendam Athenis, qui se sapientem profiteretur, eumq. dicere, omnia, quae faceremus, ad uoluptatem esse referenda: quod ex eo audientes Man. Curium, & Ti. Coruncanium, optare solitos, ut id Samnitibus, ipsiq. Pyrrho persuaderetur; quo facilius uinci possent, cū se uoluptatibus dedidissent. uixerat Man. Curius cum P. Decio, qui quinquennio ante eum consulem se pro rep. quarto consulatu deuouerat. norat eundem Fabricius, norat Coruncanius: qui cum ex sua uita, tum ex eius, quem dico, P. Decij facto iudicabant esse profecto aliquid natura pulchrum, atque praeclarum, quod sua sponte peteretur, quodque, spreta, & contempta uoluptate, optimus quisque sequeretur.*

EXPLANATIO

IMPEDIT *consilium uoluptas*, ℈ uoluptas nullum habet cum uirtute commercium. RATIONIS *inimica*; ℈ Rationi inim. quindecim. Rationi est inimica, duo. Rationum inimica, unus. Voluptatis cum ratione proelium describit Prudentius in Psychomachia. Comparatio item uoluptatis cum uirtute est apud Senecam lib. 1. de uita beata. INVITVS ℈ nam omnis animaduersio, & castigatio contumelia uacare debet, neque ad eius, qui punit aliquem, aut castigat, sed ad reip. utilitatem referri. SEPTEM *annis* ℈ Octo, liber Vrsini. NOTANDAM *putaui libidinem*. ℈ sic omnes mei. Notandum, legebat Gisanius. *Notandam*: Liuius, eadem de re: Patrum memoria institutum fertur, ut censores motis a senatu adscriberent notas. ILLE *enim, cum esset consul in Gallia*, ℈ hanc historiam scribentes Liuius lib. XXXIV. & Plut. in Catone, & T. Flaminino, inter se dissentiunt. EXORATVS ℈ alijs subinde, atq. alijs blandimentis impulsus. IN *conuiuio* ℈ cum uino incaluissent. SCORTO ℈ Philippo Poeno, caro, ac nobili scorto. Liuius. Eum autem adeo deperibat, ut, siue exercitus ductaret, siue prouincias administraret, ab eius latere numquam discederet. Plutarchus. IMPERII *dedecus*. ℈ cum id flagitij consul admisisset. PORRO ℈ ideſt, retro. Sic in Laelio: Verum ergo illud est, quod a Tarentino Architta, ut opinor, dici solitum, nostros senes commemorare audiui, ab alijs senibus auditum. THESSALO *Cynea*, ℈ Demosthenis auditore, imitatoreque, tantae eloquennae uiro, ut plures ciuitates sua facundia, quam Pyrrhus armis, superasse creditus sit. atque ob hoc a Pyrrho in magno pretio habitus. Hic ille Cyneas est, qui Romanorum senatum regum consessum, uel, ut Iustinus inquit, regum urbem; uel, ut Florus, Vrbem templum, senatum uero regnum sibi uisum respondit. Plutarchus in Pyrrho, & Val. lib. IV. cap. de Continentia. QVENDAM ℈ Epicurum. TI. *Coruncatium*, ℈ Epit. Liu. XIII. QVO *facilius uinci* ℈ Vt facilius uinci, unus. P. *Decio*, ℈ filio. DEVOVERAT. ℈ Gallico proelio. Liuius lib. x. Florus lib. v. cap. 17. Val. l. v. cap. de Pietate erga pat. de uir. il. cap. 27. Oros. lib. III. cap. 21. Deuouendi ritum uide apud Liuium lib. IIX. NORAT *eundem Fabricius, norat Cornicanius*: ℈ a cuius deuotione sedecim annis alter consul, alter ad Pyrrhum legatus fuit. CVM *ex sua uita*, ℈ Tum, decemseptem. SVA *sponte* ℈ sine ullo alio praemio, & fructu. SPRETA, ℈ quia deformis. *Spreta*: praehonestate: cui dum studet, hac careant necesse est, in munus officij sui toto animo intenti. quod dum exsequi studet, nec conuiuijs intempestiuis, & luxurioſis, nec mulierculārum illecebris, nec somno, atque ignauiae uacare possunt.

CICERO

QVORSVM *igitur haec tam multa de uoluptate? quia non modo uituperatio nulla, sed etiam summa laus, senectutis est, quod ea uoluptates nullas magnopere desiderat. caret epulis, exstructisq. mensis, & frequentibus poculis: caret etiam uinolentia, & crapulitate, & insomnijs. sed, si aliquid dandum est uoluptati, quoniam eius blanditijs non facile obsistimus: (diuinitus enim Plato escam malorum appellat uoluptatē, quod ea uidelicet homines capiantur, ut pisces) quamquam immoderatis epulis caret senectus, modicis tamen*

delectari

delectari poteſt. C. Duillium, M. filium, qui Poenos primus claſſe deuicerat, redeuntem a cena ſenem ſaepe uidebam puer. delectabatur cereo funali, & tibicine: quae ſibi, nullo exemplo, priuatus ſumpſerat: tantum licentiae dabat gloria. Sed, quid ego alios? Ad me ipſum reuertor. primum habui ſemper ſodales. ſodalitates autem me quaeſtore conſtitutae ſunt, ſacris Idaeis Magnae matris acceptis. epulabar igitur cum ſodalibus, omnino modice, ſed erat quidam feruor aetatis, qua progrediente, omnia fiunt in dies mitiora. neque enim ipſorum conuiuiorum delectationem uoluptatibus corporis magis, quam coetu amicorum, & ſermonibus, metiebar. bene enim maiores accubationem epularem amicorum, quia uitae coniunctionem haberet, conuiuium nominarunt, melius, quam Graeci, qui hoc idem tum compotationem, tum concenationem, uocant: ut, quod in eo genere minimum eſt, id maxime probare uideantur. ego uero, propter ſermonis delectationem, tempeſtiuis quoque conuiuijs delector, nec cum aequalibus ſolum, qui pauci iam admodum reſtant, ſed cum ueſtra etiam aetate, atque uobiſcum. habeoq. ſenectuti magnam gratiam, quae mihi ſermonis auiditatem auxit, potionis, & cibi ſuſtulit. quod ſi quem etiam iſta delectant, ne omnino bellum indixiſſe uidear uoluptati cuius eſt etiam fortaſſe quidem naturalis motus: non intelligo, ne in iſtis quidem uoluptatibus ipſis carere ſenſu ſenectutem. me uero & magiſteria delectant, a maioribus inſtituta, & is ſermo, qui, more maiorum, a ſummo magiſtro adhibetur in poculo; & pocula, ſicut in Sympoſio Xenophontis, minuta, atque rorantia; & refrigeratio aeſtate, & uiciſſim aut ſol, aut ignis hibernus: quae quidem etiam in Sabinis perſequi ſoleo: conuiuiumq. uicinorum quotidie compleo; quod ad multam noctem, quammaxime poſſumus, uario ſermone producimus. At non eſt uoluptatum tanta quaſi titillatio in ſenibus. credo: ſed nec deſideratio quidem: nihil autem moleſtum, quod non deſideres. Bene Sophocles, cum ex eo quidam, iam affecto aetate, quaereret, uteretur ne rebus Venereis, Dij meliora, inquit: libenter uero iſtinc, ſicut a domino agreſti, ac furioſo, profugi. cupidis enim rerum talium odioſum fortaſſe, & moleſtum eſt, carere; ſatiatis uero, & expletis iucundius eſt, carere, quam, frui. quamquã non caret is, qui non deſiderat. hoc ego, non deſiderare, dico eſſe iucundius.

EXPLANATIO

HAEC *tam multa* ℈ Haec, non eſt in decem nouem. VINOLENTIA, ℈ quae parit tremorem, rigorem, delirium, uertiginem. *Vinolentia*: Ebrietate. de qua Seneca: Ebrietas unius horae hilarem inſaniam, longi temporis taedio penſat. CRVDITATE, ℈ quae ex ciborum copia oritur. Varro in Satyris Menippeis apud Agellium ait, πέμμασιν cum πέψει ſocietatem infidam eſſe. πέμματα autem bellaria uocat. hinc captis grauedo, ſtupor ingenij, diſtinctio uentris, nonnunquam etiam obſtructiones hepatis oriuntur, apoplexiae aditum parantes. INSOMNIIS. ℈ quae multa gignuntur ex crapula. Plinius inter cetera Ebrietatis incommoda etiam furiales ſomnos, & inquietem nocturnam recenſet. CARET *etiam uinolentia, & cruditate*: Caret & uin. & crud. unus. Caret etiam ergo uin. & crud. duo. Caret ergo etiam uin. & crud. quattuor. τὸ Et, non eſt in uno. Caret ergo uin. & crud. octo. quorum unus, Igitur, pro Ergo. Caret igitur uin. crud. unus. Quattuor mendoſe habent, Crudelitate. ET *inſomnijs*: Et inſomnia, Lambinus. Et in ſomnio, tres. NON *facile obſiſtimus*: ℈ ergo obſiſti poteſt: ſed cum labore, difficultate, moleſtia. DIVINE *enim Plato* ℈ Diuinus, unus. Diuin', unus. Cyrillus lib. IIX. contra Iulianum apoſtatam non longe Platonem a Chriſtianiſmo abeſſe iudicat. Cicero Platonem Philoſophorum Deum appellat. de quo uide D. Aug. contra Pelag. lib. IV. Plutarchus περὶ παίδων ἀγωγῆς, Platonem δαιμόνιον appellat. Scribit D. Hieron. adu. Iouinianum lib. I. Speuſippo, Clearcho, & Anaxilide auctoribus, Platonis matrem Perictionem phantaſmate Apollinis oppreſſam, & ſapientiae principem non niſi de uirgine editum. ESCAM *malorum appellat uoluptatem*, ℈ δέλεαρ τῶν κακῶν. Plautus Merc.

Voluptas eſt malorum eſca, quod ea non minus homines,
Quam hamo capiantur piſces.

Vide Sextum Empiricum Pyrrh. lib. III. cap. 23. & Plut. in Catone. CAPIANTVR, ℈ per imprudentiam. conſiderant enim ſuauitatem mox perituram, noxam diu duraturum non uident. MODICIS *tamen delectari poteſt*. ℈ omnes ſcripti libri, Modicis tamen conuiuijs delectari poteſt. Vnus, Moderatis. Vnus, Solet. Duo. Tres addunt poſt Conuiuijs, Potationibus. DELECTABATVR *cereo funali, & tibicine*: ℈ alij, Crebro funali, ueteres libros ſecuti. Ego, Cereo, ex duobus meis ſcriptis. (duo alij, mendoſe, Credo) primum enim, cum dixerit, A cena redeuntem ſenem uidebam puer, apte non ſubiungitur, Delectabatur crebro funali. cum illud ipſum tempus deſignetur, quo poſt cenam domum redibat. Deinde locus Valerij Max. lib. III. cap. 6. perſpicue demonſtrat, Cereum funalem fuiſſe. Quotieſcunque, inquit, epulaturus erat, ad funalem cereum, praeeunte tibicine, & fidicine, a cena domũ reuerti ſolitus eſt. De uir. ill. Epit. Liu. lib. XVII. Florus lib. II. cap. 2. Silius Italicus lib. VI.

Iuſtum Sacrana ducebat caede triumphum,
Aequorum iuxta decus, & nauale trophaeum,
Roſtra gerens niuea ſurgebat mole columna,
Exſuuias Marti, donumq. Duillius, alto
Ante omnes merſa Poenorum claſſe, dicabat.
Cui nocturnus honor, funalia clara, facerq.
Poſt epulas tibicen adeſt, caſtoſq. penates
Inſignis laeti repetebat murmure cantus.

Landesbibliothek Oldenburg

Statua praeterea illi impoſita eſt:de qua Plin.lib.xxxiv.cap.7. AD *meipſum reuertor*. ℈ Ad meipſum iam reuertar,ſexdecim:quorum unus,Reuerta3: alter,Reuertor.Reuertar,quattuor. SODALITATES ℈ τὰ συσσιτία. Sodalium enim erant epulae. quod ſequitur. Ariſt.in Pol.& apud Cretas, & apud Spartanos docet eas fuiſſe. ſic locutus Trogus lib.xxxvii. De ſodalicijs, & ſodalicijs epulis, Ariſt.in Polit.MAGNAE *Matris* ℈ quae Peſinunte antea ſimulacrum,ac templum habuerat. Sacris Idaeis,dixit, ab Ida, Phrygiae monte,unde etiam ipſa Idaea mater dicitur.Sicut Berecynthia,a Berecyntho,monte, uel opido, ubi colebatur. Cybele,a rotunditate,a cubo,ut Martiano Capellae,& Coelio Rhodig.placet Rhea,ἀπὸ τοῦ ῥέειν. Opis, quod opem ferat frugibus.Vide de ea Diodorum lib.iv.& Luc.lib.2. Quo modo Magnae Matris idolum Romam aduectum ſit, Liuius lib.xxix.Ouid.Faſt.iv.Silius lib.xvii.Plin.lib.xiix.cap.3. De aede illi in Palatio conſecrata Liuius lib.xxxvi.

Placet hoc loco ueteres quaſdam Inſcriptiones de Cybele adſcribere,non ingratas fortaſſe futuras.

In aedibus Cardinalis Caeſii.

M . D . M . I . ET . ATTINIS

Hic eſt ipſius Matris Deum ſimulacrum,quod a Leonibus uehitur,capite turrito,tympanum ſiniſtra, ſpicas dextra tenens.Adſtat Attis mitratus,barbaris caligis indutus, altera item tympanum,altera uero clauam tenens,ac pinui innixus.

L. Cornelius . Scipio . Oreitus
V . C . Augur . Taurobolium
Siue . Criobolium . Fecit .
Die . IIII . Kal. Mart.
Tuſco . & Anullino . COSS.

In dextro latere faces duae, cum crotalis annexis inſculptae ſunt . In ſiniſtro uero fiſtulae.

In Sancto Nicolao in Calcaria,retro Caeſarinos, in Ara grandi,in duas partes fiſſa.

ΜΗΤΕΡΙ ΤΗ.ΠΑΝΤΩΝ.ΡΕΙΗ.ΤΕΚΕΩΝ ΤΕ ΓΕΝΕΘΛΗ
ΑΤΤΕΙ.Θ.ΤΤΙ⊏ΤΩΙ.ΚΑΙ.⊏ΥΝΙΕΝΤΙ.ΤΟΠΑΝ
ΤΩΙ.ΠΑ⊏ΙΝ.ΚΑΙΡΟΙ⊏.ΘΕΜΕΡΩΤΕΡΑ.ΠΑΝΤΑ.ΦΥΟΝΤΙ
ΚΡΙΟΒΟΛΟΥ.ΤΕΛΕΤΗΣ.ΗΔΕΤΙ.ΤΑΥΡΟΒΟΛΟΥ
ΜΥ⊏ΤΙΠΟΛΛΟ⊏.ΤΕΛΕΤΩΝ.ΤΟΥΤΟΝ.⊏ΥΗΕΘΗΚΑΤΟ.ΒΩΜΟΝ
ΔΩΡΟΝ.ΑΠΟΛΛΩΝΟ⊏.ΘΕΙΟΝ.ΕΧΩΝ.ΕΠΙΚΛΗ-Ν.

Petronius Apollodorus . V . C .
Pontif . Maior . xv . viv . ſacr . fac.
Pater . Sacr . Dei . Inuicti . Mithrae
Taurobolio . Cirobolioq . percepTo
Vna . cum . R V F . Voluſiana . C . F . con
iuge . xvi . Kal . Iulias . D̄D . N̄N̄
Valentiniano . et . Valente . Avgg . iii . coss.
Aram . dicauit .

In dextro arae latere, Cybele turrita cum tympano a Leonibus uehitur. Prope pinus eſt, & ſubtus taurus.

In ſiniſtro latere mithratus Attis, bis cinctus,dextra Fiſtulas,& Crotala, ſiniſtra Pedum tenens. Superius eſt tympanum.A tergo ipſius ſtat Pinus, & ſub ea Aries. Subtus deinde Aries, ſeorſum. A tergo Arae,ſunt Taedae tranſuerſae. Lituus,Patera, Guttus, ſiue Vrceus,& ſympuuium.

Superiores uerſus Graeci ſic Latine redduntur.
Cunctorum Cybele genitrici hominumq. Deumq.
Excelſoq. Alti, quem nihil orbe latet.
Qui facit, ut pura celebremus mente quotannis
Crioboli feſtos, Tauroboliq. dies.
Qui cognomen habet de munere Apollinis, aram,
Sacrorum Antiſtes, marmoream hanc ſtatuit.

In

In Sancto Michaele in Vaticano.

Tertia huius generis ara sub altari quodam posita est; cuius prima facies, quae inscripta erat, contra parietem uersa est, atq. ideo legi nequit. In parte auersa, sunt Faces duae ardentes, ut supra, Lanx, Poculū, & Lituus, & aliud instrumentum, in formam Cochlearis.

In latere dextro, Pinus, sub qua Taurus: appendent Tympanum & Fistulae.

In latere sinistro, sub quo Aries: appendent, Mithra, Pedum, & aliud Lanci non absimile.

Et:

C I I M T

PATORIBus. Suis

Ceionius . Rufius . Volusi anus, V . C . et inlustris Ex . Vicario . Asiae ; et ; Ceio ni Rufi Volusiani V . C . et inlustris . Ex . Praefecto prae torio . et Praefecto . Vrbis Licecinae . Lollianae ; clarissi mae ; et . inlustris . Femine Deae . Isidis . Sacerdotis . Fil ie ; nato ; uiginti ; annis ; Exe eis . Tauroboliis VI . Aram constituit et consecrauit. X . Kal . IVN . D . N . Valen TINIANO . AVG . FIL . ET ; NEOTERIO

In latere dextro, Aries, sub Pinu, a qua Tympanum, Fistulae, & Crotala dependent.

In sinistro latere Bos, sub altera Pinu, a qua Pedum, & alia, & Fistulae dependent.

A longo Faces, ut supra: superne, Arietes quinque, singuli scilicet in singulis angulis, atq. unus in fronte, mactati iacent.

In domo Angeli Colotii, magna Ara, superiori similis, sed multo barbariori & sculptura, & scriptura.

M D M IDA ET A TTI DI MINOTVRANO.
NOBILISSI . . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
Et Venerandam . . . . . .

Augentur Meritis . Simbola Taurobolij

Ruf . Cacion Cae Sabini . . . . . .
Pul . Pr Q Pater sacror Inuict Methrae Taurobolinus
M D M L D et Attidis Minoturani et Aram . LIII ; id Marbo
Gratiano V . et Merobaude consulibus dedicabit
Antiqua Generose domo cui regia Vestae
Pontifici felix sacrato militat igne

Idem Augur triplicis cultor Venerande Dianae
Persidiciq. mithrae Antistes Babilonie templi
Tauroboliq. simul Magni Dux mistice sacrit.

In dextro latere, Bos, sub Pinu, e qua Fistulae, Mithra, Crotala & Pedum, pendent.

In sinistro latere, Aries, sub Pinu.

A tergo, Faces, & sertum.

Superne, Arietes quinque, ut supra.

Landesbibliothek Oldenburg

In arula reperta prope D. Mariae Trans Tib. in domo Piſtoris cuiuſdam.

Praeſentiae
Matris. Deum
P. Septimius
Felix
Ob coronam
Milleſimi
Vrbis anni

In Platea D. Petri, in Sacello Clau. Pontificis.

Dis magnis
Vlpius . Egnatius . Fauentinus
V.C. Augur. P V B.P.R.Q
Pater et Hieroceryx. D.S . M . I
Archibucolus . Dei . Liberi
Hierofanta . Hecatae Sa
cerdos . Iſidis . percepto
Taurobolio . Criobolioq.
Idibus . Auguſtis . DD . NN.
Valente . Aug . V . et . Valentinia
no . Augg . conss . feliciter
Vota . Fauentinus . bis . deni
ſuſcipit orbis
Vt . mactet . repetens . aurata
fronte bicornes

In dextro latere eſt Pinus, a qua Crotala, & Fiſtulae compactae pendent, & ſubtus adſtat Aries alligatus. In ſiniſtro latere, item Pinus, a qua Pedum, & Fiſtulae duae etiam pendent, & inferius Taurus adſtat.

In horto Carpenſi.

M D . M

I D

A T I L I A

N A

In Sancta Lucia in Silice, in capite Suburae.

D I S

Magnis
Matri . Deum . et Attidi . Se
xtilius . Ageſilaus . Aedeſius
V . C . Cauſarum . non . ignobi
lis . Africani . Tribunalis . ora
tor . et . in . conſiſtorio
Principum . item . Magiſte
r . libellorum . et . cognition
Sacrarum . Magiſter . Epiſtu
lar . Magiſter . Memoriae
Vicarius . Praefector . per
Hiſpanias . Vice . S . I . C . Pa
ter . Patrum . Dei . Solis . Inui
cti . Mithrae . Hierofanta
Hecatae . Dei . Liberi . Archi
bucolus . Taurobolio
Criobolioq. in . aeter
num . renatus . Aram . ſacra
uit . D̄D̄ . N̄N̄ . Valen
te . V . et Valentiano
Iun . Augg . conss . Idib
Auguſtis

In

In domo Podocatharorum, ad Cloacam D. Luciae.

Siluano . Dendrophoro . Sacrum

M. Poblicius. Hilarus. Margar. Q. Q. P. P. cum. liberIs
Magno. et. Hermoniano. DendrophorIs. M. D. M. de. suo. fect

In domo Cardinalis Caesii.

Qui. colitis. Cybelen. et. qui. Phryga. plangitis. Attin
Dum. uacat. et. tacita. Dyndima. nocte. silent
Flete. meos. casus. nón. est. alienus. in. illis
Hector. et. hoc. tumulo. Mygdonis. umbra. tegor
Ille. ego. qui. magnI. paruus. cognóminis. heres
Corpore. in. exiguo. res. numeróса. fui
Flectere. doctus. equos. nitida. certare. palaestra
Ferre. iocos. astu. fallere. nosse. fidem.
At. tibi. dent. superi. quantum. Domitilla. mereris
Quae. facis. exigua. ne. iaceamus. humó

SED *erat quidam feruor aetatis*; ℈ Sed erat quidem feruor aetatis, tredecim. Sed erat tum quidem feruor aet. unus. Sed erat tunc quidam feruor aet. duo. Sed erat feruor aet. unus. Sed erat quidam aetatis feruor, tres. Sed quidam feruor aet. unus. MITIORA. ℈ ut poma. BENE *enim maiores* ℈ sex addunt, Nostri. ACCVBATIONEM ℈ Accubitionem, legit Nonius. & ita est in duobus meis. CONVIVIVM ℈ lib. IX. Fam. in epistola ad Paetum. Macrob. Sat. lib. I. cap. I. TEMPESTIVIS *quoque conuiuijs delector*, ℈ Quoque, abest a quattuor meis. *Tempestiuis quoque conuiuijs delector*: Tempestiuis, ad modum temporis pertinet, quae nec ante inciperent, nec serius desinerent, quam opus erat, laeta quidem, sed moderata, quibus Catonem censorium, grauem, & sapientem uirum, extrema senectute, aliosq. bonos uiros accumbere turpe non esset. nam, quae in mulctam noctem producerentur, intempestiua dicebantur. Pro Archia: Quis tandem me reprehendat, si, quantum alij tribuunt tempestiuis conuiuijs, quantum aleae, quantum pilae, tantum mihi egomet ad haec studia recolenda sumpsero? Ad Att. ep. I. lib. IX. Audio, bonis uiris hanc cunctationem nostram non probari, multaq. in me, & seuere in conuiuijs tempestiuis quidem disputari. Ibidem, ep. XI. Viris bonis me non nimis excuso. quas enim eos cenas & facere, & obire, scripsit ad me Sextus? quam lautas? quam tempestiuas? In Verrem lib. III. Statuitur Lollius in illo tempestiuo gladiatorum conuiuio. Pro Murena: Nemo fere saltat sobrius, nisi forte insanit, & neque in solitudine, neque in conuiuio moderato, atque honesto. tempestiui conuiuij, amoeni loci, multarum deliciarum comes est extrema saltatio. Tacitus lib. XI. Claudius, domum regressus, & tempestiuis epulis delenitus, ubi uino incaluit, iri iubet, nunciariq. miserae, dicendam ad causam postera die adesset. Idem lib. XIIX. Legati, tribuniq. ex moribus imperatorum, seueritatem aemulantur, uel tempestiuis conuiuijs gaudent. perinde miles intentus, aut licentior. Intempestiua, contrario sensu, dixit Curtius lib. VI. Vt primum instantibus curis laxatus est animus, militarium rerum, quam quietis, otijq. patientior, excerpere eum uoluptates, &, quem arma Persarum non fregerant, uitia uicerunt. intempestiua conuiuia, & perpotandi, peruigilandiq. insana dulcedo, ludiq. & greges pellicum, omnia in externum lapsa sunt morem. Et infra: Cum intempestiuis conuiuijs dies pariter noctesq. consumeret, satietatem epularum ludis interpolabat. Suetonius quoque in Caligula, Senatum, inquit, populumq. grauissimo obiurgauit edicto, quod, Caesare proeliante, & tantis discriminibus obiecto, intempestiua conuiuia circum & theatra, & amoenos secessus celebrarent. Nemo igitur, ut puto, dubitauerit, quin Tempestiuis conuiuijs opponantur Intempestiua; & haec in malam, illa in bonam partem accipiantur. alioqui contraria non essent. Quod si tempestiua probantur: sine dubio locus pro Murena iam recitatus emendationem requirit. ibi enim, Tempestiuum conuiuium, ut moderato, atque honesto contrarium, ponitur. itaque sententiam, ipsamq. uocabulorum uim secutus, malim legere, Intempestiui conuiuij. Similiter ad Atticum: Quam lautas? quam intempestiuas? non, Tempestiuas. Nam in Verrem: In illo tempestiuo gladiatorum conuiuio: ironia est, pro, minime tempestiuo. Ac uereor, ne duo Taciti loca labes eadem inquinauerit. de quo homines eruditi iudicabunt. Locus quidem hic in Catone, cuius occasione tam multa diximus, mendo uacat. & uerbum, Quoque, hoc significat: quam uis hilariora sint, nec censorium fortasse hominem satis decere uideantur. itaque recte licet dicere, tempestiuis in conuiuijs hilaritatem quidem esse, immodicas tamen potationes, & cetera, quibus intempestiua non carent, abesse. QVI *pauci iam admodum restant*, ℈ Iam, non est in octo. HABEO *senectuti magnam gratiam*, ℈ tantum abest, ut incusem. BELLVM *indixisse* ℈ renunciasse. NATVRALIS *motus*: ℈ Modus, undecim. Mous, duo. MAGISTERIA ℈ συμποσιαρχίαι. unde Magister conuiuij, συμποσίαρχος: non is, qui conuiuas inuitat, qui συμποσίου ἄρχων dicitur, sed qui in cõmuni conuiuio uel sorte, uel suffragio electus, conuiuium administrat. Pollux lib. VI. cap. I. Vide Horatium Od. 4. lib. I. qui uocat Regnum uini. ibiq. Acronem, & Porphyrionem: qui Ἀρχιποσίαν appellant, quasi principatum bibendi. A SVMMO *magistro* ℈ Lambinus delet, Magistro, sine caussa. Dicebantur antiquitus

Modipe-

Modiperatores, quasi modum imperantes. Varro lib. xx. rerum humanarum, apud Nonium. Athenaeus lib. x. scribit eos a Graecis etiam οἰνόπτας, & ὀφθαλμοὺς dici. ADHIBETVR *in poculo*; § more, ut opinor, a Graecis deducto. nam Laertius επικυλικίας ἐξηγήσεις, ideſt, habitas in poculo narrationes, in Arceſila nominat: Athenaeus autem ἐπικυλικίου λόγους. quod enim, In poculo, Cicero dixit, Plutarchus, ἐπὶ κύλικι, ut in Caeſare: Λόγον ἐπὶ τῇ κύλικι πρεύθηκε, τὶς ἄριστος ἀνθρώπω θάνατος. Ponebat igitur ſummus conuiuij magiſter, qua de re ſermonem haberi uellet in poculo: eaq. ipſe de re primus omnium conuiuarum diſputabat. Hunc morem Octauianus Ferrarius in pulcherrimo, uereq. aureo de diſciplina Encyclio libello, & primus, & erudite admodum oſtendit. In poculis, quattuor. ET *pocula, ſicut in Sympoſio Xenophontis, minuta, atque rorantia*; § Rorantia pocula uocat, quae uini parum capiunt: non ut impleant conuiuas ad ſatietatem, & plane ſitim exſtinguant, ſed ut leuiter tamquam irrorare uideantur. quod ſit paruis poculis, quae Minuta dixit: quod Xenophon, Μικραῖς κύλιξι. & quod Cicero, Rorantia, ille, Επιψεκάζωσιν, hoc tantum differunt, quod Cicero, Pocula rorare, Xenophon Pueros ait poculis irrorare. quod tamen idem eſt. actionem enim ad inſtrumentum transferri, nihil habet incommodi, neque id ſermonis conſuetudo reſpuit. Athenaeus lib. xi. locum Xenophontis recitat. REFRIGERATIO *aeſtate*, § Refrigeratio in aeſtate, octo. IN *Sabinis* § ubi uillam habuit, ſimpliciter, & rudi forma aedificatam. Plutarchus. CONVIVIVMQ. *uicinorum* § nam Menſam maxime amicorum parentem, ac procreatricem exiſtimauit. Plutarchus. COMPLEO; § Complector, eſſe in uetere libro, ſcripſerunt eruditi uiri. VARIO *ſermone* § Qualis conuiuiorum ſermo eſſe debeat, uide Plut. in Cleomene. IAM *affecto aetate*, § ſic malo, quam, quod alij, Confecto aetate: ut extrema ſenectus non oſtendatur: cum de media loquatur. Valerius Max. lib. IV. cap. 3. hanc ipſam hiſtoriam recitans, Aetate iam ſenior, dixit. (Vide & Plut. de rep. a ſenibus adminiſtranda.) Confirmant opinionem meam nouem ex meis libris. Iam confecto aetate, unus. Aetate iam affecto, unus. Effecto aetate, tres. Effeto aetate, duo. Efeto aetate, unus. Affecta aetate, unus. Effect aetate, unus. Iam quidem confecto aetate, unus. Iam affectato, unus. DIC: *meliora*, § quod, inſpectis Platone Polit. I. & Plutarcho in Catone maiore, mihi placebat, ut legeretur, Dic meliora, non, Dij meliora, cum in Graeco ſit, Εὐφύμει, uel, Εὐφύμησον: id octo meorum librorum comprobari auctoritate, mirabiliter gaudeo. ſic itaque imprimi uolui. Similiter Comici poetae dicunt: Bona uerba, quaeſo. Non negauerim, Dij meliora, uſitatum fuiſſe, nec aduerſari ſententiae: ſed Graeco uerbo, quod hic Cicero uertit, non reſpondet. Phil. x. Dij meliora, inquies. Dij uero meliora, unus. HOC *ego, non deſiderare*, § Τὸ, Ego, non eſt in duobus. Ergo, non deſiderare, tres. Ergo hoc non deſiderare, nouem. Ergo haec non deſiderare, quattuor. Ergo non deſiderare qꝯ, unus. DICO *eſſe iucundius*. § Dico eſſe iucundius, quam frui, tres. Dico iucundius, quam deſiderare, unus. Ex qua uarietate perſpicue apparet, omnia eſſe gloſſemata. Τὸ, Eſſe, non eſt in duobus.

CICERO

QVOD *ſiſtis ipſis uoluptatibus bona aetas fruitur libentius: primum paruulis fruitur rebus, ut diximus; deinde ijs, quibus ſenectus, ſi non abunde potitur, non omnino caret. ut Turpione Ambiuio magis delectatur, qui in prima cauea ſpectat; delectatur tamen etiam, qui in ultima: ſic adoleſcentia, uoluptates prope intuens, magis fortaſſe laetatur; ſed delectatur etiam ſenectus, procul eas ſpectans, tantum, quantum ſat eſt. At, illa quanti ſunt, animum, tamquam emeritis ſtipendijs libidinis, ambitionis, contentionis, inimicitiarum, cupiditatum omnium, ſecum eſſe, ſecumque, ut dicitur, uiuere? ſi uero habet aliquod tamquam pabulum ſtudij, atque doctrinae, nihil eſt otioſa ſenectute iucundius. Mori uidebamus in ſtudio dimetiendi paene caeli, atque terrae Gallum, familiarem patris tui, Scipio. quoties illum lux, noctu aliquid deſcribere ingreſſum, quoties nox oppreſſit, cum mane coepiſſet? quam delectabat eũ, defectiones ſolis, & lunae multo nobis ante praedicere? Quid in leuioribus ſtudijs, ſed tamen acutis? quam gaudebat bello ſuo Punico Naeuius? quam Truculento Plautus? quam Pſeudolo? uidi etiam ſenem Liuium: qui, cum ſeptem annis ante, quam ego natus ſum, fabulam docuiſſet, Centhone, Tuditanoq. conſulibus, uſque ad adoleſcentiam meam proceſſit aetate. Quid de P. Licinij Craſſi & pontificij, & ciuilis iuris ſtudio loquar? aut de huius P. Scipionis, qui his paucis diebus pontifex maximus factus eſt? atque eos omnes, quos commemoraui, his ſtudijs flagrantes ſenes uidimus. M. uero Cethegum, quem recte ſuadae medullam dixit Ennius, quanto ſtudio exerceri in dicẽdo uidebamus etiam ſenem? Quae ſunt igitur epularum, aut ludorum, aut ſcortorũ uoluptates cum his uoluptatibus comparandae?*

EXPLANATIO

BONA *aetas* § adoleſcentia. Contra, Mala aetas, ſenectus. Vide Nonium. Sic Demoſthenis interpres: Ἥλικία ἐπὶ τῶν νεωτέρων ἐξαιρέτως. ἐν αὐτῇ γὰρ πάντα δυνάμεθα πράττειν. PARVVLIS § ſic omnes mei, duobus exceptis, in quibus, Paruis. Lambinus, Prauis. TVRPIONE *Ambiuio* § nominatur a Tacito in dialogo de oratoribus. CAVEA § theatro. Virg. IIX.

Conſeſſu caueae magnis Circenſibus actis.

Cauea, temporaneum theatrum. SPECTAT, § deeſt in uno. DELECTATVR *tamen etiam*, § Delectatur & tamen, unus. τὸ, Delectatur, non eſt in quattuor. Delectabitur, unus. VOLVPTATES *prope intuens*. §

intuens, ℈ Nonius legit, Propter: quem sequi non placuit: tum quia ueteres omnes libri, Prope, habent; tum etiam, quod Propter non accipitur absolute, sed semper cum accusandi casu iungitur: ut in omnibus exemplis. hic autem poneretur absolute, contra consuetudinem. Lib. I. de Rep. Eum quoque ut salutauit, propter Tuberonem iussit assidere. In Pisonem: Mihi hic uir clarissimus, qui propter te sedet, L. Gellius. Sallustius, Catilina: Ipse cum liberis, & colonis propter Aquilam assistit. EAS *spectans*, ℈ Aspectans, unus. Ea, duo. το Eas, deest in duobus. Eam, duo; & supra Voluptatem, iidem duo. LIBIDINIS, ℈ in adolescentia. AMBITIONIS, ℈ in uirili aetate. CONTENTIONIS, *inimicitiarum*, ℈ in reip. administratione. CVPIDITATVM *omnium* ℈ tota uita. CONTENTIONIS, ℈ Contentionum, decemnouem. GALLVM, ℈ Sulpicium Gallum. lib. I. & in Laelio, in extremo: Liuius lib. XLIV. Plut. in Paullo Aemilio, Val. lib. IIX. cap. II. Plin. lib. 2. cap. 12. Quinctil lib. I. cap. 17. Caium, unus. PATRIS *tui*, ℈ Paulli: cuius in exercitu, bello Macedonico, tribunus militum fuit. Liuius lib. XLIV. IN *leuioribus studijs*, ℈ Poeticam Mathematicis post habet. PLAVTVS? ℈ uixit igitur Catonis aetate. LIVIVM ℈ Andronicum. SEPTEM *annis ante*, ℈ Sex annis ante, quindecim. Ita emendandum in Bruto, & in Tusc. CRASSI ℈ hic est Crassus Mucianus Diues. lib. I. & III. de Or. P. SCIPIONIS, ℈ hic est Scipio Nasica Corculum. de quo pont. max. lib. III. de Or. M. VERO *Cethegum*, ℈ uide lib. de claris orat. SVADAE *medullam* ℈ πειθῶ, in Bruto. τὴν τύραννον τῶν φρενῶν, Euripides. Suadelam, Horatius:

Sed bene nummatum decorat Suadela, Venusque.

Sunt autem hi uersus Ennij apud Cic. in Bruto:

--dictus ollis popularibus olim,
Qui cum uiuebant homines, atque aeuum agitabant,
Flos delibutus populis, & Suadae medulla.

Vide Politianum Miscell. cap. XCI.

CICERO

ATQVE *haec quidem studia doctrinae prudentibus, & bene institutis pariter cum aetate crescunt: ut honestum illud Solonis sit, quod ait uersiculo quodam, ut ante dixi, senescere se multa in dies discentem: qua uoluptate animi nulla certe potest esse maior. Venio nunc ad uoluptates agricolarum: quibus ego incredibiliter delector: quae nec ulla impediuntur senectute, & mihi ad sapientis uitam proxime uidentur accedere. habent enim rationem cum terra; quae numquam recusat imperium, nec unquam sine usura reddit, quod accepit, sed alias minore, plerumque maiore cum fenore. quamquam me quidem non fructus modo, sed etiam ipsius terrae uis, ac natura delectat. quae cum gremio mollito, ac subacto sparsum semen excepit, primū id occaecatū cohibet; ex quo occatio, quae hoc efficit, nominata est: deinde tepefactum uapore, & cōplexu suo diffundit, & elicit herbescentem ex eo uiriditatem: quae, nixa fibris stirpium, sensim adolescit, culmoq. erecta geniculato, uaginis iam quasi pubescēs muluditur: ex quibus cum emersit, fundit frugem, spicae ordine structam, & contra auium minorum morsus munitur uallo aristarum. Quid ego uitium satus, ortus, incrementa, commemorem? satiari delectatione non possum: ut meae senectutis requietem, oblectamentumq. noscatis. Omitto enim uim ipsam omnium, quae generantur e terra, quae ex fici tantulo grano, aut ex acino uinaceo, aut ex ceterarum frugum, ac stirpium minutissimis seminibus tantos truncos, ramosque, procreat: malleoli, plantae, sarmenta, uiuiradices, propagines non ne ea efficiūt, ut quemuis cum admiratione delectent? uitis quidem, quae natura caduca est, nisi sulta est, fertur ad terram; eadem, ut se erigat, clauiculis suis, quasi manibus, quidquid est nacta, complectitur: quam, serpentem multiplici lapsu, & erratico, ferro amputans coercet ars agricolarum, ne siluescat sarmētis, & in omnes partes nimia fundatur. itaque ineunte uere, in ijs, quae relicta sunt, exsistit tamquam ad articulos sarmentorum ea, quae gemma dicitur: a qua oriens una se ostendit: quae & succo terrae, & calore solis augescens, primo est peracerba gustatu; deinde maturata dulcescit; uestitaq. pampinis nec modico tempore caret, & nimios solis defendit ardores: qua quid potest esse cum fructu laetius, tum aspectu pulchrius? cuius quidem non utilitas me solum, ut ante dixi, sed & cultura, & natura ipsa delectat, adminiculorum ordines, capitum iugatio, religatio, & propagatio uitium, sarmentorum ea, quam dixi, aliorum amputatio, aliorum immissio. Quid ego irrigationes, quid agri fossiones, repastinationesq. proferam, quibus fit multa terra fecundior? Quid de utilitate loquar stercorandi? dixi in eo libro, quem de rebus rusticis scripsi: de qua doctus Hesiodus ne uerbum quidem secit, cum de cultura agri scriberet. at Homerus, qui multis, ut mihi uidetur, ante saeculis fuit, Laertem, lenientem desideriū, quod capiebat e filio, colentem agrum, & eum stercorantem facit. Nec uero segetibus solum, & pratis, & uineis, & arbustis res rusticae laetae sunt, sed hortis etiam, & pomarijs, tum pecudum pastu, apum examinibus, florum omnium uarietate. nec consitiones modo delectant, sed etiam insitiones: quibus nihil inuenit agricultura sollertius.*

EXPLANATIO

PRVDENTIBVS, *& bene institutis* ℈ Isocrate in Nicocle. AD *sapientis uitam proxime uidentur accedere.* ℈ Columella, Rem rusticam ceteris uiuendi rationibus praeferens, proxime sapientiam locat, eiusq. quasi consangu ineam facit. HABENT *rationem cum terra*; ℈ est illis negotium cum terra, id est, a

Landesbibliothek Oldenburg

terra pendent.ep.5.ad Att.lib.2. IMPERIVM, ℥ Impendium, legendum putabat Pater. ut ad Att. lib. VI.ep.1. & in Bruto.& Varro lib.IV. Vsura, inquit, quod in sortem accedebat, Impendium appellatum. GREMIO *mollito.ac subacto* ℥ compresso. SPARSVM *semen excepit*, ℥ Accepit, quinque. Acceperit, unus. Accipit, quinque. Recipit, duo. Excipit, unus. OCCAECATVM ℥ ita legendum. & ita uidetur Nonius legisse. COMPLEXV *suo* ℥ Compressu, undecim. Compressum, septem, mendose. Cum pressu, unus, mendose. Comprehensum, unus, mendose. Oppressu, unus. ELICIT &c. ℥ uide, quam eleganter ea, quae ad agriculturam pertinent, explicet: cum Latinae orationis facultatem, quocumque uellet, ingenij praestantia, traduceret. CVLMOQ. ℥ Calamoque, apud Nonium. sed glossa est ad, Culmo. sic enim interpretatur Seruius Georg.1.Culmus, inquit, dicitur ipse calamus. VAGINIS *iam quasi pubescens* ℥ uide Varr.lib.1.cap.48. EMERSIT, ℥ Emerserit, sexdecim. FRVGEM, *structam*, ℥ Fruges, Structas, in Nonio. SPICAE ℥ Spici, legit Nonius. quo modo est in quattuor meis. In Arato. Et Varro Lege Maenia: Neque in bona segete nullum est spicum nequam, neque in mala non aliquod bonum. MORSVS ℥ Morsum, decem. MVNITVR *uallo aristarum*. ℥ Plin.lib.XIIX. cap.7. REQVIETEM, ℥ sic legit Priscianus lib.VI.sicq.est in duobus meis. Quietem, sex. Reliqui, Requiem. EX *acino uinaceo*, ℥ Vinacio, tres. Vinatico, duo. Vineacco, duo. Ex acino uinacei, legit Langius. MALLEOLI, ℥ nouelli palmites, innati prioris anni flagello. Colum.lib.III.cap.6. Plin.lib.XVII.cap.21. PLANTAE, ℥ surculi recens consiti. SARMENTA, ℥ non inutilia putamina, & quae a uitibus tamquam superflua ligna secantur. VIVIRADICES, ℥ φυτευτήρια, ideſt plantulas cum sua radice in aliud solum translatas. Vites, radices, omnes; uno excepto, in quo, Radices, uites. Alias, Vites traduces. VT *quemuis cum admiratione delectent*? ℥ sic omnes mei, duobus exceptis, in quibus ?ò Cum non legitur. CADVCA ℥ ad casum prona. CLAVICVLIS ℥ Clauiculas, fem.gen. dixit Plinius prooemio lib.XXIII. QVASI *manibus*, ℥ quia habet & brachia, & capita, & cornua. NE *silueſcat* ℥ Columella lib.V. Me longus docuit usus, multo utilius esse primo quoque tempore falcem uiribus admouere, nec superuacaneis pati silueſcere: sed eam quo que, quae primo summittetur, materiam ferro coercendam censeo, usque in alteram, uel tertiam gemmam, quo robustiores palmites agat. INEVNTE *uere*, ℥ Virg.Ge.II.

Parturit almus ager, Zephyriq. tepentibus auris
Laxant arua sinus, superat tener omnibus humor,
Inq. noues soles audent se gramina tuto
Credere, nec metuit surgentes pampinus austros,
Aut actum caelo magnis aquilonibus imbrem:
Sed trudit gemmas, & frondes explicat omnes.

Ouid. Fast.1.

Omnia tunc florent, tunc est noua temporis aetas,
Et noua de grauido palmite gemma sumet.

Et IV.

Nec Veneri tempus, quam uer erat, aptius ullum.
Vere nitent terrae, uere remissus ager.
Nunc herbae rupta tellure cacumina tollunt,
Nunc tumido gemmas cortice palmes agit.

SE *ostendit*: ℥ Sese, quattuordecim. GVSTATV; ℥ Gustata, unus. Gustanti, unus. Gustu, alias. *Per acerba gustatu*: Theophr.de causis plant.lib.VI.cap.7. Plin.lib.XV.cap.27. sapores, omnibus succis communes, tredecim numerat. NIMIOS *solis defendit ardores*: ℥ Sic dicebant, Litus mare defendit; pro, arcet. Et Ennius Achille: Serua ciues, defende hostes, cum potes defendere. Vide & Agellium de, Defendere. CVM *fructu taetius, tum adspectu pulchrius*? ℥ Varro lib.1. cap.4. de Agricolis: Vtilitas quaerit fructum, uoluptas delectationem. ADMINICVLORVM *ordines*, ℥ uide Columellam lib.V.cap.2.& 3. CAPITVM *iugatio*, ℥ Coniugatio, tredecim. Vide Columellam lib. IV.cap.16.& Plin.lib.XVII.cap.22. RELIGATIO, ℥ alligatio. Cato cap.33. Alligatoq. recte, dum ne nimium constringas. Vide Columellam lib. IV.cap.13.& 20. Palladium cap.20. Februarij, Plin.lib.XVII. cap.23. PROPAGATIO *uitium*, ℥ Cato cap.32. Columella lib.IV.cap.15.& de arboribus cap.7. Pallad.in Febr.cap.16. De propagine, uide Plin. lib. XVII.cap.13. AMPVTATIO, ℥ huc Pampinatio quoque referenda. Columella lib.IV. Palladius tit. 15. Febr. IMMISSIO. ℥ hoc fit, quando uirga edita a matre sulco committitur. uide Columellam, cap. de Arboribus 7. IRRIGATIONES, ℥ Riguis uites ali, scribit Plinius lib.XVII.cap.26. Sed haec dicta in genere. AGRI *fossiones*, ℥ hoc est, scrobes, & ablaqueationes. de fossura Columella de arboribus cap. 12. REPASTINATIONESQ. ℥ Columella lib.III.cap.13.15.& 16.& lib.XI. cap.2. STERCORANDI? ℥ Cato cap.5.29.& 36. Theophrastus lib.III. Columella lib.2.cap.17. Plin.lib.XVII.cap.27.& lib.XIIX.cap.23. QVEM *de rebus rusticis scripsi*: ℥ qui nunc exstat. HOMERVS, *qui multis, ut mihi uidetur, ante Jaeculis fuit*, ℥ est in hoc aliqua controuersia. uide Agellium lib.III.cap.XI.& lib.XVII.cap.21. Plinio lib.VII. Solinum cap.53. Velleium lib.1. Dionem Chrysostomum in principio orat. de Regno, Ciceronem Tusc.1. Tzetzem in Lycophronem & D.Cyrillum in libro contra Iulianum Apostatam primo. Seneca inutile putat, quaerere, Homerus ne, ac Hesiodus antiquior sit. Plutarchus in oratione Consolatoria Hesiodum Homero, ut existimatione, ita aetate posteriorem facit. DOCTVS *Hesiodus* ℥ humanae uitae optimus consultor. Isocrates. LAERTEM *colentem agrum, & eum stercorantem facit*. ℥ Homerus od.ω. non stercorantem, ἀλλὰ λισρεύοντα, καὶ ἀμφιλαχαίνοντα τὸ φυτὸν, ideſt, purgantem, & ablaqueantem arbores,

inducit

inducit Laertem. Agros tamen Troiano saeculo a priscis illis stercoratos indicat Odyss. e.

—ὄφρ' ἄν ἄγοιεν
δ μῆες ὀδυσσῆος τέμενος μέγα κοπρήσαντες.

Quam ab ijs curam ideo praetermissam, falso asseruerunt nonnulli, quod salubritati potius, quam fertilitati, & copiae, consulerent. NEC *uero &c.* ℈ rei rusticae partes, segetes, prata, uineae, arbusta, horti, apum examina. PECVDVM *pastu*, ℈ Virg. Ge. III. Columella lib. III. & VII. APVM *examinibus*, ℈ Virg. Ge. IV. Plin. lib. XI. cap. 5. Varro de re rust. lib. III. cap. 16. Columella lib. X. a cap. XI. ad finem libri, Palladius lib. 4. cap. 37. & lib. V. cap. 8. Arist. de nat. anim. lib. V. cap. 21. & 22. Quinctil. declam. pro paupere contra diuitem. *Examinibus, florum &c.* ℈ unus addit, Tum. alius, Et. CONSITIONES, *insitiones*: ℈ Constitutiones, Institutiones, male legit Nonius. AGRICVLTVRA ℈ Agricoltura, unus. Agri cura, unus. Cultura agri, duo.

CICERO

POSSVM *persequi multa oblectamenta rerum rusticarum: sed ea ipsa, quae dixi, fuisse sentio longiora. ignoscetis autem. nam & studio rerum rusticarum prouectus sum; & senectus est natura loquacior: ne ab omnibus eam uitijs uidear uindicare. Ergo in hac uita Man. Curius, cum de Samnitibus, de Sabinis, de Pyrrho triumphasset, consumpsit extremum tempus aetatis. cuius ego uillam cõtẽplans, (abest enim non longe a mea) admirari satis non possum uel hominis ipsius cõtinentiam, uel temporum disciplinam. Curio, ad focum sedenti, magnum auri pondus Samnites cum attulissent, repudiati ab eo sunt. non enim, aurum habere, praeclarum sibi uideri dixit, sed ijs, qui haberent aurum, imperare. poterat ne tantus animus non efficere iucundam senectutem? Sed uenio ad agricolas; ne a me ipso recedam. In agris erant tunc senatores, ideſt senes; siquidem aranti L. Quinctio Cincinnato nunciatum est, eum dictatorem esse dictum, cuius dictatoris iussu, magister equitum C. Seruilius Ahala Sp. Melium, regnum appetentem, occupatum interemit. a uilla in senatum accersebantur & Curius, & ceteri senes: ex quo, qui eos accersebant, uiatores nominati sunt. num igitur eorum senectus miserabilis fuit, qui se agricultione oblectabant? mea quidem sententia, haud scio, an ulla possit esse beatior uita; neque solum officio, quod hominum generi uniuerso cultura agrorum est salutaris; sed & delectatione, quam dixi, & saturitate, copiaq. rerum omnium, quae ad uictum hominum, ad cultum etiam deorum pertinent. Et, quoniam haec quidam desiderant, in gratiam iam cum uoluptate redeamus. semper enim boni, assiduiq. domini referta cella uinaria, olearia, & penaria est: uillaq. tota locuples est: abundat porco, haedo, agno, gallina, lacte, caseo, melle. iam, hortum ipsi agricolae succidiam alteram appellat. conditiora facit haec superuacaneis operis aucupium, atque uenatio. Quid de pratorum uiriditate, aut arborum ordinibus, aut uinearum, olietorum ue specie dicam? breui praecidam. agro bene culto nihil potest esse nec usu uberius, nec specie ornatius: ad quẽ fruendum non modo non retardat, uerum etiam inuitat, atque allectat senectus. ubi enim potest illa aetas aut calescere uel apricatione melius, uel igni, aut uicissim umbris, aquis ue, refrigerari salubrius? Sibi habeant igitur arma, sibi equos, sibi hastas, sibi clauam, & pilam, sibi natationes, atque cursus; nobis senibus, ex lusionibus multis, talos relinquant, & tesseras: id ipsum, utrum lubebit: quoniam sine his beata esse senectus potest.*

EXPLANATIO

IGNOSCETIS *autem*. ℈ Ignosces autem, unus. Ignoscite autem, unus. Ignoscatis autem, unus. Ignoscetis autem, Laeli, & Scipio, quattuor. SENECTVS *est natura loquacior*: ℈ Aristot. II. Rhet. ad Theod. caussam reddit, quod senes, quia memoria magis uigeant, quam spe longioris uitae fulti uiuant, propterea plus quoque uoluptatis in anteactae uitae rebus commemorandis ponant. NE *ab omnibus eam uitijs uidear uindicare*. ℈ nam nulla aetas suis uitijs caret, ut nec mortalium quisquam. sed optimus ille, qui minimis urgetur. *Vindicare:* trahere, liberare. Nonius. M' CVRIVS, ℈ Plut. in Catone, Aug. lib. V. cap. 18. DE *Samnitibus*, ℈ Florus Epit. XI. & XIV. Florus lib. I. cap. 18. haud ullum ante pulchriorem in urbem, aut speciosiorem triumphum intrauisse testatur: cum nihil libentius populus R. adspexerit, quam illas, quas timuerat cum turribus suis, belluas. CVIVS *ego uillam* ℈ quae nullo sumptu, nullo ornatu exstructa erat. (ABEST *enim non longe a mea*) ℈ A me, decemseptem. HOMINIS *ipsius continentiam*, ℈ cum enim Italia Pyrrhum exegisset, nihil ex regia praeda attigit. Cumq. senatus, exactis regibus, plebi septena iugera, sibi quinquaginta assignasset, noluit popularis assignationis modum excedere. parum idoneum, siue, ut Plinius ait, perniciosum reip. ciuem existimans, qui eo, quod reliquis tribueretur, contentus non esset. Val. lib. IV. cap. 3. Plin. lib. XIIX. cap. 3. Columella in Praefatione, & lib. I. cap. 3. Plut. in Apophthegm. Rom. *Hominis ipsius continentiam:* quae priuatae naturae, & educationi, & industriae cuiusque adscribitur. TEMPORVM *disciplinam*. ℈ multum enim refert, in quae tempora cuiusque uirtus incidat. TEMPORVM *disciplinam:* quibus ab imperatoribus agri colebantur, gaudente terra uomere laureato, & triumphali aratore. Plinius. Vel, *Temporum disciplinam*, ideſt, temporum obseruationem, quam sine lumine animi, & sine exquisitissimis disciplinis non potest quis habere. Columella, & Agell. lib. X. cap. XI. CVRIO *ad focum sedenti &c.* ℈ lib. III. de Rep. apud Nonium: Cuius etiam focum Cato ille noster, cum uenerat *ad se* in Sabinos, ut ex ipso audiebamus, uisere solebat; *apud* quem sedens, Samnitum, quondam ho

Landesbibliothek Oldenburg

ſtium,tum iam clientium ſuorum,dona relegauerat,(ideſt,remiſerat.) Et de uir.ill.& Athenaeus lib. x. REPVDIATI *ab eo ſunt*. ℈ in nullo uetere libro leguntur illa, Ab eo. NE *a me ipſo recedam*. ℈ Sic omnes mei: uno excepto, in quo, Vt a me ipſo non recedam. L. QVINCTIO *Cincinnato* ℈ ore nudo, plenoq. etiamnum pulueris. Liu.lib.III. Dionyſ.Halic.lib.x.de uir.ill.cap.17.Plin.lib.XIIX. cap.3. & Columella in Praefatione. C.SERVILIVS *Ahala* ℈ Liuius lib. IV. Ahala, non eſt in quinque. OCCVPATVM *interemit*. ℈ oppreſſum ante,quem perficeret id,quod cogitabat. Elegans,nec tamē ſatis notum,loquendi genus. Alibi,Occupaui te fortuna. Et lib.III.de Rep.apud Lactantium: Quid, ſi uita eius in periculum ueniet,ut eum aliquando neceſſe ſit aut occupare,aut mori.(ideſt,praecipere,praeuenire.) VIATORES *nominati ſunt*. ℈ idem Columella in Praefatione.Liuius, & Dionyſius Legatos miſſos ſcribunt, Florus Lictorem. AGRI *cultione oblectabant?* ℈ ſic nouem.Agricolatione,duo. Agriculturae, unus. Agricultura,unus.Delectabant,octo. Agri delectatione delectabant,unus.Obſectabant,undecim. Oblectabantur,duo. HAVD *ſcio, an ulla beatior poſſit eſſe*; ℈ Sic ſex mei. Haud ſcio, an ulla aetas poſsit eſſe beatior, duo. Haud ſcio,an ulla poſsit eſſe beatior uita,ſeptem. Haud ſcio,an nulla uita beatior eſſe poſsit, unus. Haud ſcio,an res ulla beatior eſſe poſsit,unus. Haud ſcio,an ulla beatior ſit,& poſsit eſſe uita, unus. Haud ſcio,quod nulla uita poſsit eſſe beatior hac,unus. Haud ſcio,an ulla aetas beatior poſsit,unus. Haud ſcio,an illa beatior poſsit eſſe,unus.Haud ſcio,hac an ulla uita beatior poſsit eſſe, Lambinus. Ego impreſſam lectionem probo. nam ex uarietate, quae apparet in ueteribus libris, Res, Vita, Aetas, conſtat omnia eſſe gloſſemata. AD *cultum etiam deorum* ℈ nam primitias profert, & uictimas ſuppeditat. Xenophon in Oecon. *Ad cultum etiam deorum*: Sic quattuordecim.Et ad cultum etiam deorum, tres. Et cultum etiam deorum,unus.Cultumq. deorum,unus.Ad cultum deorum,unus. BONI, *aſſiduiq. domini* ℈ unde, Domini oculus. Vide & Agellianum apologum de Caſsita. CELLA *uinaria, olearia,& penuaria eſt*: ℈ Etiam,quinque.Etiam,&,unus.Mellaria,addunt poſt To, Olearia,duo libri.Neq. Et,neq. Etiam,unus.Poſt Vinaria,eſt Mellaria,in duobus.Mellearia,eſt in Lamb. *Penuaria*: Penaria etiam dicitur.Pecuaria,unus. Pomaria,unus.Panaria,duo. VILLAQ. *tota locuples eſt*: ℈ Locuples,qui pleraque loca, hoc eſt multas poſſeſsiones tenet.Agellius lib.x.cap.5.Plin.lib.XIIX.cap.3.Caius in l.quos nos,ff.de orig.iuris. *Villa locuples*: de uillae poſitione uide Columellam lib. I. cap. 6. SVCCIDIAM *alteram* ℈ ſuillae carnis fruſtum,ut perna,petaſo.Varro lib.2.de re ruſt.& IV.de L.Lat. Nonius aliter interpretatur,& male, ſucceſſionem neceſſariam. Plinius, alterum macellum. SPECIE *dicam?* ℈ Specie plura dicam, decemſeptem. BREVI *praecidam*. ℈ longiorem ſermonem amputabo.Acad.IV. Praecide: ſtatue aliquando, quod lubet. IIX.ad Att.Numquam reo cuiquam, tam humili,tam ſordido,tam nocenti, tam alieno,tam praeciſe negaui, quam hic mihi plane ſine ulla exceptione praecidit. Sic eſt in undecim meis. Breui tibi praecidam,unus.Breuiter praecidam,quattuor.Breuiter praedicam,unus. Breui ſuccidam,unus. Breui dicam,unus. Breuiter,unus: ſine ullo uerbo. Breuiter plura expediam, unus. ILLA *aetas aut caleſcere* ℈ Illa aetas aeque caleſcere,nouem. To, Aut,uel Aeque,non eſt in quattuor.Illa aetas aeque aut caleſcere,tres. AVT *uiciſſim* ℈ Vel uiciſsim,tres. *Viciſſim*: uide Cariſium lib.II. SIBI *habeant igitur arma*, ℈ ſic omnes mei:duobus exceptis, in quibus,Sibi ergo habeant arma. In Laelio: Sibi habeant ſapientiae nomen. SIBI *clauam,& pilam*, ℈ Sibi clauam, ſibi pilam, decem. To, Et,ſiue,Sibi,non eſt in duobus. *Pilam*: militarem,quidam;quidam,luſoriam. Si impreſſam lectionem retinemus,Sibi clauam,& pilam,intelligendum fortaſſe de pila,& claua,quam nos hodie *Palamaglio* dicimus. TALOS, ℈ de quibus ſcripſit Nicolaus Leonicus Thomaeus in dialogo,Sannutus; ſiue,de ludo talario.

CICERO

MVLTAS *ad res perutiles Xenophontis libri ſunt: quos legite,quaeſo,ſtudioſe, ut facitis. quam copioſe ab eo agricultura laudatur in eo libro, qui eſt de tuenda re familiari, qui Oeconomicus inſcribitur? atque, ut intelligatis nihil ei tam regale uideri, quam ſtudium agri colendi, Socrates in eo libro loquitur cum Critobulo, Cyrum minorem,Perſarum regem,praeſtanti ingenio,atque imperij gloria, cum Lyſander Lacedaemonius, uir ſummae uirtutis, ueniſſet ad eum Sardis, eiq. dona a ſocijs attuliſſet, & ceteris in rebus comem erga Lyſandrum,atque humanum fuiſſe,& ei quendam conſaeptum agrum, diligenter conſitum, oſtendiſſe: cum autem admiraretur Lyſander & proceritates arborum, & directos in quincuncem ordines, & humum ſubactam, atque puram, & ſuauitatem odorum, qui afflarentur e floribus, tum eum dixiſſe, mirari ſe non modo diligentiam, ſed etiam ſollertiam eius, a quo eſſent illa dimenſa, atque deſcripta: & ei Cyrum reſpondiſſe: atqui ego ſum omnia iſta dimenſus: mei ſunt ordines,mea deſcriptio: multae etiam iſtarum arborum mea manu ſunt ſatae:tum Lyſandrum, intuentem purpuram eius,& nitorem corporis, ornatumq. Perſicum multo auro,multiſq. gemmis, dixiſſe:Recte ue ro te,Cyre,beatum ferunt, quoniam uirtuti tuae fortuna coniuncta eſt. Hac igitur fortuna frui licet ſenibus: nec aetas impedit,quo minus & ceterarum rerum,& in primis agri colendi ſtudia teneamus uſque ad ultimum tempus ſenectutis. M. quidem Valerium Coruinum ad centeſimum annum accepimus uitam perduxiſſe, cum eſſet acta iam aetate in agris, eoſq. coleret: cuius inter primū & ſextum conſulatum octo & quadraginta anni interfuerunt. ita, quantum ſpatium aetatis maiores ad ſenectutis initium eſſe uoluerunt, tantus illi curſus honorum fuit. atque huius extrema aetas hoc beatior, quam media,quod auctoritatis habebat plus,laboris minus. apex autem ſenectutis auctoritas. Quanta fuit in L. Caecilio Metello, quanta in Atilio Calatino, in quem illud elogium unicum*: Plurimae conſentiunt gentes, populi primarium fuiſſe uirum, *notum eſt carmen inciſum in ſepulcro.*

sepulcro. iure igitur grauis, cuius de laudibus omnium esset fama consentiens. Quem uirum nuper P. Crassum, pontificem maximum, quem postea M. Lepidum, eodem sacerdotio praeditum, uidimus? quid de Paullo, aut Africano, loquar? aut iam ante de Maximo? quorum non in sententia solum, sed etiam in nutu, residebat auctoritas.

EXPLANATIO

MVLTAS *ad res perutiles Xenophontis libri sunt*: ℈ dictus Attica Musa. Cicero, Quinctilianus. Sed, quid testimonia quaerimus? Ipsum χαρακτὴρ id facile indicat. Historica, ethica, oeconomica, politica, rei militaris praecepta, & exempla complectitur. QVI *Oeconomicus inscribitur*? ℈ quem Cicero iuuenis admodum e Graeco uertit. PRAESTANTI *ingenio*, ℈ sic quinque. unus, Praestante. quindecim, Praestantem. LYSANDER *Lacedaemonius*, ℈ cuius uitam Plutarchus scribit. VIR *summae uirtutis*, ℈ in re militari: tamen a Conone nauali pugna postremo uictus est. Iustinus lib. VI. Atqui dicebat, pueros nucibus, uiros iureiurando fallendos esse: &, quo leonina pellis penetrare non possit, ibi uulpinam esse adhibendam. SARDIS, ℈ Asiae opido: in quod cum Cyrus maior uictor intrasset, ubi tunc Croesus latitabat, Athis, filius regis, mutus ad eam diem, dixisse fertur: Parce patri meo, Cyre; &, te hominem esse, uel casibus discere nostris. Solinus cap. 7. Plin. lib. v. cap. 29. scribit, Lydiam, quae Maeonia ante appellata, Sardibus in latere Tmoli montis maxime celebrari. ET *directus in quancuncem ordines*, ℈ Quincunx, quinque sunt assis partes; ut Decunx, uel Dextans, decem. &, ut denarius numerus hac nota, X, sic quinarius hac, V, designatur: qua duplicata fit X, ut duplicatus item numerus ostendatur. Arbores igitur in quincuncem recto ordine dispositae, figuram quincucialem, V, referunt, sic, ut ea figura, quamcumque in partem spectaueris, oculis occurrat. quod ut pateat illustrius, exemplum subijciam.



Nam, si a duobus superioribus punctis ad unicum subiectum, uel ab unico superiore ad duo subiecta lineas ducas: quincuncis notam efficies: a duobus ad unicum, hoc modo, V: ab unico ad duo, sic, Λ. quo quidem ordine speciosius, & gratius esse nihil potest: hodieq. huius generis exempla, ad antiquitatis imitationem a peritis hominibus elaborata, cernuntur. De quincuce Columella lib. III. cap. 13. & lib. IV. cap. 30. Plinius lib. XVII. ait, in disponendis arboribus, arbustis, ac uineis quincuncialē proportionem utilem esse, & adspectu gratam, quocumque modo intueare in ordinē se porrigente uersu. Quinctilianus lib. IIX. cap. 3. Quid illo quincunce speciosius, quid in quamcumque partem spectaueris. Virgilius de eo, Georg. II.

Indulge ordinibus, nec secius omnis in unguem
Arboribus positis secto uia limite quadret.

Caesar quoque, de bello Gall. lib. VII. Ante hos, inquit, obliquis ordinibus in quincuncē dispositis, scrobes triū in altitudinē pedum infodiebantur. QVI *afflarent e floribus*, ℈ sic arbitror omnino a Cicerone scriptū esse, & imperitos postea, ignoratione pulcherrimi uerbi, quod modo absolute capitur, modo ἐνεργητικῶς, feciſse, Afflarentur. Sane ueteres libri non suffragantur sententiae nostrae: sed unum tamen se uidisse testatur, in quo erat, Afflarent, uir excellentis industriae, magni ingenij, singularis doctrinae, Obectus Gifanius. Et Lucretius, Efflare, semel & iterū absolute dixit. Locus quidem est in Epist. ad Att. lib. XVI. cum hac significatione apte congruens: Rumoris nescio quid afflauerat, commissione Graecorū frequentiā Comitiorum nō fuisse. Pro, Exierat, Emanauerat. Omnes mei, Afflarentur. tribus exceptis, in quibus, Efflarentur. Ex, tres. De, unus. A, quattuor. Neque, E; ueque Ex; neque, De; neque, A, unus. DILIGENTIAM, ℈ sic omnes mei libri. NITOREM *corporis*, ℈ Corporis, abest a uetere impresso. neque legitur in Xenophonte. RECTE ℈ Rite, tres. QVONIAM *uirtuti tuae fortuna coniuncta est*. ℈ ἀγαθὸς γὰρ ὢν εὐδαιμονεῖς. HAC *igitur fortuna frui* ℈ sic decemseptem. Vti, duo. Hac uero frui, unus. Fortuna, non est in uno. M. VALERIVM *Coruinum* ℈ quem Liuius Alexandro Magno comparat in re bellica. Liuius lib. VII. Agellius lib. IX. cap. XI. Valerius Max. lib. 2. cap. 2. & lib. IIX. cap. 16. de uir. ill. Florus lib. I. cap. 13. Ouidius in Fastis. VITAM *perduxisse*, ℈ Produxisse, sex. Vitam, non est in quinque. CVLVS *inter primum & sextum consulatum sex & quadraginta anni interfuerunt*. ℈ disputari potest in utramque partem de hoc annorum numero. siue enim, VI, ut est in antiquis omnibus libris, siue, IIX, ut est in multis uulgatis, legatur: non infirmis rationibus utraque niti uidebitur opinio. Fasti Capitolini inter primum

& sextum

& sextum Coruini consulatum annos interponunt XLIIX. quorum auctoritas effecit, ut in ijs libris, qui post eorum Fastorum editionem sunt impressi, reponeretur, IIX; perinde ac, VI, mendosum esset. Contra, libri ueteres omnes, & uulgati simul, ante repertas Tabulas Capitolinas emissi, habent. VI. nec aliter in Valerio Max. legitur. Quodq. ualet apud me plurimum, describi uideo militarem aetatem a Cicerone, cum subiungit: Ita, quantum spatium aetatis maiores ad senectutis initium esse uoluerunt, tantus illi cursus honorum fuit. Militare autem non ultra quadragesimum sextum aetatis annum quisquam cogebatur: quasi annus ille, proxima senectute, merito finem laboribus, ac periculis afferret. de quo ne quis ambigat, Polybij de peditibus legionarijs uerba recitabo. Οὓς δεῖ στρατείας τελεῖν κατ' ἀνάγκην ἐν τοῖς τετταράκοντα καὶ ἓξ ἔτεσιν ἀπογενεαῖς. Eodemq. pertinet illud Taciti lib. I. Atrocissimus ueteranorum clamor oriebatur; qui tricena, aut supra, stipendia numerantes, mederetur fessis, orabant. Tricena enim stipendia sunt anni triginta: quibus additi sexdecim pueritiae, quibus militare non licebat, (nam decimoseptimo uirilis toga sumebatur) fiunt anni XLVI. Sed est, ut mihi uidetur, in ipso Cicerone dissensio quaedam: quam a nemine adhuc esse uideo animaduersam. Primum dicit, Interfuerunt: quo uerbo spatium interiectum significari, uix quisquam negauerit, excluso utroque consulatu: deinde subiungit: Tantus illi cursus honorum fuit. ut omnino comprehendere uideatur utrumque consulatum: siquidem cursus honorum incipit in primo consulatu, desinit in sexto. ita necesse est, inter primum & ultimum consulatum non annos interesse XLVI, ut habent ueteres omnes libri, sed XLIV. quod eo mihi magis placet, quia consentire Liuius uidetur: qui, cum anni XLIIX. inter primum & ultimum Coruini consulatum a Verrio ponantur, ipse ex hoc toto numero quattuor non agnoscit, primum eum, qui signatur anno V.C. CDXX, nullis consulibus: alterum, anno V. CDXXIX, nullis consulibus, dictatore L. Papirio Cursore: tertium, anno CDXLIV, nullis consulibus, eodem Cursore dictaturam iterum gerente: quartum, anno CDLII, nullis consulibus, dictatoribus autem Q. Fabio Rulliano, M. Liuio Coruo. Quod si quattuor anni ex Liuij auctoritate tollantur: recte legetur in Cicerone, IV & XL, pro VI & XL. quod ipse confirmat, subiungens: Tantus illi cursus honorum fuit. Nec tamen errasse Verrium dixerim, sed alios eum annales, alios Liuium, ac Ciceronem sequi maluisse. Mihi nunc id tantum propositum est, ut Ciceronis locum restituam: in quo subiecta ipsius uerba de militari aetate me adiuuant. Adiungo Liuij testimonium, quod facio plurimi. recte ne senserint, an secus, mihi quaerendum non fuit: neque id statuere meae sententiae uidetur. mentem Ciceronis assequi, & ad eam numerum annorum accommodate, satis habeo. HVIVS *extrema aetas*] de tribus apud Rom. aetatibus uide Agell. lib. X. APEX *senectutis auctoritas.*] senectus nihil sublimius habet, nihil magnificentius auctoritate. L. CAECILIO *Metello,*] pontifice max. Valerius lib. IIX. de Senectute, Plin. lib. VII. cap. 48. IN *quem illud eulogium unicum: Plurimae consentiunt gentes, populi primarium fuisse uirum.*] singulare illud eulogium memoriter Cicero refert, non, ut plane incisum erat in sepulcro Calatini, in quo erat, Vno ore cui plurimae consentiunt gentes, populi primarium fuisse uirum. ut est in lib. 2. de Fin. in extremo. Sufficit enim ei, hoc quidem in loco, ipsam Calatini laudem ostendere, quae est; populi primarium fuisse uirum. Satis autem constat ex antiquis libris utrobique, idest hic, & in lib. de Fin. eodem modo legi non posse. Nec uideo, cur aut hic, aut ibi quidquam mutetur: cum ibi ipsa inscriptio totidem uerbis referatur, hic autem eulogij summa ponatur. Vnus ex meis post, Vnicum, addit, Fuit. POSTEA] triennium. DE *Paullo,*] patre tuo, o Scipio. Valer. lib. 2. cap. de Maiestate, Plut. in uita. AVT *Africano*] auo tuo adoptiuo. Val. loco citato, Liuius lib. XXXIV. MAXIMO?] Fabio, cum quo se militasse, iam dixit.

CICERO

HABET *senectus, honorata praesertim, tantam auctoritatem, ut ea pluris sit, quam omnes adolescentiae uoluptates. sed in omni oratione mementote eam me laudare senectutem, quae fundamentis adolescentiae constituta sit. ex quo efficitur id, quod ego, magno quondam cum assensu omnium, dixi, miseram esse senectutem, quae se oratione defenderet. non cani, non rugae repente auctoritatem afferre possunt: sed honeste acta superior aetas fructus capit auctoritatis extremos. haec enim ipsa sunt honorabilia, quae uidentur leuia, atque communia, salutari, appeti, decedi, assurgi, deduci, reduci, consuli: quae & apud nos, & in alijs ciuitatibus, ut quaeque optime morata, ita diligentissime obseruantur. Lysandrum Lacedaemonium, cuius modo mentionem feci, dicere aiunt solitum, Lacedaemone esse honestissimum domicilium senectutis. nusquam enim tantum tribuitur aetati; nusquam est senectus honoratior. quin etiam memoriae proditum est: cum Athenis, ludis, quiddam in theatrum grandis natu uenisset, magno consessu locū ei nusquam datum a suis ciuibus: cum autem ad Lacedaemonios accessisset, qui, legati cum essent, certo in loco consederant, consurrexisse omnes, & senem sessum recepisse: quibus cum a cuncto cō sessu plausus esset multiplex datus, dixisse ex ijs quendam, Athenienses scire, quae recta essent, sed facere nolle. Multa in nostro collegio praeclara; sed hoc, de quo agimus, in primis, quod, ut quisque aetate antecedit, ita sententiae principatum tenet, neque solum honore antecedentibus, sed ijs etiam, qui cum imperio sunt, maiores natu augures anteponuntur. Quae sunt igitur uoluptates corporis cum auctoritatis praemijs comparandae? quibus qui splendide usi sunt, ij mihi uidentur fabulam aetatis peregisse, nec, tamquam inexercitati histriones, in extremo actu corruisse. At sunt morosi, & anxij, & iracundi, & difficiles senes: si quaerimus, etiam auari: sed haec morum uitia sunt, non senectutis. ac morositas tamen, & ea uitia, quae dixi, habent aliquid excusationis, non illius quidem iustae, sed quae probari posse uideatur. contemni se putant, despici, illudi: praeterea in fragili corpore odiosa omnis offensio est. quae tamen omnia dulciora fiunt & moribus bonis, & artibus: idq. cum in*

uita

uita, tum in scena intelligi potest ex ijs fratribus, qui in Adelphis sunt. quanta in altero duritas, in altero comitas? sic se res habet. ut enim non omne uinum, sic non omnis natura uetustate coacescit. Seueritatem in senectute probo, sed eam, sicut alia, modicam; acerbitatem nullo modo. auaritia uero senilis quid sibi uelit, non intelligo. potest enim quidquam esse absurdius, quam, quo minus uiae restat, eo plus uiatici quaerere? Quarta restat caussa, quae maxime angere, atque sollicitam habere nostram aetatem uidetur, appropinquatio mortis, quae certe a senectute non potest longe abesse. o miserum senem, qui mortem contemnendam esse in tam longa aetate non uiderit: quae aut plane negligenda est, si omnino exstinguit animum; aut etiam optanda, si aliquo eum deducit, ubi sit futurus aeternus. atqui tertium certe nihil inueniri potest. quid igitur timeam, si aut non miser post mortem, aut beatus etiam futurus sum? quamquam, quis est tam stultus, quamuis sit adolescens, cui sit exploratum, se ad uesperum esse uicturum? quin etiam aetas illa multo plures, quam nostra, mortis casus habet: facilius in morbos incidunt adolescentes; grauius aegrotant; tristius curantur: itaque perpauci ueniunt ad senectutem. quod ni ita accideret, melius, & prudentius uiueretur. mens enim, & ratio, & consilium in senibus est: qui si nulli fuissent, nullae omnino ciuitates fuissent. Sed redeo ad mortem impendentem.

EXPLANATIO

NON *cani, non rugae* ʒ Seneca de breuitate uitae: Non est, quod quemquam propter canos, aut rugas putes diu uixisse. non ille diu uixit, sed diu fuit.
Iuuenalis:

– Facies tua computat annos.

AVCTORITATEM *afferre possunt:* ʒ Arripere, quindecim. Accipere, duo. Erripere, unus. Eripere, unus. CAPIT ʒ sic omnes libri. SALVTARI, ʒ sic coniurati apud Sallustium ineunt consilium de opprimendo Cicerone, ingredi, sicuti salutatum. ASSVRGI, ʒ Iuuenalis Sat. 12.

Credebant hoc grande nefas, & morte piandum,
Si iuuenis uetulo non assurrexerat, & si
Barbato cuicumque puer: licet ipse uideret
Plura domi farra, & maiores glandis aceruos.

Et Ouidius Fastis:

Magna fuit quondam capitis reuerentia cani,
Inq. suo pretio ruga senilis erat.

DEDVCI, *reduci*, ʒ nam iuuenes deducebant ad curiam aliquem senatorem, quem exspectabant, ut domum reducerent. Valerius lib. 2. cap. 1. & Agellius lib. 2. cap. 15. qui hunc morem Romanos a Lacedaemonijs accepisse scribit. CONSVLI: ʒ atqui Iurisconsulti domus, oraculum ciuitatis. Cic. de Orat. 1. & senes consuli multis de rebus possunt, quas ob aetatem experti sunt. VT *quaeque optime morata*, ʒ sic sex mei. tres addunt, Est. Vt quaeque optime moratae sunt, quinque. Vt quaeque optime moderatae sunt, unus. Vt quaeque morigerata est optime, unus. Vt quam optime morigerata, unus. Vt quaeque bene morata est, unus. Vt quaeque bene morata sunt, duo. Vt quaeque optima morata est, unus. LYSANDRVM ʒ uide Plut. in Apophthegm. Laconicis. DOMICILIVM *senectutis*. ʒ Sic omnes libri. Lambinus, Senectuti. LVDIS, ʒ Panathenaicis. LACEDAEMONIOS ʒ qui senectuti honorem habebant. Agellius. CONSVRREXISSE *omnes* ʒ addunt omnes libri, Illi dicuntur. SESSVM ʒ Fessum, unus. Ex *ijs* ʒ Lacedaemonijs. Plut. in Apophth. Valerius lib. 1v. cap. 5. *Dixisse ex ijs quendam:* ʒ sic omnes mei. unus addit, Dicunt. quod sapit glossema. ATHENIENSES *scire, quae recta essent, sed facere nolle*. ʒ Plato 1. de Leg. ait, Si quis Athenienſis bonus sit, eum ualde bonum esse. Demosthenes scribit de suis ciuibus, τὰ πλείω ἐκπεφευγέναι αὐτοὺς, οὐ τῷ μὴ σωιέναι, ἀλλὰ τῷ μὴ βουλεσθαι ποιεῖν τὰ δέοντα. IN *nostro collegio* ʒ augurum. *In nostro collegio praeclaro*: sic duodecim. recte. nam, quod additur, in sex, Sunt; in tribus, Cognoui, glossemata sunt. ANTECEDIT, ʒ sic decemnouem. unus, Antecedat. unus, male, Antecellit. SENTENTIAE *principatum tenet:* ʒ uel primus ante alios sententiam dicit. CORPORIS ʒ sic recte decemseptem. Corporum, quattuor. ex quibus duo, ord. praep. IN *extremo actu* ʒ ep. 1. lib. 1. ad Q. fr. Illud te ad extremum & oro, & hortor, ut, tamquam poetae boni, & actores industrij solent, sic tu in extrema parte, & conclusione muneris, ac negotij tui diligẽtissimus sis; ut hic tertius annus, imperij tui tamquam tertius actus perfectissimus, atque ornatissimus fuisse uideatur. AT ʒ sic omnes libri. MOROSI, ʒ uide Nonium in differentijs. ANXII, ʒ suis diffidunt. IRACVNDI, ʒ si quid cessatum, peccatum ue fuerit. DIFFICILES ʒ duri ad ignoscendum. ETIAM *auari*: ʒ Terentius Adelph.

Ad omnia alia aetate sapimus rectius:
Solum hoc unum uitium affert senectus hominibus;
Attentiores sumus ad rem omnes, quam sat est.

CONTEMNI *se putant*, ʒ sunt enim senes suspicioſi. Aristoteles Rhet. 11. DESPICI, ʒ Decipi, unus. Vnus non habet. IN *fragili corpore* ʒ cuius imbecillitatem animi quoque imbecillitas fere comitatur. OMNIS *offensio* ʒ uel leuis. DVLCIORA *fiunt* ʒ mitigantur. IN *altero duritas*, ʒ dissentire uideo ueteres libros, & esse in alijs, Diritas, (qui tamen pauci sunt, duo, & alter Iulij Galli in alijs, Duritas. (in uno est, Duritia.) Sed magis in patrem conuenit Duritas, quam

Diritas.

Diritas. Dirus enim est, qui saeuit in aliquem, & ad saeuitiam est natura propensus: quod ad patrem non pertinet, qui filio multa quidem negat, in eum tamen non adducitur ut saeuiat: cum uero negat, & nihil indulget, in eo durus est. Ita Durum senem dixit Cicero in ea pro Coelio, & in Oratore, & Propertius lib. II. eleg. 31. Durus pater, Ouid. lib. IX. Metam.

Nec nos aut durus pater, aut reuerentia famae,
Aut timor impediet.

Et lib. I. Am.

Dum fallax seruus, durus pater, improba lena
Vixerit, & meretrix blanda, Menandros erit.

Duritas, male bis in Nonio. OMNIS *natura* ℈ Sic recte duodecim. Omnis aetas naturae, octo. Omnis aetas natura in uetust. unus. VETVSTATE *coacescit*. ℈ non bene aetatem fert. supra. RESTAT, ℈ Restet, tres. Deest in duobus. APPROPINQVATIO *mortis*, ℈ Seneca lib. I. ep. 12. Aristoteles ait θάνατον εἶναι πάντων τῶν δεινῶν φοβερώτατον. AVT *plane negligenda, aut etiam optanda*, ℈ Martialis;

Summum nec metuas diem, nec optes.

OPTANDA, ℈ sic omnes mei. Alij legunt, Appetenda, Oppetenda. ATQVI *tertium certe nihil inu. pot.* ℈ sic decem. ex quibus quinque non habent, Certe. Atque, quattuor, Atqui certius certe nihil inu. pot. sex. ex quibus unus non habet, Certe. Atqui nihil certius, unus. QVAMVIS *sit adolescens*, ℈ Sit, ab est a duobus meis. & a Nonio, in Explorare. AD *uesperum* ℈ hinc illud Caesaris, Kalendae Martiae uenere. cui responsum, Sed nondum praeteriere. Et illud Varronis, Nescis, quid serus uesper uehat. MORTIS *casus* ℈ sic legendum; & ita decemocto mei. FACILIVS *in morbos incidunt adolescentes*; ℈ id Hippocratis aphorismo comprobatur. GRAVIVS ℈ periculosius. TRISTIVS ℈ difficilius. Nonius. ob morbi uehementiam, cui extrema remedia sunt adhibenda. Vel, maiore cum molestia & aegrotantis, & domesticorum, ob adolescentis iacturam, a quo sperari possunt plurima. PERPAVCI ℈ propter casus mortis plures, morborumq. uehementiam. *Perpauci*: Pauci, decem. NI ℈ sic quattuordecim. CONSILIVM ℈ εὐβουλία. IN *senibus*, ℈ ijs, qui cum naturae bonitate temperantiam coniunxere. QVI *si nulli fuissent*, ℈ nam adolescentes, uiribus freti, uim potius, quam ius, spectant, inuitiq. se legibus adstringunt.

Hesiodus:

Τ' ὕβρισαὶ, καὶ χιροδίκαι, καὶ ὑπερφίαλοι, καὶ ἀθέμιστοι ἔντες.

NVLLAE *omnino ciuitates* ℈ adolescentes enim, ferocia, & temeritate praediti, nihil constituissent, omnia potius euertissent. *Ciuitates*: hominum consociationes. *Fuissent*: Essent, duo. Forent, duo.

CICERO

QVOD *illud est crimen senectutis, cum illud uideatis cum adolescentia esse commune? sensi ego tum in optimo filio meo, tum in exspectatis ad amplissimam dignitatem fratribus tuis, Scipio, omni aetati mortem esse communem. At sperat adolescens, diu se esse uicturum; quod sperare idem senex non potest. Insipienter sperat. quid enim stultius, quam incerta pro certis habere, falsa pro ueris? At senex, ne quod speret quidem, habet. Est eo meliore condicione, quam adolescens; cum id, quod sperat ille, hic iam cõsecutus est. ille uult diu uiuere; hic diu uixit. quamquam, o dij boni, quid est in hominis uita diu? da enim supremum tempus: exspectemus Tartessiorum regis aetatem. fuit enim, ut scriptum uideo, Arganthonius quidam Gadibus, qui octoginta regnauit annos, centum & uiginti uixit. sed mihi ne diuturnum quidem quidquam uidetur, in quo est aliquid extremum. cum enim id aduenit, tunc illud, quod praeterijt, effluxit: tantũ remanet, quod uirtute, & recte factis sis consecutus: horae quidem cedunt, & dies, & menses, & anni; nec praeteritum tempus umquam reuertitur; nec, quid sequatur, sciri potest. quod cuique temporis ad uiuendum datur, eo debet esse contentus. neque enim histrioni, ut placeat, peragenda fabula est, modo, in quocumque fuerit actu, probetur: neque sapienti usque ad, Plaudite, ueniendum. breue enim tempus aetatis satis est longum ad bene, honesteq. uiuendum. sin processeris longius; non magis dolendum est, quam agricolae dolent, praeterita uerni temporis suauitate, aestatem, autumnumq. uenisse. uer enim, tamquam adolescentia, significat, ostenditq. fructus futuros: reliqua tempora demetendis fructibus, & percipiendis accommodata sunt. fructus autem senectutis est, ut saepe dixi, ante partorum bonorum memoria, et copia. omnia uero, quae secundum naturam fiunt, sunt habenda in bonis. quid est autem tam secundum naturam, quam senibus emori? quod idem contingit adolescentibus, aduersante, & repugnante natura. itaque adolescentes sic mihi mori uidentur, ut cum aquae multitudine flammae uis opprimitur; senes autem, sicut cum sua sponte, nulla adhibita ui, consumptus ignis exstinguitur. &, quasi poma ex arboribus, si cruda sunt, ui auelluntur; si matura, & cocta, decidunt: sic uitam adolescentibus uis aufert, senibus maturitas: quae mihi quidem tam iucunda est, ut, quo propius ad mortem accedam, quasi terram uidere uidear, aliquandoq. in portum ex longa nauigatione esse uenturus. senectutis autem nullus certus est terminus: recteq. in ea uiuitur, quoad munus officij exsequi, & tueri possis, & tamen mortem contemnere. ex quo fit, ut animosior etiam senectus sit, quam adolescentia, & fortior. hoc illud est, quod Pisistrato tyranno a Solone responsum est, cum illi, quaerenti, qua tandem spe fretus, sibi tam audacter obsisteret, respondisse dicitur, senectute.*

EXPLA-

EXPLANATIO

EXSPECTATIS *ad amplissimam dignitatem* ℈ magnam spem de se praebentibus. pueris etiam num. FRATRIBVS *tuis*, ℈ Paulli filijs, qui adhuc pueri sunt exstincti. Liuius, Velleius, alij. SPERAT *adolescens*, ℈ de spe Lucianus περὶ θυσιῶν: Αἱ ἐλπίδες ὑπὲρ τῆς κεφαλῆς αἰωρούμεναι, ὅταν μάλιστ' ἄν τις οἴηται ἐπιλήψεσθαι αὐτῶν, οἴχονται ἀποπτάμεναι, κεχηνότας αὐτοὺς ἀπολιποῦσαι. Ideſt: Spes ſupra caput agitatae, ubi te illas omnino comprehenſurum exiſtimes, auolantes euaneſcunt, eoſq. hiantes relinquunt. DIV *se esse victurum*; ℈ Eſſe, abeſt a quattuordecim. Vnus, Se diu uicturum. INCERTA *procerus* ℈ nam, ut ait Seneca, praeterita certa ſunt, uoluptates futurae incertae: quae, paene, ante quam ueniant, auferantur. NE QVOD *speret quidem habet*. ℈ Sperat quattuor. Quid octo. Ne quid ſperet habet, unus. Ne quid ſperet, habet quidem, unus. Nec hoc ſperat, quod habet, unus. Id ſperat, quod & habet, unus. HIC *tam consecutus est*. ℈ Hic conſecutus eſt, decemſeptem. Is conſecutus eſt, unus. Hic ſecutus eſt, unus. Hic conſecutus, unus. Eſt conſecutus, unus. QVID *est in hominis uita diu?* ℈ Seneca, Quod agimus, breue eſt; quod acturi ſumus, dubium; quod egimus, certum.

Virgilius:

--Viximus ambo,
Rhoebe, diu: res ſi qua diu mortalibus ulla eſt.

CENTVM *& uiginti uixit*. ℈ de numero annorum conſentiunt quidem antiqua exemplaria: ueterum tamen ſcriptorum teſtimonia diſſentiunt. Annos ei cxx. tribuunt Herodotus lib. I. Valerius lib. IIx. cap. 13. & Plinius lib. VII. cap. 48. CL. Cenſorinus in praeclaro illo libello de die natali, Lucianus ἐν Μακροβίοις. & Anacreon. CCC, Silius Italicus lib. III. poetica, ut arbitror, uſus licentia.

Arganthoniacos armat Carteia nepotes,
Rex proauus fuit humani doctiſsimus aeui,
Ter denos decies emenſus belliger annos.

Vide & Tzetzem in Lycophronis Caſſandram. CVM *enim id aduenit, tunc* ℈ ſic quinque. Tum, quinque. Cum enim id idem extremum aduenit, tunc, unus. Cum enim aliquid aduenit, tunc, unus. Cum enim aduenerit extremum, tum, unus. Cum enim id euenerit, tum, quattuor. Cum enim id uenerit, tum, duo. Cum enim iam aduenit, tum. EFFLVXIT: ℈ uide Senecam lib. III. ep. 24. Auguſt. de Ciu. D. lib. XII. cap. 12. REMANET, *quod uirtute, & recte factis sis consecutus*: ℈ Seneca de breuitate uitae ſcribit, eum male uixiſſe, qui neſciat bene mori. Ibidemque, uiuere in tota uita diſcendum monet. Et lib. 2. Epiſt. ep. 1. ſtultitiae proprium dicit, ſi quis incipiat uiuere.

Horatius:

--praeter laudem nullius auaris.

Et:

Exegi monumentum aere perennius.

Ouidius:

--perq. omnia ſaecula, fama,
(Si quid habent ueri uatum praeſagia) uiuam.

Theocritus quoque:

Ἐκ μοισῶν ἀγαθὸν κλέος ἔρχεται ἀνθρώποισι:
Ex muſis bona fama uenit hominibus.

NEC, *quid sequatur, sciri potest*. ℈ τὸ μέλλον ἄδρατον, Iſocrates ait. AD *Plaudite* ℈ Ad, non eſt in quinque. VENIENDVM. ℈ Viuendum, quattuor. nec diſplicet. NON *magis dolendum est*, ℈ ſed potius gaudent. TAMQVAM *adolescentia*, ℈ Adoleſcentiam, quindecim. VT *saepe dixi*, ℈ ſic omnes, duobus exceptis, quorum unus, Vt ſaepe diximus; alter, Vt ſaepe dixi iam. SICVT *cum sua sponte*, ℈ Cum, non eſt in tredecim. QVO *propius ad mortem accedam*, ℈

Manilius:

Naſcentes morimur, finiſq. ab origine pendet.

IN *portum ex longa nauigatione* ℈ Seneca ad Paullinum: In hoc tam procelloſo mari nauigantibus, nullus portus, niſi mortis eſt. SENECTVTIS *autem nullus certus est terminus*: ℈ ante haec uerba, leguntur alia in quibuſdam antiquis libris, (ſex meis) quae doctis uiris placuiſſe uideo, haec inquam: Omnium aetatum certus eſt terminus. Ego uereor, ex interpretatione in libri margine adſcripta, receptum eſſe inter uerba Ciceronis. ut oſtenderetur, quod ceteris aetatibus non contingit, id contingere ſenectuti, ut certum non habeat terminum. Mihi quidem neceſſe non uidetur, ut quidquam addatur: cum in ceteris aetatibus terminum eſſe pateat, in ſenectute uero non niſi cum uis mentis, & actio deficit. Quod ſi ante mors occupet, aequo animo ferendum. id enim ceteris etiam aetatibus poteſt accidere. ET *tamen mortem contemnere*. ℈ tollit haec liber Fuluij Vrſini, Tum, tres. Tueri poſsit mortemq. cont. duo. Poſsit, quattuor. PISISTRATO ℈ Hippocratis filio, Athenis tyranno, regnante apud Romanos Seruio Tullio. Iſocrates in Panathenaico. Herodotus lib. I. Iuſtinus lib. 2. Agellius, & Euſebius. TYRANNO ℈ ut qui libertatem oppreſsit, non crudelitate barbarica ſaeuienti. A SOLONE *responsum* ℈ Plutarchus, & Laertius.

Landesbibliothek Oldenburg

CICERO

SED uiuendi finis est optimus, cum, integra mente, certisq. sensibus, opus ipsa suum eadem, quae coagmentauit, natura dissoluit. ut nauem, ut aedificium idem destruit facillime, qui construxit; sic hominem eadem optime, quae conglutinauit, natura dissoluit. iam omnis conglutinatio recens, aegre; inueterata, facile diuellitur. ita fit, ut illud breue uitae reliquum nec auide appetendum senibus, nec sine caussa deserẽdũ sit. uetatq. Pythagoras, iniussu imperatoris, id est dei, de praesidio, & statione uitae decedere. Solonis quidem sapiẽtis eulogium est, quo se negat uelle suam mortem dolore amicorum, & lamentis uacare. uult, credo, se esse carum suis. sed haud scio, an melius Ennius:

„ Nemo me lacrymis decoret, neque funera fletu
„ Faxit. Non censet lugendam esse mortem, quam immortalitas consequatur. Iam, sensus moriendi, si aliquis esse potest, is ad exiguum tempus, praesertim seni: post mortem quidem sensus aut optandus, aut nullus est. sed hoc meditatum ab adolescentia debet esse, mortem ut negligamus: sine qua meditatione tranquillo esse animo nemo potest. moriendum enim certe est; & id, incertum, an eo ipso die. mortem igitur, omnibus horis impendentem, timens, qui poterit animo consistere? de qua non ita longa disputatione opus esse uidetur, cum recorder non L. Brutum, qui in liberanda patria est interfectus; non duos Decios, qui ad uoluntariam mortem cursum equorum incitauerunt; non M. Atilium, qui ad supplicium est profectus, ut fidem, hosti datam, conseruaret: non duos Scipiones, qui iter Poenis uel corporibus suis obstruere uoluerunt; non auum tuum, L. Paullum, qui morte sua luit collegae in Cannensi ignominia temeritatem; nõ M. Marcellum, cuius interitum ne crudelissimus quidem hostis honore sepulturae carere passus est; sed legiones nostras, quod scripsi in Origimbus, in eum sacpe locum profectas alacri animo, & erecto, unde se numquam redituras arbitrarentur. quod igitur adolescentes, & ij quidem non solum indocti, sed etiam rustici, contemnunt, id docti senes extimescent? omnino, ut mihi quidem uidetur, rerum omnium satietas, uitae facit satietatem. Sunt puerilia certa studia: num igitur ea desiderant adolescentes? sunt & ineuntis adolescentiae: num ea iam constans requirit aetas, quae media dicitur? sunt etiam eius aetatis: ne ea quidem a senectute quaeruntur. sunt extrema quaedam studia senectutis. ergo, ut superiorum aetatum studia occidunt, sic occidunt etiam senectutis. quod cum euenit, satietas uitae tempus maturum mortis affert. Equidem non uideo, cur, quid ipse sentiam de morte, non audeam dicere. quod eo melius mihi cernere uideor, quo ab ea propius absum.

EXPLANATIO

INTEGRA *mente*, ℈ antequam deficientibus sensibus deliraueris. CERTISQ. *sensibus*, ℈ sic octo. Ceterisq. sensibus, nouem. Certisq. rationibus, unus. Cunctisq. rationibus, unus. Ceterisq. finibus, duo. Rectisq. sensibus, alij legunt. NAVEM, ℈ Nauim, quinque. INIVSSV *imperatoris*, ℈ Tusc. 1. & in Somnio Scipionis. SOLONIS *quidem eulogium est*, ℈ Tusc. 1.

Mors mea ne careat lacrumis: linquamus amicis
Maerorem, ut celebrent funera cum gemitu.

Graeca leguntur apud Plutarchum:

Μηδέ μοι ἄκλαυστος θάνατός μολοι, ἀλλὰ φίλοισι
Ποιήσαιμι θανῶν ἄλγεα, χἠσοναχάς.

FVNERA *fletu* ℈ sic omnes mei. Funere fletum, esse in ueteribus quibusdam libris, alij scribunt. Lambinus, Funere lessum. SI *aliquis esse potest*, ℈ sic omnes mei: duobus exceptis, in quibus, Si quis potest esse. IS *ad exiguum tempus*, ℈ Isq. est usque ad exiguum tempus, unus. Vsque ad exiguum tempus, quinque. Isq. ad exiguum tempus, octo. Isq. ad exiguum, unus. Isq. usque ad exiguum tempus unus. Post, Tempus, erat, Durat, in uulgatis libris, quod tollendum censuimus auctoritate septem meorum librorum. POST *mortem quidem sensus &c.* ℈ Sensus, delendus iampridem putaui. nunc, opinionem meam libro meo uetere confirmari, gaudeo. MEDITATVM ℈ Seneca dolet, magnam uitae partem nihil agentibus, maiorem male agentibus, totam aliud agentibus elabi. MORIENDVM *certe est; &c.* ℈ Seneca lib. x. Omnes eadem condicio deuinxit. cui nasci contigit, mori restat. interuallis distinguimur, exitu aequamur. hoc, quod inter primum, & ultimum diem iacet, uarium, & incertum est. si labores aestimas, etiã puero longum; si uelocitatem, etiam seni angustum. nihil non lubricum, & fallax, & omni tempestate mobilius. iactantur cuncta, & in contrarium transeunt, iubente fortuna. &, in tanta uolutatione rerum humanarum, nihil cuiquam, nisi mors, certum. Pindarus Olymp. Od. 2. Τὸν ἅπαντα μοῖρ' ἐνιαυτόν· ἦ τοι βροτῶν γε κέκριται πεῖρας οὐ τὸ θανάτου. Et Metrodorus: Πρὸς μὲν τὰ ἄλλα τάντα, ἀσφάλειαν ἔσι πορίσασθαι, χάριν δὲ θανάτου πάντες ἄνθρωποι ἀτείχιστον πόλιν οἰκοῦμεν. Ideſt: Aduersus alia omnia praesidi j aliquid parari potest: sed, quod ad mortem attinet, omnes urbem incolimus carentem moenibus. QVI *poterit* ℈ Quis, decemseptem. ANIMO *consistere?* ℈ Animo, non est in uno. Animo laeto, unus. EST *interfectus;* ℈ ab Arunte, Tarquinij regis filio: & ab ipso item Aruns occisus est. Liuius lib. 2. Plut. in Poplicola, de uir. ill. cap. 10. Valer. lib. v. cap. 6. Florus lib. 1. cap. 10. Cic. Tusc. 1. & iv. & in Paradoxis. M. ATILIVM? ℈ Regulum. AD *supplicium est profectus*, ℈ de supplicio uariant scriptores. uide Agellium lib. vi. cap. 4. de uir. ill. cap. 40. Flor. lib. 2. cap. 2. Epit. Liu. lib. xiix. Valer. lib. 1. cap. 1. & lib. ix. cap. 2. Polybiũ, Orosiũ lib. iv. cap. 10. Vide & D. Aug. de Ciu. D. lib. 1. cap. 15. & 24. & Silium lib. vi. & Cic. Off. 1. Parad. 11. in Pisonem, Valerium lib. 2.

lib.2.cap.4.Horatium Carm.lib.IV.od.5. DVOS *Scipiones*, ℈ Liuius lib.XXV.Silius lib. XIII. Appianus in Libyco,Orosius lib.IV.cap.17.Florus lib.2.cap.6.& Valerius lib.III.cap.7. Vide Parad.1. L. PAVLLVM, ℈ Liuius lib.XXIII.Polybius lib.v.Plut.in Paullo Aemilio,Silius lib.IX.Florus lib.2.cap.6. Oros. lib. IV.cap.16.& Valer.lib.III.cap.2. MORTE *sua luit* ℈ Sua, non legitur in decemocto meis. Morte luit sui,unus, M. MARCELLVM, ℈ Liuius lib.XXVII.Plut.in uita.Valer.lib.v.cap.de humanitate, de uir. ill.cap.5.Silius lib.XII.Oros lib.IV.cap.18.& Off.1. LEGIONES *nostras*, ℈ idem Tusc.1. QVOD ℈ Quas,duodecim. ETIAM *rustici* ℈ ex agris enim in militiam proficiscebantur. ep.7. lib.XI. Fam. Ex agricolis (ait Cato de re rust.) & uiri fortissimi,& milites strenuissimi gignuntur.Columella quoque idem dicit.Et Xenophon in Oeconomico scribit, Rei militari non aliud hominum genus magis idoneum esse, quam agricolas. SVNT *pueritiae certa studia:* ℈ Mineruae haec sunt ad Telemachum,apud Homerum:

--οὐκ ἔτι σὲ χρὴ
Νηπιάας' ὀχέειν, ἐπεὶ οὐκ ἔτι τηλίκος ἐσσι.

Idest:

--pueriles spernito nugas,
Confirmata uirum cum te iam fecerit aetas.

A *senectute quaerantur*, ℈ Quaeruntur in senectute, undecim. OCCIDVNT, ℈ solis instar. SIC *occidunt etiam senectutis*. ℈ Etiam,non est in uno.Iam,unus. Et,unus.Occidunt sic etiam sen. unus. Occidunt,non est in tribus. NON *audeam dicere*. ℈ Vobis,addunt omnes libri scripti. *Vobis*: adolescentibus generosis,liberaliter institutis,acutis,praeclare de me sentientibus, quiq. nihil in malam partem sitis accepturi. QVO *ab ea propius absum*. ℈ pro,minus disto.Sic locutus ep.1.ad Att. Illam manum tu mihi cura ut praestes,quoniam tu propius abes,Pompeij nostri. Alibi:Loca,quae a Brundisio propius absunt,quam tu,biduum,aut triduum.Tusc.1.Quae quo propius aberant ab ortu. Et Plinius lib.XIV. Tum prope ab origine rerum sumus. *Quo ab eo propius absum*: sic quattuordecim. unus, Eo. unus non habet, Ab eo.Male in quinque, Quod.Adsum,quinque.Assum,unus.

CICERO

EGO *uestros patres,P. Scipio,tuq. C. Laeli, uiros clarissimos,mihiq. amicissimos,uiuere arbitror,et eā quidem uitam, quae est sola uita nominanda. nam, dum sumus in his inclusi compagibus corporis,munere quodam necessitatis,& graui opere perfungimur.est enim animus caelestis ex altissimo domicilio depressus, & quasi demersus in terram, locum diuinae naturae, aeternitatiq. contrarium. sed,credo, deos immortales sparsisse animos in corpora humana, ut essent, qui terras tuerentur, quique, caelestium ordinem contemplantes, imitarentur eū uitae modo, atque constantia. Nec me solum ratio, ac disputatio impulit, ut ita crederem, sed nobilitas etiam summorum philosophorum, & auctoritas. Audiebam, Pythagoram, Pythagoreosque, incolas paene nostros, qui essent Italici philosophi quondam nominati, numquam dubitasse, quin ex uniuersa mente diuina delibatos animos haberemus. Demonstrabantur mihi praeter ea, quae Socrates, supremo uitae die, de immortalitate animorum disseruisset, is, qui esset sapientissimus Apollinis oraculo iudicatus. Quid multa? sic mihi persuasi, sic sentio:cum tanta celeritas sit animorum, tanta memoria praeteritorum, futurorumq. prudentia, tot artes, tot scientiae,tot inuenta; non posse eam naturam, quae res eas contineat,esse mortalem: cumq. semper agitetur animus,nec principium motus habeat, quia ipse se moueat, nec finem quidem habiturum esse motus, quia numquam se ipse sit relicturus:&, cum simplex animi sit natura,neque habeat in se quidquam admistum, dispar sui, atque dissimile,non posse eum diuidi: quod si non possit, non posse interire: magnoq. esse argumento,homines scire pleraque ante,quam nati sint;quod iam pueri,cum artes difficiles discant, ita celeriter res innumerabiles arripiāt, ut eas non tum primum accipere uideantur,sed reminisci,et recordari. Haec Platonis fere.*

EXPLANATIO

COMPAGIBVS *corporis*, ℈ uide Lactantium cap.9.de orig.erroris. GRAVI *opere* ℈ sic decem octo. Grauiori opere,unus.Graui ope,unus.Graui opera,unus.quomodo Lamb.citans Lucretium.

--parua perfunctus opella.

EST *enim animus caelestis* ℈ probat sex argumentis animorum immortalitatem. *Animus caelestis*: Lucretius;

Denique caelesti sumus omnes semine oriundi.
Omnibus ille quidem pater est.

Vide Lactantium de opificio hominis, cap.19. Ex *altissimo domicilio* ℈ ex primo orbe, qui continet ceteros,qui summus ipse deus est.de Somnio Scipionis. CORPORA *humana* ℈ ex humo orta. TVERENTVR, ℈ excolerent,gubernarent. CAELESTIVM *ordinem* ℈ de nat.de.II. Qui primum eos humo excitatos celsos,& erectos constituit,ut deorum cognitionem,caelum intuentes,capere possent. sunt enim e terra homines non ut incolae, atque habitatores, sed quasi spectatores superarum rerum, atque caelestium:quarum spectaculum ad nullum aliud genus animantium pertinet. Et de Somnio Scip. Homines sunt hac lege generati,qui tuerentur illum globum,quem in hoc templo medium uides,quae terra dicitur.

Landesbibliothek Oldenburg

Quo loco uide Macrobium. Et Xenophon lib. I. de dictis, & factis Socratis. NOBILITAS § atqui Pythagoras aurifabri filius fuit, sua tamen sapientia nobilitatus. AVCTORITAS: § inde, Αὐτὸς ἔφη. CONTEMPLANTES, § Platonis etymologiam de homine posuimus lib. I. Off. Monet & D. Gregorius,

Θυμὲ βλέφον ἀνωχθονίων δ' ἐπιλήθεο πάμπαν.

PYTHAGOREOSQVE, § Pythagoricosque, duo. INCOLAS *paene nostros*, § tenuerant enim Italiae partem, quae Magna Graecia uocabatur. In Laelio. Vide Laertium lib. IIX. & omnino Augustinum lib. IIX. de Ciu. Dei. DELIBATOS *animos* § ideſt, deriuatos, infusos. alias, Delibratos. Tusc. v. Humanus animus decerptus ex mente diuina. SOCRATES, § apud Platonem in Phaedone. SAPIENTISSIMVS § Omnium sapientissimus, omnes mei libri, uno excepto. Graeca oraculi uerba:

Σοφὸς Σοφοκλῆς, σοφώτερος Εὐριπίδης,
Πάντων δὲ σοφώτατος Σωκράτης.

SIC *mihi persuasi*, § Sic mihi prorsus persuasi, legi in uetere libro, scribunt docti uiri. Sic persuasi mihi, duodecim. Mihi sic persuasi, duo. CVM *tanta celeritas sit animorum, &c.* § argumenta quattuor, ad probandam animorum immortalitatem, ex Platone sumpta. PRVDENTIA, § ita legit Nonius perspicue. itaq. est in antiquis meis sexdecim. quinque, male, Prouidentia. TOT *scientiae*, § sic decem. Tantae scientiae, septem. Tot, sententiae, tres. Tantae sententiae, unus. SCIENTIAE, § Iureiurando affirmare quidam non sunt ueriti, Scientias non reperiri plurali numero. CVMQ. *animus semper agitetur*, § sic decemnouem. duo, Cumq. semper agitetur animus. SIMPLEX *animi natura*, § contra Aristoteles in fine lib. VII. Ethicorum. DISPAR *sui*, § sic omnes mei, uno excepto, a quo abest τὸ, Sui. HAEC *Platonis fere*. § sic septem. Haec sunt Platonis fere, quattuor. Haec Platonis fere sunt, duo. Haec Platonis sunt, unus. Haec Platonis esse ferunt, unus. Haec Plato uester, unus. Noster, unus. Haec sententia Platonis fere, unus. Haec Platonis sunt uere, unus. Haec Platonem ferunt, unus.

CICERO

APVD *Xenophontem autem moriens Cyrus maior haec dicit: Nolite arbitrari, o mihi carissimi filij, me, cum a uobis discessero, nusquam, aut nullum, fore. nec enim, dum eram uobiscum, animum meum uidebatis; sed, eum esse in hoc corpore, ex ijs rebus, quas gerebam, intelligebatis. eundem igitur esse creditote, etiam si nullum uidebitis. Nec uero clarorum uirorum post mortem honores permanerent, si nihil eorum ipsorum animi efficerent, quo diutius memoriam sui teneremus. mihi quidem numquam persuaderi potuit, animos, dum in corporibus essent mortalibus, uiuere; cum exissent ex ijs, emori: nec uero tum animum esse insipientem, cum ex insipienti corpore euasisset; sed, cum, omni admistione corporis liberatus, purus, & integer esse coepisset, tum esse sapientem. atque etiam, cum hominis natura morte dissoluitur, cetera rerum, perspicuum est, quo quaeque discedat. abeunt enim illuc omnia, unde orta sunt; animus autem solus nec, cum adest, nec, cum discedit, apparet. Iam uero, uidetis nihil morti tam esse simile, quam somnum. atqui dormientium animi maxime declarant diuinitatem suam. multa enim, cum remissi, & liberi sunt, futura prospiciunt. ex quo intelligitur, quales futuri sint, cum se plane corporis uinculis relaxarint. Quare, si haec ita sunt; sic me colitote, inquit, ut deum: sin interituru una est animus cum corpore; uos tamen, deos uerentes, qui hanc omnem pulchritudinem tuentur, & regunt, memoriam nostri pie, inuiolateq. seruabitis. Cyrus quidem haec moriens: nos, si placet, nostra uideamus. Nemo umquam mihi, Scipio, persuadebit, aut patrem tuum Paullum, aut duos auos, Paullum, & Africanum, aut Africani patrem, aut patruum, aut multos praestantes uiros, quos enumerare non est necesse, tanta esse conatos, quae ad posteritatis memoriam pertinerent; nisi animo cernerent, posteritatem ad se pertinere. An censes (ut de me ipso aliquid, more senum, glorier) me tantos labores, diurnos, nocturnosq. domi, militiae suscepturum fuisse, si ijsdem finibus gloriam meam, quibus uitam, essem terminaturus? non ne melius multo fuisset, otiosam aetatem, & quietam, sine ullo labore, aut contentione, traducere? sed nescio quo modo animus, erigens se, posteritatem semper ita prospiciebat, quasi, cum excessisset e uita, tum denique uicturus esset. quod quidem ni ita se haberet, ut animi immortales essent: haud optimi cuiusque animus maxime ad immortalitatis gloriam niteretur.*

EXPLANATIO

APVD *Xenophontem* § argumenta sex Xenophontis, pro animorum aeternitate. EVM *esse*, § Eum, abest ab uno. NEC *uero* § probat, esse animos in corporibus. QVO *diutius* § ob corum merita. nec enim diu memoria manet, nisi caussa sit, cur diu maneat. Inde natum est glossema, Quo iustius, & diutius; (quod est in uno meo) quod alij probarunt, sententia parum examinata. TENEREMVS. § sic tredecim. Retineremus, octo. ABEVNT *illuc omnia, unde orta sunt*. § Euripides Supplicibus:

Οθεν δ' ἕκαστον εἰς τὸ σῶμ' ἀφίκετο,
Ενταῦθ' ἀπῆλθε. πνεῦμα μὲν πρὸς αἰθέρα,
Τὸ σῶμα δ' εἰς τὴν γῆν. οὔτε γὰρ κεκτήμεθα
Ημέτερον αὐτὸ, πλὴν ἐνοικῆσαι βίον.

NIHIL *morti tam esse simile, quam somnum*. § Ouid. lib. II. Am.

Stulte,

Stulte, quid est Somnus, gelidae nisi mortis imago?

Sorgias, extrema aetate, cum in somnum se delabi animaduerteret, Somnus, inquit, fratri suo me traditurus est. ATQVE § sic decemseptem. quattuor, Atqui. CVM § Quoniam, legit Langius, ex Xenophonte. CORPORIS *uinculis* § Corporum, tres. SIC *me colitote, inquit, ut Deum:* § sic de Som. Scip. Deum te igitur scito esse. Colite, septem. Inquit, abest a quattuor. HANC *omnem pulchritudinem* § mundum uniuersum. AFRICANI *patrem, aut patruum*, § uterque perijt in Hispania. POSTERITATEM *ad se pertinere*. § Posse, addunt nouem. Isocrates: Οτι τὶς ἐστὶν αἴσθησις τοῖσ τελευτικόσι περὶ τῶν ἐνθάδε γιγνομένων. IPSO § Ipse, quattuor. MORE *senum*, § supra: Nihil necesse est de me ipso dicere mihi: quamquam est id quidem senile, aetatiq. nostrae conceditur. DOMI, *militiae* § lib. II. Off. in extremo, dixit, Vel belli, uel domi. AD *immortalitatis gloriam* § sic nouem. Ad immortalitatem, gloriam, unus. Ad immortalem gloriam, decem. Ad immortalem maxime gloriam, unus.

CICERO

QVID, *quod sapientissimus quisque aequissimo animo moritur, stultissimus iniquissimo? non ne uobis uidetur animus, is, qui plus cernat, & longius, uidere se ad meliora proficisci; ille autem, cuius obtusior sit acies, non uidere? equidem efferor studio patres uestros, quos colui, & dilexi, uidendi neque uero eos solum conuenire aueo, quos ipse cognoui, sed illos etiam, de quibus audiui, & legi, & ipse conscripsi. quo quidem me proficiscentem haud sane quis facile retraxerit, nec tamquam Peliam recoxerit. quod si quis deus mihi largiatur, ut ex hac aetate repuerascam, & in cunis uagiam: ualde recusem. nec uero uelim, quasi decurso spatio, ad carceres a calce reuocari. quid enim habet uita commodi? quid non potius laboris? sed habeat sane: habet certe tamen aut satietatem, aut modum. non libet enim mihi deplorare uitam; quod multi, & ij docti, saepe fecerunt. nec me uixisse paenitet: quoniam ita uixi, ut non frustra me natum existimem. & ex hac uita discedo, tamquam ex hospitio, non tamquam ex domo. commorandi enim natura diuersorium, non habitandi dedit. o praeclarum diem, cum ad illud diuinorum animorum concilium, coetumq. proficiscar; cumq. ex hac turba, & colluuione discedam. proficiscar enim non ad eos solum uiros, de quibus ante dixi, uerum etiam ad Catonem meum: quo nemo uir melior natus est, nemo pietate praestantior: cuius a me corpus crematum est: quod contra decuit ab illo meum: animus uero, non me deserens, sed respectans, in ea profecto loca discessit, quo mihi ipsi cernebat esse ueniendum. quem ego meum casum fortiter ferre uisus sum; non quo aequo animo ferrem; sed me ipse consolabar, existimans non longinquum inter nos digressum, & discessum, fore. His mihi rebus, Scipio, (id enim te cum Laelio admirari solere dixisti) leuis est senectus, nec solum non molesta, sed etiam iucunda. quod si in hoc erro, quod animos hominum immortales esse credam: libenter erro; nec mihi hunc errorem, quo delector, dum uiuo, extorqueri uolo. sin mortuus, ut quidam minuti philosophi censent, nihil sentiam: non uereor, ne hunc errorem meum philosophi mortui irrideãt. Quod si non sumus immortales futuri: tamen, exstingui homini suo tempore, optabile est. nam habet natura, ut alia rum omnium rerum, sic uiuendi modum: senectus autem peractio aetatis est, tamquam fabulae: cuius defatigationem fugere debemus, praesertim adiuncta satietate. Haec habui, de senectute quae dicerem: ad quam utinam peruenias; ut ea, quae ex me audistis, re experti, probare possitis.*

EXPLANATIO

VIDERE *&c.* § non enim aeque uident omnes animi. CONVENIRE *aueo*, § Habeo, omnes libri scripsi. NEC *tamquam Peliam recoxerit*. § Diodorus lib. IV. Ouidius Metam. Ne si, tamquam Pelias, recoxerit, Langius probat; & dictum ait, Tamquam, pro Quemadmodum. Neque tamquam pilam retorserit, quattuor. Nec tamquam pilam retorserit, tres. Nec tamquam retorserit pilam, unus. Nec tamen retorserit pilam, tres. Nec umquam pilam retraxerit, unus. Nec tamquam retoxerit pilam, Peliam, unus. Nec tamquam recoxerit pilam, unus. Neque tamquam retorserit pilam, duo. Nec tamquam retroxerit pilam, unus. Neque tamquam retorsit Pelliam, uno. Muretus Variarum Lect. lib. VI. cap. 10. e Plauti Pseudolo uersus ad hunc Ciceronis locum facientes ponit:

Quia sorbitione faciam ego te hodie mea,
Item ut Medea Peliam concoxit senem:
Quem medicamento, & suis uenenis dicitur
Fecisse rursus ex sene adolescentulum,
Item te ego faciam.

Est & illud apud Nonium, in, Puellus, ex Varronis Marcipore: Peliam Medeae permisisse, ut se uel uiuum degluberet, dummodo redderet puellum. Vide & Catullum epig. L. *Peliam:* Iasonis patrem, quem a Medea, in Iasonis gratiam, medicatis aquis, recoctum, & iuuentuti restitutum, poetae fingunt. QVOD *si* § Et si, decemnouem, & in Nonio, Repuerascere. QVIS § sic omnes libri. DEVS *mihi* § ord. praep. septem. REPVERASCAM, § sic sex. Repuerescam, octo. Repueriscam, septem. CVNIS § sic omnes libri. Apud Nonium, loco citato, Cunabulis, legitur. QVID *enim habet uita commodi?* § Euripides:

Ο' βίος ἀληθῶς οὐ βίος, ἀλλὰ ξυμφορά:
Non uita uita est, sed grauis labor, dolor.

Et

Et Virgilius:

Optima quaeque dies miseris mortalibus aeui
Prima fugit: subeunt morbi, tristisq. senectus,
Et labor, & durae rapit inclementia mortis.

Pindarus etiam conqueritur,

ὅτι ἐν παῤ ἐσθλὸν
σὺν δύο κακὰ δαίονται βροτοῖς οὐρανίδαι.

QVID *non potius laboris?* ξ Homerus:

Οὐδὲν ἀκιδνότερα γαῖα τρέφει ἀνθρώποιο
Πάντων, ὅσα τε γαῖαν ἐπιπνείει τε ἕρπει.

ET *ex hac uita discedo,* ξ sic quattuor. Et ex uita ista discedo, tres. Et ex uita ita discedo, sex. Ex uita ita discedo, duo. Et ex ista tãquã ex hospitio discedo duo. Et ex uita discedo, unus. Et ex uita hac ita tãquã ex hospitio discedo, duo. Verũ ex hac uita discedo, unus. COMMORANDI *enim natura diuersoriũ, nõ habitandi, dedit.* ξ Comm.e.n.d.nobis, nõ habitãdi, dedit, undecim. Comm.e.natura d.dedit, non habitandi, duo. Comm.e.n.d. nobis dedit, nõ habitãdi, tres. Cõmorandi enim, nõ habitandi, natura diuersorium dedit, unus. Male alias, post haec uerba erat, Locum, sic, Non habitandi locũ. quod male est & in duobus meis. *Non habitandi:* cũ natura nobis dederit usuram uitae, quasi diuersorium: cur uelimus esse perpetuum, quod ad tempus datũ est? Commoramur enim, non habitamus, in diuersorijs. AD *illud diuinorum animorum concilium,* ξ Diuinum, decemseptem. PROFICISCAR; *discedam.* ξ ὕστερον πρότερον. dicendum enim primo loco fuit, Discedam; deinde, Proficiscar. VERVM *etiam ad Catonem meum:* ξ sic sexdecim. Verum & ad Cat.m.unus. Verum ad Cat.m.unus. Verum etiam ad Catonem filium meum, unus. Sed etiam ad Cat.m. unus. Sed ad Cat.m.unus. VIR *melior* ξ Plutarchus in Catone maiore, filium eius uirum optimum ab eo saepe in libris nominari, prodidit: perijsse autem, cum bellum gereret reip. caussa. CVIVS *a me corpus crematum est: quoil contra decuit ab illo meum:* ξ pro, Cum contra deceret, ab illo meum. Sic locutus in Laelio: Peccasse se, non angũtur: obiurgari, molestè ferunt: quod contra oportebat, delicto dolere, obiurgatione gaudere. Et pro Quinctio: Reliquum est, ut eum nemo iudicio defenderit: quod contra copiosissime defensum esse contendi. &c. Haec ideo colligi, ne quis, duriore fortasse offensus loquendi genere, mutandi occasionem, quo morbo laborant multi, acciperet ex inscitia sua.

Placet hoc loco ueteres Inscriptiones adscribere, in quibus idem legitur.

Romae, in aedibus Delphiniorum.

NINNIA CRONIS
VIX.AN.III M.X.DIES.XXV
QVOD.DECVIT.NATAM PATRI.PRAESTARE.SEPVLTO
HOC.CONTRA.NATAE PRAESTITIT.IPSE.PATER

Ibidem.

DIS.MANIBVS
FLAVIAE . APOLLINARI
NEPTI.SVAE.VIX.A.VIII
QVOD.NEPTIS.AVRAE.FACER
DEBVIT.AVIA.FECIT.NEPTI
SVAE . SACR

In Foro Traiano, in aedibus Io. Coritii.

Verius.hunc.tumulum.matri.tu.nata.dicasses
Quam.mater.miserae.nunc.tibi.nata.facit
Bis.senos.completam.annos.te filia.matri
Eripuit.miserae.mortis iniqua dies
Optestor.manes.meritae.sanctaeque.patronae
Et, comprecor.ut.leni.terra.tegat.tumulo

In domo Caesia.

Dijs
Manibus
Succesi . Fil
Caesia . Gemella
mater . pijssimo
filio . de . suo
Vix . ann . IX
M . IIII . Dieb . XV
Fatis . peractis . mater
Eode . est . condita . quae
post . obitum . fili
Vix . ann . III . M . XI . D . VIII .

A sinistro latere.

Quod . fas . parenti
facere debuit filius
Mors . immatura fecit
ut faceret . parens

Pater . Successus

Suppremum . utrisque
praestitit . officium

Et.

alumno . et . sibi
Infelix . Fatu
prior . debui
mori . mater

Neapoli.

Nonia . M . F . Maxima
Vixit . ann . XXXV
et . quod . miserrimum . est
mater . fecit . filiae
Cantria . C . F . Polla

Flerij, in agro Brixiano, ad D. Zenonis.

L . Cornelio
Secundo
qui . uixit . ann . X .
M . V . D . XX .
L . Cornelius
Glycon
pater . infel
filio . dulcissim
Quod . si . ei . tua . fata
siuissent . tu . nobis
ponere debueras

In agro Sorano.

D . M . S .
Oppia . Calsiane . ma
ter . feci , filiae , meae
Quod . aequom . fuerat
filia . hoc , faceret , mihi
Vitelliae , L . F , Talliae
Q . V . A . XXI
Septimius . Profutu
rus . optimae , coniugi

Romae, ad D. Andreae, prope Columnam Antonini, Montem Citatorum, Forum Capranic.

Iulio . Ce
liano . qui
uicxit . an
XVI . M ,
dies
Parentes
Quod . sibi
i . a . filio fie
ri . optabant
ipsi . filio
fecerunt
in . pace

Romae.

Aemilio . Paulo . Papi
niano . praefecto . prae
torio . iurisconsulto
qui uixit annos . XXXVI
dies . X . mens . III , Papi
nianus . Hostilius
Eugenio . Gracilij
turbato , ordine
in . senio
heu , parentes
fecerunt
filio . optimo

Lenij, in agro Brixiano, ad Abbatiam.

D . M
Attiae . Innocentiae
summae . castitaris
ac . sapientiae , seminae
quae . uixit . ann
XLIII . M . VIII . D . IV
Augustinus . subdiae
coniugi. dulcissimae
cum . qua . uixit . ann . VII , M . II
D . XX . contra , uotum
B . M . M . P .

Crematum: In Epitome Liuij legitur, Catonem filij funus paruo sumptu fecisse. *Decuit:* Debuit, unus. Ab *illo meum:* Meum, non est in uno. ANIMVS *uero* ⁊ Catonis filij, e uita discedētis. FORTITER *ferre* ⁊ hoc Laelius de Amicitia, de Catone claro praeconio praedicat. NON *molesta*, ⁊ Nec, unus. IVCVNDA. ⁊ propter conscientiam recte factorum, bene actae uitae, & immortalitatis spem. QVOD *animos hominum &c.* ⁊ Qui, tres. Quia, duo. MINVTI *philosophi* ⁊ Cyreanici, Epicurei, minorū gentium. VEREOR, *ne* ⁊ Vereor, ut, unus. PHILOSOPHI *mortui* ⁊ Philosophi morituri, duo. Philosophi minuti, unus. Philosophi, non est in uno. Mortui, non est in uno. IRRIDEANT. ⁊ Rideant, duo. Philosophi mecum mortui, unus.

Landesbibliothek Oldenburg

IACOBI. CRITONII SCOTI

Ad Laurentium Massam.

Ode.

ERRANTEM ab oris me Caledoniis
Postquam triremis per freta Nerei
Vexit, uolentem, mox remotos
Conspicere, & populos, & urbes,
Musae per undas praecipites piae
Vagum secutae, numine candido
Saeuis obarmatum periclis
Incolumem sine labe seruant.
Nati labores seu dea Cypria
Secuta, longas per pelagi uias
Hostile per ferrum, per ignes,
Perq. minas comes ibat omnes.
Si forte Gades impiger ultimos,
Syrtes ue, aut Indos uisere barbaros,
Vellem, nec Indos, interue Syrtes
Destituent ope contumaces.
En obstrepentis qui Oceani freta
Mutaui amicae fluctibus Hadriae,
Latinus hospes, iam relictis
Diis patriis, gelidoq. caelo.
At non egenum coetus Aonius
Abiecit, adsunt mi faciles deae,
Praestantq. dulces una amicos,
Quos eadem pia cura iungit.
Te, Massa, clari gloria sanguinis,
Pars una summi, & maxima consili,
Ardensq. uirtus te nitentem,
Te decorant & opes beatum.
Musis amicus cum uigeas tamen,
Musis amico Critonio foue;
O digne Diuarum fauore,
Quiq. Deum faueas amicis.

Landesbibliothek Oldenburg

IACOBI CRICHTONII SCOTI

Ad Laurentium Maffæum.

Ode.

Egnantem ab oris me Caledoniis
Pofquam uiremis per freta Nerei
Vexit, nolentem, mox remotos
Conspicere, & populos, & urbes,
Multæ per undas præcipites piæ
Vagum fecutæ, numine candido
Sacris obstrictum periclis
Incolumem fine labe ferunt.
Nec labores feu dea Cypria
Secuta, longas per pelagi uias,
Horrile per ferrum, per ignes,
Per, minas comes ibat omnes,
Si fœtæ Gades impiger ultimos,
Syrtes ue, aut Indos uifere barbaros,
Vellem, nec Indos, interue Syrtes
Delituit ope contumaces.
En obstrepentis qui Oceani freta
Murani amicæ fluctibus Hadriæ,
Lætus sospes, iam uelitis
Dilis patriis, gelidop. cælo.
Ast non egenum cœtus Aonius
Abiecit, adfint mi faciles deæ,
Præcantet. dulces ut amicos,
Quos eadem pia cura iungit.
Te, Maffa, clari gloria sanguinis,
Pars una iuuni, & maxima consili,
Ardenti. uirtus te ut certem,
Te decorant & opes beatum.
Multis amicus cum uigeas tamen,
Multis amico Crichonio fonc;
O digne Diuarum fauore,
Quid. Deum fauces amicis.

M·TVLLII·CICERONIS

LAELIVS

VEL

DE · AMICITIA

AD. T. POMPONIVM. ATTICVM

Dialogi personae,

FANNIVS . SCAEVOLA . LAELIVS

CICERO

Q. MVCIVS augur multa narrare de C. Laelio, socero suo, memoriter, & iucunde solebat, nec dubitare, illum in omni sermone appellare sapientē. ego autem a patre ita eram deductus ad Scaeuolam, sumpta uirili toga; ut, quoad possem, & mihi liceret, a senis latere numquam discederem. itaque multa, ab eo prudenter disputata, multa breuiter, & commode dicta, memoriae mādabam; fieriq. studebam eius prudentia doctior. quo mortuo, me ad pontificem Scaeuolam contuli: quem unum nostrae ciuitatis & ingenio, & iustitia praestantissimum audeo dicere. Sed de hoc alias: nunc redeo ad augurem. Cum saepe multa narraret, tum memini, domi in hemicyclo sedentem, ut solebat, cum & ego essem una, & pauci admodum familiares, in eum sermonem illum incidere, qui tum fere erat multis in ore. memimisti enim profecto, ut opinor, Attice, & eo magis, quod P. Sulpicio utebare multum, cum is tribunus pl. capitali odio a Q. Pompeio, qui tum erat consul, dissideret, quicum coniunctissime, & amantissime uixerat, quanta hominum esset uel admiratio, uel querella. itaque cum Scaeuola, cum in eam ipsam mentionem incidisset, exposuit nobis sermonem Laelij de amicitia, habitum ab illo secum, & cum altero genero C. Fannio, M. filio, paucis diebus post mortem Africani. cuius disputationis sententias memoriae mandaui: quas in hoc libro exposui meo arbitratu. quasi enim ipsos introduxi loquentes; ne, Inquam, & Inquit, saepius interponeretur. atque id eo feci, ut, tamquam a praesentibus, coram haberi sermo uideretur. cum enim saepe mecū ageres, Attice, ut de amicitia scriberem aliquid; digna mihi res tum omnium cognitione, tum nostra familiaritate uisa est: itaque feci non inuitus, ut prodessem multis tuo rogatu. sed, ut in Catone maiore, qui est scriptus ad te de senectute, Catonem induxi senem disputantem; quia nulla uidebatur aptior persona, quae de illa aetate loqueretur, quam eius, qui & diutissime senex fuisset, & in ipsa senectute prae ceteris floruisset: sic, cum accepissemus a patribus, maxime memorabilem C. Laelij, & P. Scipionis familiaritatem fuisse; idonea mihi Laelij persona uisa est, quae de amicitia ea ipsa dissereret, quae disputata ab eo meminisset magister meus Scaeuola. genus autem hoc sermonum, positum in hominum ueterum auctoritate, & eorum illustrium, plus nescio quo pacto uidetur habere grauitatis. itaque ipse, mea legens, sic afficior interdum, ut Catonem, non me, loqui existimem. sed, ut tum ad senem senex de senectute, sic in hoc libro ad amicum amicissimus de amicitia scripsi. tum est Cato locutus, quo erat nemo fere senior temporibus illis, nemo prudentior: nunc Laelius, & sapiens, (sic enim est habitus) & amicitiae gloria excellens, de amicitia loquitur. tu uelim a me animum parumper auertas, Laelium loqui ipsum putes. C. Fannius, & Q. Mucius ad socerum ueniunt post mortem Africani: ab ijs sermo oritur: respondet Laelius: cuius tota disputatio est de amicitia: quam legens tu ipse cognosces.

Landesbibliothek Oldenburg

EXPLANATIO



Q. MVCIVS *augur multa narrare* ¶ post Augur, in omnibus scriptis libris est, Scaeuola, sic, Q. Mucius augur Scaeuola multa narrare. Non dixit autem, Q. Mucius Scaeuola augur, ut initio Dialogi & consonantium, & uocalium concursum uitaret. DE *C. Laelio* ¶ Cicero in Bruto, Laelij, & Scipionis dicendi genus comparans, Laelio, ut horridius, & antiquius, sic etiam illustrius tribuit. Hos ut horridos, ita uelut Atticos Romanos, fuisse scribit Quinctilianus lib. XII. IN *omni sermone* ¶ quotiescumque mentio eius incidisset. APPELLARE *sapientem*. ¶ Sapiens Laelius habitus est, quod, uidens se res nouas sine turbatione reip. moliri non posse, ab incepto destiterit. Plutarchus in Gracchis. De eius sapientia lib. II. de Off. Et de Fin. II. Sapientem dictum scribit, quod non intelligeret, quid esset suauissimum. non quod sequatur, ut, cui cor sapiat, ei non sapiat palatus, sed quia parui id duceret. Hoc autem nomine Sapientis & ipse, & Cato censorius appellati sunt. lib. III. de Off. & in prooemio de Senectute, & in hoc ipso dialogo, infra. DEDVCTVS ¶ Tacitus in dialogo de Oratoribus: Apud maiores nostros iuuenis ille, qui foro, & eloquentiae parabatur, imbutus iam domestica disciplina, refertus honestis studijs, deducebatur a patre, uel a propinquis ad eum oratorem, qui principem locum in ciuitate tenebat. hunc sectari, hunc prosequi, huius omnibus dictionibus interesse, atque (sic dixerim) pugnare in proelio discere. Ad hunc morem alludit Cato saepe, de Senectute differens. SVMPTA *uirili toga*, ¶ quae sumebatur in Iouis Capitolini templo. Valerius lib. v. QVOAD *possem, & mihi liceret*, ¶ sic tres mei. in undecim τὸ Mihi deest. In uno additum in margine. In duobus additum in spatio, quod uersus dirimit. In uno erat, sed deletum. *Quoad possem*: per mea negotia. *Et mihi liceret*: per eius occupationes. MVLTA *breuiter &c.* ¶ Multa etiam breuiter, &c. sexdecim. Et, pro Etiam, unus. BREVITER *dicta*, ¶ ἀποφθέγματα, Graecis. COMMODE *dicta*, ¶ in loco. *Commode*: Iocunde, unus. EIVS *prudentia* ¶ omni eum prudentiae genere praestitisse, in libro de claris orat. scriptum est. PONTIFICEM *Scaeuolam* ¶ lib. III. de Orat. & lib. I. ET *ingenio, & iustitia praestantissimum* ¶ sic undecim. duo, Et ingenio, & industria praest. unus, Et ingenio, & doctrina praest. unus, Et ingenio, & iustitia audeo dicere praest. unus, Et ingenio, & industria, & iustitia praest. duo, Ingenio, & iustitia (additum superne, Industria) praest. *Ingenio*: de Oratore: Q. Scaeuola, Aequalis, & collega meus, (loquitur Crassus) homo omnium & disciplina iuris ciuilis eruditissimus, & oratione maxime limatus, atque subtilis, atque, ut ego soleo dicere, iurisperitorum eloquentissimus, eloquentium iurisperitissimus. *Iustitia*: ut qui illud, Ex fide bona, magnificaret. de Off. II. CVM *saepe multa narraret*, ¶ sic octo. Narrabat, quattuor. Vnus, Narrabat, & sup. Ret. Vnus, Dissereret. In uno prius, Diceret, & postea additum, Narraret. In uno deest. In duobus additum in margine. Qua ex uarietate opinor omnia esse glossemata: & rectius abesse. IN *hemicyclo* ¶ corona prudentum. QVI *tum fere erat multis more*. ¶ aut legendum, cum duobus meis ueteribus libris, Qui tum multis erat in ore; aut, Qui tum fere erat omnibus in ore, ut in quinque; aut, Qui tunc fere omnibus erat in ore. Nam, Fere multis, absurdum esse, constat. PROFECTO, *ut opinor, Attice*, ¶ Sic duo. unus, Profecto, Attice, ut opinor. unus, Profecto, o Attice. duodecim non habent illud, Vt opinor. P. SVLPICIO ¶ orator egregius, qui loquitur in libris de Oratore. DISSIDERET, ¶ Discederet, unus. CONIVNCTISSIME, *& amantissime* ¶ duo, Coniunctissime diu, & am. τὸ, Et, non est in duobus. Vnus, Amatissime. QVANTA *hominum esset* ¶ Quanta esset hominum, sexdecim. Quanta esset uel hominum, unus. Quanta esset omnium, unus. ADMIRATIO, ¶ ob rei nouitatem. QVERELLA. ¶ ob damnum, & periculum, in quo resp. ob eorum odia uersabatur. CVIVS *disputationis &c.* ¶ Eius disput. nouem. Eiusq. disput. duo. Eius uero disput. unus. Eius ipsius disput. unus. IN *hoc libro* ¶ abest τὸ, In, a nouem. Hoc in libro, tres. MEO *arbitratu*. ¶ ord. praep. omnes libri. QVASI ¶ quod reuera non loquerentur, cum essent mortui. INTRODVXI ¶ Induxi, quinque. NE, *Inquam, & Inquit, saepius interponeretur. atque id eo feci, &c.* ¶ haec omnia, praeter uerbum, Atque, tolluntur a diligentibus uiris: idq. se facere auctoritate antiquorum librorum auctoritate, admonent. Ego nihil muto: quia consentire meos omnes ueteres libros uideo cum uulgata lectione. In uno meo, Ne, Inquam, & Inquit, saepius interponeretur. atque ut tamq. Imitatus est Platonem, cuius haec sunt in Theaeteto: Ἵνα οὖν ἐν τῇ γραφῇ μὴ παρεχοιεν πράγματα αἱ μεταξὺ τῶν λόγων διηγήσεις περὶ αὐτοῦ τε ὅποτε λέγοι ὁ Σωκράτης. ὅτον καγὼ ἔφην, ἐγὼ εἶπον. ἢ δ' ὃς περὶ τοῦ ἀποκρινομένου, ὅτι σωιφη, ἢ οὐκ ὡμολόγει, τοῦτον ἕνεκα ὡς αὐτὸν αὐτοῖς διαλεγόμενον ἔγραψα, ἐξελῶν τὰ τοιαῦτα. MECVM *ageres, Attice, ut de amic.* ¶ Mecum ageres, o Attice, duo. Mecum saepe ageres, Attice, unus. Mecum ageres, ut &c. sex. In uno sup. additum, O Attice. Mecum ageres de amic. ut, duo. Mecum saepe ageres, ut de amic. tres. Mecum ageres, ut de amicitia scriberem Attice aliquid, unus. PRODESSEM *multis* ¶ nihil enim utilius, quam ea cognoscere, quae tum ad instituendam, tum ad conseruandam amicitiam pertinent. *Prodesse m multis*: ord. praep. tres. TVO *rogatu*. ¶ ord. praep. octo. VT *in Catone maiore, qui* ¶ sic sex. Vt in Catone maiore feci, qui, octo. Vt in Catone maiori, qui, unus. Vt in Catone maiori feci, qui, duo. Vt in Catone feci maiore, qui, unus. EST *scriptus ad te* ¶ sic quattuordecim. Est scriptus, Attice, ad te, unus. Est scriptus, o Attice, ad te, unus. Est conscriptus ad te, unus. Est inscriptus ad te, unus. IN *ipsa senectute* ¶ In ipsa aetate, sex. PRAE *ceteris* ¶ Praeter ceteros, sex. Praeceteros,

unus.

Landesbibliothek Oldenburg

unus. MAGISTER *meus* ʒ in iure ciuili. SIC *in hoc libro* ʒ τὸ, In, abest a septem. In uno additum sup. SCRIPSI. ʒ sic tres. reliqui omnes, (quindecim,) Scripsit. TEMPORIBVS *illis*, ʒ Illis temporibus, tres. Absunt haec duo uerba a duobus. sed in uno additum in margine. A ME *animum parumper auertas*, ʒ sic duo. Animum a me parumper auertas, septem, Animum a me aduertas, unus. Animum parum a me auertas, unus. Animum ad me paullisper aduertas, unus. Animum a me paullisper auertas, tres. Animum ad me parumper aduertas, unus. Paullisper animum auertas, unus. Animum a me rumpere auertas, unus. POST *mortem Africani*: ʒ minoris. quem a propinquis occisum esse, suspicio fuit. de Somnio Scip.

CICERO

SVNT ista uera, Laeli, nec enim melior uir fuit Africano quisquam, nec clarior. sed existimare debes, omnium oculos in te esse coniectos. unum te sapientem, & appellant, & existimant. tribuebatur hoc modo M. Catoni. scimus L. Acilium apud patres nostros appellatum esse sapientem: sed uterque alio quodam modo: Acilius, quia prudens esse in iure ciuili putabatur: Cato, quia multarum rerum usum habebat, multaq. eius & in senatu, & in foro uel prouisa prudenter, uel acta constanter, uel responsa acute ferebantur, propterea quasi cognomen iam habebat in senectute sapientis. te autem alio quodam modo dicunt, non solum natura, & moribus, uerum etiam studio, & doctrina esse sapientem; nec, sicut uulgus, sed, ut eruditi solent appellare, sapientem; qualem in reliqua Graecia neminem. nam, qui Septem appellantur, eos, qui ista subtilius quaerunt, in numero sapientum non habent. Athenis unum accepimus, & eum quidem etiam Apollinis oraculo sapientissimum iudicatum. hanc esse in te sapientiam existimant, ut omnia tua in te posita esse ducas, humanosq. casus uirtute inferiores putes. itaque ex me quaerunt, credo ex hoc item Scaeuola, quonam pacto mortem Africani feras, eoq. magis, quod his proximis nonis, cum in hortos D. Bruti auguris, commentandi caussa, ut assolet, uenissemus, tu non affuisti, qui diligentissime semper illum diem, & illud munus solitus esses obire. SCAE. *Quaerunt quidem, C. Laeli, multi, ut est a Fannio dictum: sed ego id respondeo, quod animaduerti, te dolorem, quem acceperis tum summi uiri, tum amantissimi, morte, ferre moderate, nec potuisse non commoueri, nec fuisse id humanitatis tuae: quod autem his nonis in collegio nostro non affuisses, ualetudinem caussam, nō mae stitiam, fuisse.*

EXPLANATIO

SVNT *ista uera, Laeli.* ʒ sic octo. tres, Sunt ista uera, o Laeli. tres, Sunt ista uera, ut dicis, Laeli. unus, Vera, ait, sunt ista, o Laeli. Vnus, Haec sunt ista, o Laeli. Rectius in duobus non legitur, τὸ, Vera, & si additum sit in margine. Quo modo locutus Acad. I. Tunc ego, Sunt, inquam, ista, Varro. Plato multis in libris, Ἐσι ταῦτα. In Axiocho autem, Ἀληθῆ ταῦτα, ὦ Σώκρατες. NEC *enim melior uir fuit*, ʒ Vir, non est in duobus. *Melior*: uirtute praestantior. CLARIOR: ʒ rebus gestis illustrior. OMNIVM *oculos in te esse coniectos.* ʒ ut remp. defendas. In omnibus libris additur, Nunc, sic: Omnium oculos nunc in te esse coniectos. Recte. L. ACILIVM ʒ L. Atilium, omnes fere libri: etsi multi mendose, L. Actilium. unus, L. Acalidium, emendatumque, L. Atilium. APPELLATVM *esse Sapientem.* ʒ hunc non nominat lib. III. de Off. Sed Catonem dumtaxat, & Laelium. ACILIVS, ʒ Atilius, ijdem libri. CATO, ʒ de cuius laudibus uide Liuium lib. XXXIV. VSVM *habebat*, ʒ sic omnes libri. *Vsum*: Afranius, apud Agellium, lib. XIII. cap. 8.

Vsus me genuit, mater peperit Memoria, (loquitur Sapientia.

MVLTAQ. *eius &c.* ʒ abest, Quo, ab omnibus libris. In quattuor pro, Eius, Enim. PROVISA *prudenter*, ʒ ne uel rei causla caderent, uel resp. aliquid detrimenti caperet. ACTA *constanter*; ʒ cum inuidiae non cederet, neque periculis ab honesta sententia depelleretur. RESPONSA *acute* ʒ ingeniose, & ad rem propositam accommodate. QVASI *cognomen* ʒ ut semper Cato Sapiens diceretur. Vel, ut, si quis, Sapiens diceret, Catonem intelligeret. κατ' ἐξοχήν. ALIO *quodam modo dicunt*, ʒ Dicunt, abest a sexdecim meis. & recte abest. Dicent, unus. Dicunt hominis, unus. NATVRA, ʒ ingenij bonitate. MORIBVS, ʒ quotidiana uitae consuetudine. STVDIO, *& doctrina* ʒ φιλοσοφία, λόγῳ. SICVT *uulgus*, ʒ quod calliditatem, & ostentationem pro sapientia celebrat. IN *reliqua Graecia neminem.* ʒ sic quattuordecim mei. recte. unus, Neminem in tota Graecia. alij addunt, Inueni, Inuenerim, Audiui. QVI *Septem appellantur*, ʒ de quibus Laertius in Thalete. Vide Ausonium. QVI *ista subtilius quaerunt*, ʒ Stoici: qui eam Sapientis ideam fingunt, quae inter homines non reperitur. VNVM, ʒ Socratem. de Senectute: Socrates, is, qui esset sapientissimus Apollinis oraculo iudicatus. APOLLINIS ʒ Pythici. Laertius in uita. Vide Valerium lib. III. cap. 4. Plinium lib. VII. cap. 3. Solinum cap. 7. & Xenophontem. HANC ʒ Socraticam. VT *omnia tua in te esse posita ducas.* ʒ despicientiam rerum humanarum significat, ut nihil admireris, praeter uirtutem; nihil tuum esse putes, praeter animi bona. HVMANOSQ. *casus* ʒ quidquid homini accidere potest: siue morbus corporis, siue iactura rei familiaris, siue amissio dignitatis, aliarumq. rerum, sine quibus aut plane non uiui, aut non satis commode uiui potest. VIRTVTE *inferiores*, ʒ ut semper animi constan-

Landesbibliothek Oldenburg

tiam retineas. CREDO *ex hoc* ⁊ Credo & ex hoc, quattuor. HIS *proximis nonis*, ⁊ hic mos lib. 1. de Diuin. significatur. Vide & Ciceronis epistolam, lib. Fam. IX. ad Varronem. *Quod his proximis nonis:* sic unus. nouem, Quod in his proximis nonis. duo, Quod in proximis nonis. duo, Cum in his nonis proximis. unus, Quidem proximis nonis. duo, Quod proximis nonis. QVOD *autem his nonis* ⁊ sic quattuordecim. duo, Quod autem in his nonis. unus, Quod autem his proximis nonis. unus, Quod h' autem in nonis. IN *collegio nostro non affuisses*, ⁊ sic omnes mei. Fulvius Vrsinus tollit, ex uetere suo libro, illud, Nostro. & ueterem formulam esse ait. Quae cum legatur in duabus ueteribus inscriptionibus, quas Patri meo Horatius Fuscus olim dono dedit, eaeq. dignae sint, quae hoc loco adscribantur, uolui studiosis rem gratam facere. Hae autem sunt.

Landesbibliothek Oldenburg

VACCAM ⁝ SALVTI ⁝ PVBLIC ⁝ VACCAM ⁝ FELICITATI ⁝ VACCAM ⁝ GENIO ⁝ IPSIVS ⁝ TAVR
O . ADFVERVNT . A . VITELLIVS . M . APONIVS . SATVRNINVS . L . SALVIVS . OTHO . TITIANVS
CIVS . CAMERINVS . C . VIPSTANVS . APRONIANVS . P . MEMMIVS . REGVLVS . C . PISO

NERONE . CLAVDIO . DIVI . CLAVDI . F . GERMANICI
CAESARIS . N̄ . II . CAESARIS . AVG . PRO . N̄ . DIVI . AVG . AB . NEP
CAESARIS . AVG . GERMANICO . PONT . MAX . TRIB . POT . VIĪ . IMP . VIĪ . COS . IV̄
COSSO . LENTVLO . COSSI . FILIO COS

K . IANVAR
SVLPICIVS CAMERINVS . MAGISTER . COLLEGI . FRATRVM ARVALIVM . NOMINE . IMMOLAVIT IN CAPITOLIO . O
COS . NERONIS . CLAVDI . CAESARIS . AVG . GERMANICI . IOVI . B . MAREM . IVNONI . VACCAM MINERVAE . VACCAM
GENIO . IPSIVS . TAVRVM IN COLLEGIO . ADFVERVNT . SVLPICIVS CAMERINVS . MAGISTER . L . PISO . L . F .
T . SEXTIVS . AFRICANVS . M . APONIVS . SATVRNINVS . L . SALVIVS . OTHO . TITIANVS . P . MEMMIVS . REGVLVS . C . PISO

ISDEM . COS . III . NONAS . IANVAR
SVLPICIVS . CAMERINVS . MAGISTER . COLLEGI . FRATRVM . ARVALIVM . NOMINE . VOTA . NVNCVPAVIT . PRO SALVTE
NERONIS . CLAVDI . DIVI . CLAVDI . F . GERMANICI . CAESARIS . N . II . CAESARIS . AVG . PRO . N . DIVI . AVG . AB . N . CAESARIS . AVG .
GERMANICI . PONT . MAX . TRIB . VII . IMP . VII . COS . IIII . ET . OCTAVIAE . CONIVGIS . EIVS . VICTIMIS . IMMOLATIS . IN
CAPITOLIO . QVAE SVPERIORIS . ANNI . MAGISTRI . VOVERANT . PERSOLVIT . ET . IN . PROXIMVM ANNVM . NVNCVPAVIT
PRAEVNTE . M . APONIO . SATVRNINO . IOVI . MARES . DVO . IVNONI . VACCAS . II . MINERVAE . VACCAS . II . SALVTI . PVBLIC
VACCAS . II . IN . TEMPLO . NOVO . DIVO . AVG . B . MARES . II . DIVAE . AVG . VACCAS . II . DIVO . CLAVDIO . B . MAR . II . IN . COLLEGIO ADF
SVLPICIVS CAMERINVS . MAGISTER . A . VITELLIVS . L . PISO . L . F . M . APONIVS . SATVRNINVS . P . MEMMIVS . REGVLVS . L . SALVIVS
OTHO TITIANVS

ISDEM . COS . III . IDVS . IANVAR
ADSTANTIBVS . SVLPICIO . CAMERINO . MAGISTRO . L . SALVIO . OTHONE . TITIANO . C . VIPSTANO . APRONIANO

Landesbibliothek Oldenburg

Saenius. Donatus. L. Fabius Fortunatus VII. Id. Nou.
Fratres Arual. in Luc. D. D. Via. Camp apud Lap. V. conu. per. C. Porc. Priſcum mag. et ibi. imm. quod. ui. tempeſt. ictu Fulmin arbor. ſacr. luci. DD. Attact. arduer. earq. arbor. eruendar. ferr. pendendar. adolendar. commolendar. Item. aliar. reſtituendar. cauſa. operiſq. incroandi. arae. temporal. ſacr. D. D. reficiend. eius rei. cauſa luſtr. miſs. ſuoue. taurilib. maior. item ante aed. D. D. B. F. A. iunct. N̄. Ir. item ad ar. tempor. dis inf. s. s Ian patr. ariet. ir. Ioui. uer bec. Ir. Marti. patri ult. ar. N̄. Ir. siue Deo siu Deae. uerb. Ir. Iun D. D. ou. N. ir. Virginib. diu. ou. N̄. ir. Fam. diu. uerb. N̄. ir. Larib. uerb. N̄. ir. matr. lar. ou. N̄. ir Font uerb. N. Flor. ou. N̄. ir. Summan. pat. uerb. atros. ir. Veſtae matri. ou. ir Veſeor. deor. deorq. ou. ir. item. adolend. coinq. ou. ir. et ante Caeſar genio. D. N̄. ſeueri Alexandri Aug. t. a. item diuiſ. N̄. xx. uer bec. xx.
IIII. Id. Dec. fratres. arual. in luco deae Diae. uia Campana. apud. lap. u. conuener per. C. Porc. Priſcum mag. et ibi. immolau. quod ab ictu fulminis arbores luci ſacri. D. D. attactae arduerint earumq. arborum adolefactarum et coinquen darum et in eo luco ſacro aliae sint repoſitae et arae temporal. refectae ferri, effer. ruius oper. perfecti. cauſa luſtrum miſsum ſuoue taurilib. maioribus et ceteraq. s. adfuer. P. Ael. Secundinus T. Fl. Arcreſilaus M. Fab. Fortuna tus. M. Saen. Donatus.
Fuſco. ir. et Dextro Coſ. xIIII. k Mai In luco deae Diae. P. F. mag. L. Porci. Priſci. ob ferri. inlationem ſcriptur. et ſcalptur marmor. cauſa immol. ipſo mag. Porcam et Agnam ſtruib. effertis et extas reddid. ad aram miniſtran tibus. public. et prelentibus ſacr. D. N̄. Aug. Item immolauit. obferri flationem ſcripturae et ſcalctur et operis perfecti. III. Non. Mai. per. Porc. Prilologo Calat et per public fratr. Arualium.

INVALETVDINEM] sic tredecim. Ad Att. lib. VII. bis. Et de Senectute. CAVSSAM] sic omnes mei libri. uno excepto, in quo non est. omnes autem addunt, Respondeo, ante, Caussam. Langius, Caussae. Citatq. Varronem de re rust. III. Hic sonus harum fugae solet esse. Phil. IIX. Cui legatio ipsa morti fuisset. De Orat. Cum ille se custodiae in castris diceret remansisse. Ad Att. IX. Cum eius saluti, qui mihi fuerat, fuisset. MAESTITIAM] sic omnes. unus, Molestiam. unus, male, Intestinam.

CICERO

LAE. RECTE *tu quidem, Scaeuola, & uere. nec enim ab isto officio, quod semper usurpaui cum ualerem, abduci incommodo meo debui: nec ullo casu arbitror hoc constanti homini posse contingere, ut ulla intermissio fiat officij. Tu autem, Fanni, quod mihi tantum tribui dicis, quantum ego nec agnosco, nec postulo, facis amice. sed, ut mihi uideris, non recte iudicas de Catone. aut enim nemo, quod quidem magis credo; aut, si quisquam, ille sapiens fuit. quo modo enim (ut alia omittam) mortem filij tulit? memineram Paullum, uideram Caium: sed hi nec comparantur Catoni, maximo, & spectato uiro. quamobrem caue Catoni anteponas ne illum quidem ipsum, quem Apollo, ut ais, sapientissimum iudicauit: huius enim facta, illius dicta laudantur. De me autem, (ut iam cum utroque loquar) sic habetote. Ego, si Scipionis desiderio me moueri negem; quam id recte faciam, uiderint sapientes: sed certe mentiar. moueor enim tali amico orbatus, qualis, ut arbitror, nemo umquam erit; &, ut confirmare possum, nemo certe fuit. sed non egeo medicina: me ipse consolor, & maxime illo solatio, quod eo errore careo, quo, amicorum decessu, plerique angi solent. nihil enim mali accidisse Scipioni, puto. mihi accidit, si quid accidit. Suis autem incommodis grauiter angi, non amicum, sed se ipsum amantis est. Cum illo uero quis neget actum esse praeclare? nisi enim, quod ille minime putabat, immortalitatem optare uellet: quid non est adeptus, quod homini fas esset optare? qui summam spem ciuium, quam de eo iam puero habuerant, continuo adolescens incredibili uirtute superauit: qui consulatum petijt numquam, factus est consul bis, primum ante tempus, iterum sibi suo tempore, reip. paene sero: qui, duabus urbibus euersis, inimicissimis huic imperio, non modo praesentia, uerum etiam futura bella deleuit. quid dicam de moribus facillimis? de pietate in matrē, liberalitate in sorores, benignitate in suos, iustitia in omnes? haec nota sunt uobis. quam autem ciuitati carus fuerit, maerore funeris indicatum est. Quid igitur hunc paucorum annorum accessio iuuare potuisset? senectus enim, quamuis non sit grauis, ut memini Catonē anno ante, quam mortuus est, mecum, & cum Scipione disserre, tamen aufert eam uiriditatem, in qua etiam nunc erat Scipio. quamobrem uita quidem talis fuit uel fortuna, uel gloria, ut nihil posset accedere: moriendi autem sensum celeritas abstulit. quo de genere mortis difficile dictu est: quid homines suspicentur, uidetis. hoc tamen uere licet dicere, P. Scipioni ex multis diebus, quos in uita celeberrimos, laetissimosq. uiderit, illum diem clarissimum fuisse, cum, senatu dimisso, domum reductus ad uesperum est a patribus conscriptis, a populo R. a socijs, & Latinis, pridie quam excessit e uita: ut ex tam alto dignitatis gradu ad superos uideatur potius, quam ad inferos, peruenisse. neque enim assentior ijs, qui haec nuper disserere coeperunt, cum corporibus simul animos interire, atque omnia morte deleri. plus apud me antiquorum auctoritas ualet, uel nostrorum maiorum, qui mortuis tam religiosa iura tribuerunt; quod non fecissent profecto, si nihil ad eos pertinere arbitrarentur; uel eorum, qui in hac terra fuerunt, magnamq. Graeciam, quae nunc quidem deleta est, tunc florebat, institutis, & praeceptis suis erudierunt; uel eius, qui Apollinis oraculo sapientissimus est iudicatus. qui non tum hoc, tum illud, ut in plerisque, sed idem dicebat semper, animos hominum esse diuinos, ijsque, cum e corpore excessissent, reditum ad caelum patere, optimoque, & iustissimo cuique expeditissimum. quod idem Scipioni uidebatur: qui quidem, quasi praesagiret, perpaucis ante mortem diebus, cum & Philus, & Manilius adessent, & alij plures, tuq. etiam, Scaeuola, mecum uenisses, triduum disseruit de rep. cuius disputationis fuit extremum fere de immortalitate animorum: quae se in quiete per uisum ex Africano audisse dicebat. Id si ita est, ut optimi cuiusque animus in morte facillime euolet tamquam e custodia, uinculisq. corporis: cui censemus cursum ad deos faciliorem fuisse, quam Scipioni? quocirca, maere re hoc eius euentu, uereor, ne inuidi magis, quam amici, sit. Sin autem illa ueriora, ut idem interitus sit animorum, & corporum, nec ullus sensus maneat: ut nihil boni est in morte, sic certe nihil mali. sensu enim amisso, fit idē, quasi natus non esset omnino: quem tamen esse natum, & nos gaudemus; & haec ciuitas, dum erit, laetabitur. Quamobrem cum illo quidem, ut supra dixi, actum optime est, mecum autem incommodius, quem fuit aequius, ut prius introieram in uitam, sic prius exire de uita. sed tamen recordatione nostrae amicitiae sic fruor, ut beate uixisse uidear, quia cum Scipione uixerim: quocum mihi coniuncta cura de re publica, & de priuata fuit: quocum domus fuit, & militia communis, &, id, in quo est omnis uis amicitiae, uoluntatum, studiorum, sententiarum summa consensio, itaque non tam ista me sapientiae, quam modo Fannius commemorauit, fama delectat, falsa praesertim; quam, quod amicitiae nostrae memoriam spero sempiternam fore: idq. mihi eo magis est cordi, quod ex omnibus saeculis uix tria, aut quattuor nominantur paria amicorum. quo in genere, sperare uideor, Scipionis amicitiam, & Laelij notam posteritati fore.*

EXPLANATIO

VSVRPAVI,] pro, obire solitus sum. nam hoc uerbum consuetudinem significat. de Off. lib. II. C. Laelius, is, qui Sapiens usurpatur. CONSTANTI *homini*] iusto, & tenaci propositi uiro, Horatius. NEC *agnosco, nec postulo*,] sic Fam. lib. IV. ep. 4. & lib. XI. ep. 3. *Nec agnosco*: tantam in me esse

Landesbibliothek Oldenburg

se sapientiam. *Nec postulo*: nam arrogans essem, si plus mihi tribui uellem, quam mererer. FACIS *amice*. § qui hoc amori potius des, quam iudicium sequare. AVT *enim nemo*, § hoc ex sententia Stoicorum. AVT, *si quisquam, &c.* § hoc ex communi doctorum iudicio. QVO *modo enim, &c.* § το, Enim, non est in sexdecim. MORTEM *filij* § uide Agellium lib. XIII. cap. 19. PAVLLVM, § Aemilium, quattuor filijs orbatum, duobus in Corneliam familiam adoptaris, duobus morte exstinctis. Valerius lib. v. cap. 10. Seneca decl. lib. IV. Plut. Liu. lib. XLV. Paulli haec sunt, ex oratione, quam de rebus a se gestis ad populum habuit: Cum in maximo prouentu felicitatis uestrae, Quirites, timerem, ne quid male fortuna moliretur, Iouem opt. max. Iunonemq. Reginam, & Mineruam precatus sum, ut, si aduersi quid populo R. immineret, totum in meam domum conuerteretur. quapropter bene habet. res se annuendo enim uotis meis, id egerunt, ut uos potius meum casum doleatis, quam ego uestrum ingemiscerem. CAIVM: § C. Sulpicium Gallum. infra: Paullos, Catones, Gallos, Scipiones, Philos. Et Fam. lib. IV. Graechum, tres mei libri. Male. SED *hi nec comparantur Catoni, maximo, & spectato uiro*. § haec uerba, Maximo, & spectato uiro, negari non potest aptius de Catone sene dici, praesertim a Laelio, summo uiro, quam de eius filio, qui nec uictorias ullas est adeptus, nec triumphauit, nec omnino pro rep. memorabile quidquã gesit. non enim sileret historia. Quare non sequor eos, qui legunt, Sed ij in pueris, Cato in perfecto, & spectato uiro. Quibus nec adstipulantur mei ueteres libri, (nam septem habent, Sed caue, ne hos praeponas Catoni, maximo, & spectato uiro, reliqui faciunt cum impressa lectione) nec sane uideo, a quo uerbo pendeat, aut quo modo consistat per se, Sed ij in pueris. Concedo, & Paullum, & Gallum puerorum mortem constanter tulisse, propterea q. non mediocrem sapientiae laudem assecutos esse. sed, ut ita sit, comparandi tamen Catoni non uidentur. non solum, quia, erepto sibi filio consulari, maiorem, quam Paullus, & Gallus, qui pueros amiserant, constantiae, sapientiaeq. laudem meruit, sed etiam propter alia multa, quibus ei Sapientis cognomen tributum est. quod neque Paullo, neque Gallo contigit. in quo ne comparandi quidem sunt Catoni, maximo, & spectato uiro. Quod Cicero cum dicit, omnes eius uirtutes complectitur, & ostendit praestitisse eum Paullo, & Gallo, non solum constantiae gloria, sed alijs quoque laudibus, quibus Sapiẽs dictus est. (VT *iam cum utroque loquar*) § nam supra solum Scaeuolam allocutus fuit. EGO, *si &c.* § doleo, sed moderate doleo. VIDERINT *sapientes*: § est enim controuersia, utrum nihil omnino dolendum. ET, *ut confirm. p.* § sic tredecim. Vtq. conf. p. tres. Vtiq. conf. p. unus. Vtunq. conf. p. unus. NON *egeo medicina*: § qui philosophus sim. nam philosophia medetur animis, inanes solicitudines detrahit, cupiditatibus liberat, pellit timores. Tusc. II. QVO, *amic. d.* § sic omnes mei. DECESSV, § sic undecim. Septem, Discessu. SCIPIONI § cum emphasi quadam dictum. uiro tam praestanti uirtute, & dignitate. SVIS *autem incommodis &c.* § hoc & in libro de claris orat. dixit, cum de obitu Hortensij loqueretur. NON *amicum, sed seipsum amantis est*. § οὐ φιλοφίλου, ἀλλὰ φιλαύτου εἶναι δοκεῖ. IMMORTALITATEM § ut numquam moreretur. quod quia homini contingere non potest, recte, & sapienter ne cogitabat quidem Scipio. SPEM § quae in pueris laudatur. Vt Virgilius Marcellum, lib. VI. Vbi uide Seruium. PETIIT *numquam*, § ord. praep. unus. Petiuit, decem. FACTVS *est consul bis*, § Factus est bis consul, octo. Consul est factus bis, unus. Factus consul bis, unus. Est factus consul bis, unus. ANTE *tempus*, § lege uel uirtuti, uel reip. temporibus id concedente. nam uirtutis, quam aetatis, cursus celerior: ut ait Cicero Philipp. v. uide Flor. Epit. XLIX. & Plut. in Catone. REIP. *paene sero*: § ortis iam seditionibus tribunicijs, quae remp. paene perdiderunt. unde Scipio, in urbem reuersus, Ti. Gracchum, interrogatus a Catone trib. pl. respondit iure sibi caesum uideri. Quod interpretes non sunt assecuti: qui retulerunt ad Numantinum dedecus, in quo certe resp. non periclitabatur, ut in rogationibus tribunicijs. DVABVS *urbibus euersis*, § Carthagine, & Numantia. de Off. lib. I. MORIBVS *facillimis*, § qui, Panaetij domestica consuetudine, oratione, & praeceptis, licet Stoici, tristior nõ est factus, sed lenior. pro Murena. PIETATE *in matrem*, § Papiriam, a patre, ob latentem caussam, repudiatam. LIBERALITATE *in sorores*, § quarum unam M. Catonis filius, alteram Tubero uxorem duxit. Patrimonium Aemilianum Q. Maximo patri concesit, Scipionis hereditate contentus, de qua & sororum tenuitatem subleuauit. BENIGNITATE *in suos*, § amicos. Sic tres. In duobus, supra Benignitate, Bonitate. Bonitate, tredecim. Quo modo si legas, interpr. lenitate, & facilitate in amicos, & propinquos. IVSTITIA *in omnes*? § qui restituerat Masinissae auunculum. Valerius hoc humanitati tribuit. Iustitia fuit, Gracchum, etsi propinquum, iure caesum pronunciare. *In omnes*? ciues, milites, socios, hostes. HAEC *nota sunt nobis*. § Haec, non legitur in decemseptem. Omnibus, unus. CIVITATI *carus* § Ciuitati huic carus, unus. *Ciuitati carus*: Pro Milone: Quantum luctum in hac urbe fuisse a patribus nostris accepimus, cum P. Africano, domi suae quiescenti, illa nocturna uis esset illata? quis tum non gemuit? quis non arsit dolore? quem immortalem (si fieri posset) omnes esse cuperent: cuius ne necessariam quidem, exspectandam esse mortem? MAERORE *funeris indicatum est*. § alias, Iudicatum est. QVAM *mortuus est*, § Quam esset mortuus, quindecim. Quam mortuus fuisset, unus. ETIAM *nunc* § de praeterito: pro, Etiam tunc. quod alibi quoque legitur. Etiam tunc, est in duobus meis. CELERITAS § hinc Caesar, interrogatus, quodnam mortis genus optimum iudicaret, respondit, Inopinatum. Et Horatius:

– Mercator, *inquit*, nauim iactantibus austris,
Militia est potior. quid enim? concurritur. horae
Momento cita mors uenit, aut uictoria laeta.

QVID *homines suspicentur*, § Quid autem homines susp. quattuor. Quid enim homines susp. unus.

Suspi-

CICERO

HACTENVS mihi uideor, de amicitia, quod sentirem, potissime dixisse. si qua praeterea sunt, (credo autem esse multa) ab ijs, si uidebitur, qui ista disputant, quaeritote. FAN. Nos autem a te potius. quamquam etiam ab istis saepe quaesiui, & audiui, non inuitus equidem: sed aliud quoddam expetimus filum orationis tuae. SCAE. Tum magis id diceres, Fanni, si nuper in hortis Scipionis, cum de republica disputatum est, affuisses. qualis tum patronus iustitiae fuit contra accuratam orationem Phili? FAN. Facile id quidem fuit, iustitiam, iustissimo uiro, defendere. SCAE. Quid amicitiam? non ne facile ei erit, qui, ob eam, summa fide, constantia, iustitiaq. seruatam, maximam gloriam ceperit? LAE. Vim hoc quidem est afferre. quid enim refert, qua me ratione cogatis? cogitis certe. studijs enim generorū, praesertim in re bona, cum difficile est, tum ne aequum quidem obsistere. Saepissime igitur mihi de amicitia cogitanti, maxime illud considerandum uideri solet, num propter imbecillitatem, atque inopiam desideranda sit amicitia, ut in dandis, recipiendisq. meritis, quod quisque minus per se posset, id acciperet ab alio, uicissimq. redderet; an esset hoc quidem proprium amicitiae, sed anteriquior, & pulchrior, & magis a natura ipsa profecta alia caussa esset. amor enim, ex quo amicitia est nominata, princeps est ad benenolentiam coniungendam. nam utilitates quidem etiam ab ijs percipiuntur saepe, qui simulatione amicitiae coluntur, & obseruantur temporis caussa: in amicitia autem nihil fictum, nihil simulatum; & quidquid in ea est, id & uerum, & uoluntarium est. quapropter a natura mihi uidetur potius, quam ab indigentia, orta amicitia, applicatione magis animi cum quodam sensu amandi, quam cogitatione, quantum illa utilitatis esset habitura. quod quidem, quale sit, etiam in bestijs quibusdam animaduerti potest, quae ex se natos ita amant ad quoddam tempus, & ab eis ita amantur, ut facile earum appareat sensus. quod in homine multo est euidentius: primum ex ea caritate, quae est inter natos, & parentes; quae dirimi, nisi detestabili scelere, non potest. deinde, dum similis sensus exstitit amoris, si aliquem nacti sumus, cuius cum moribus, & natura congruamus: quod in eo quasi lumen aliquod probitatis, & uirtutis perspicere uideamur: nihil est enim amabilius uirtute; nihil, quod magis alliciat homines ad diligendum: quippe cum propter uirtutem, & probitatem eos etiam, quos numquam uidimus, quodam modo diligamus. quis est, qui C. Fabricij, M' Curij cum caritate aliqua, & benenolentia memoriam non usurpet, quos numquam uiderit? quis autem est, qui Tarquinium Superbum, qui Sp. Cassium, Sp. Maelium non oderit? cum duobus ducibus de imperio in Italia decertatum est, Pyrrho, & Hannibale. ab altero, propter probitatem eius, non alienos animos habemus; alterum, propter crudelitatem eius, semper haec ciuitas oderit. quod si tanta uis probitatis est, ut eam uel in eis, quos numquam uidimus, uel, quod maius est, in hoste etiam diligamus: quid mirum, si animi hominum moueantur, cum eorum, quibuscum usu coniuncti esse possunt, uirtutem, & bonitatem perspicere uideantur? quam quam confirmatur amor & beneficio accepto, & studio perfecto, & consuetudine adiuncta. quibus rebus ad illum primum motum animi, & amoris adhibitis, admirabilis quaedam exardescit beneuolentiae magnitudo. quam si qui putant ab imbecillitate proficisci, ut sit per quam quisque assequatur, quod desideret: humilem sane relinquunt, & minime generosum, ut ita dicam, ortum amicitiae; quam ex inopia, atque indigentia natam uolunt. quod si ita esset; ut quisque minimum in se esse arbitraretur, ita ad amicitiam esset aptissimus. quod longe secus est. ut enim quisque sibi plurimum confidit, & ut quisque maxime uirtute, & sapientia sic munitus est, ut nullo egeat, suaq. omnia in se ipso posita iudicet; ita in amicitijs expetendis, colendisq. maxime excellit. quid enim? Africanus erat indigens mei? minime hercule. at ne ego quidem illius. sed ego, admiratione quadam uirtutis eius, ille uicissim, opinione fortasse non nulla quam de meis moribus habebat, me dilexit. auxit beneuolentiam consuetudo. sed, quamquam utilitates multae, & magnae consecutae sunt; non sunt tamen ab earum spe caussae diligendi profectae. ut enim benefici, liberalesq. sumus, non ut exigamus gratiam, (neque enim beneficium feneramur) sed natura propensi ad liberalitatem sumus: sic amicitiam, non spe mercedis adducti, sed quod eius omnis fructus in ipso amore inest, expetendam putamus. Ab ijs uero, qui, secundum ritu, ad uoluptatem omnia referunt, longe dissentimus: nec mirum: nihil enim altum, nihil magnificum, nec diuinum suspicere possunt, qui omnes suas cogitationes abiecerunt in rem tam humilem, tamq. contemptam. quamobrem hos quidem ab hoc sermone remoueamus: ipsi autem intelligamus, a natura gigni sensum diligendi, & beneuolentiae caritatem, facta significatione probitatis: quam qui appetierunt, applicant sese, & propius admouent, ut & usu eius, quem diligere coeperunt, fruantur, & moribus; simq. pares in amore, & aequales, propensioresq. ad bene merendum, quam ad repoſcendum; atque haec inter eos sit honesta certatio. sic & utilitates ex amicitia maxime capientur; & erit eius ortus a natura, quam ab imbecillitate, grauior, & ucrior. nam, si utilitas amicitias conglutinaret, eadem commutata dissolueret: sed, quia natura mutari non potest, iccirco uerae amicitiae sempiternae sunt. Ortum quidem amicitiae uidetis: nisi quid adhuc forte uultis.

EXPLANATIO

POTISSIME *dixisse*. ℈ omnes mei libri ueteres habent, Potuisse dicere. EXPETIMVS ℈ sic septem. Nouem, Exspectamus. unus, Petimus, sed sup. additum. Ex. unus, Espectẽ. Sunt, qui uerba haec expungant. FILVM ℈ φρασιν, siue, (ut Quinctilianus) corpus eloquentiae: Elocutionem. nam Inuentio est anima. Metaphora sumpta a re textoria. TVM *magis id diceres, Fanni*, ℈ est hoc μνημονικὸν ἁμάρτημα. uide Agellium lib. xv. cap. 6. DISPVTATVM *est*, ℈ hanc disputationem Cicero sex libris de Rep. complexus

complexus est. PATRONVS § cuius mens etiam in scriptis spirauit. in Bruto. ACCVRATAM *orationem Phili*. § sic omnes mei. alij scribunt esse in uet. libro, Accusatam. ex quo reponunt, Accusantem. De Philo, in Bruto: L. Furius Philus perbene Latine loqui putabatur, litteratiusque, quam ceteri. Vide & Lact. lib. v. cap. 12. *Accuratam:* ingeniose cogitatam. IVSTITIAM *iustissimo uiro* § rectius enim artifex de artificio tractabit. AMICITIAM? § quam cum iustitia in eodem esse, Aristoteles scriptum reliquit. NON NE *facile ei erit*, § Est, pro Erit, nouem. Fuit, unus. Erat, duo. In quinque non legitur. In uno erat, sed deletum. SERVATAM, § sic quinque. Decem, Seruata. Vnus, Reseruata. Vnus, Reseruatam. Vnus, Seruant. Male. GLORIAM *ceperit* § Gloria est uirtutis umbra, quae etiam inuitos sequitur. Quo modo autem Gloria capiatur, uide Off. II. STVDIIS *generorum* § uehementi cupiditati. NVM *propter &c.* § sic unus. Vnus, Verum propter. Reliqui, Vtrum propter. DESIDERANDA *sit amicitia*, § Desiderata, sex. Considerata, unus: male. VT *in dandis*, § In, non est in undecim. In duobus additum. QVOD *quisque* § Quo, sex. Quo, sed additum D, in uno. PER *se posset*, § Per se ipse poss. undecim. Per se minus poss. quinque. Possit, unus. AB *alio*, § Ab aliquo, unus. Ab alijs, duo. Ab illo, unus. Male. ANTIQVIOR, § amicitiae causa quaeritur. *Antiquior:* Inde Pretiosae res Antiquae dicuntur. PROFECTA *alia causa esset*. § Esset, non legitur in septem. in quorum uno additum. Est, pro Esset, undecim. Profecta, siue, Perfecta, delendum putat Lambinus. contra omnes uet. libros. AMOR *enim, &c.* § Cic. lib. II. de Fin. Quid est autem Amare, e quo nomen Amicitiae ductum est, nisi, uelle bonis aliquem affici quammaximis, etsi ad se ex his nihil redeat. PRINCEPS *est* § principatum obtinet in amicitia concilianda. VTILITATES § ex quibus uulgus amicitias probat. AB *indigentia*, § Ab, non est in uno. Ab ipsa indigentia, unus. Ab imbecillitate, alias legebatur. SENSV *amandi*, § ut uterque mutuum amorem sentiat. QVANTVM *illa utilitatis* § Quantum illa res util. sexdecim. Quam illa res util. unus. Quantum illa res esset util. unus. QVIBVSDAM § sic omnes mei libri. Alias, Quiddam. ANIMADVERTI § Aduerti, unus. Ex *se natos ita amant*, § hoc omnibus animantibus ex aequo naturae lex dedit. Off. I. Vide & Plinium lib. IIX. & IX. AD *quoddam tempus*, § nam adultos negligunt. quod toto die uidemus. SIMILIS § Simul, duo. Consimilis, tres. IN *eo quasi lumen aliquod probitatis*. § Fam. lib. III. Insignia uirtutis multi etiam sine uirtute assecuti sunt. talium uirorum tanta studia assequi sola uirtus potest. PERSPICERE § sic unus meus. Reliqui, Prospicere. NIHIL *est amabilius uirtute;* § Virtus maxime omnium rerum beneuolentiam conciliat. sola propter se expetitur, reliqua omnia propter ipsam. ALLICIAT *homines ad diligendum:* § Homines, non legitur in quindecim. C. FABRICII, *M' Curij* § & similium optimorum. ET *probitatem eos etiam*, § Et probitatem etiam eos, quindecim. Duo, Probitatem, & uirtutem. MEMORIAM *non usurpet*, § sic unus. Reliqui non habent τὸ Non. QVOS *numquam uiderit?* § sic omnes mei. Alias, Nusquam. TARQVINIVM *Superbum*, § qui cognomen traxit ex moribus. Florus. De eo uide Liuium lib. 2. Plut. in Publicola, Dionysium lib. IV. SP. *Cassium*, § cui Buscelino cognomen fuit. de quo in or. pro domo, Plin. lib. XXXIV. cap. 4. Valer. lib. VI. cap. 3. SP. *Melium* § Liu. lib. IV. Plut. in Bruto. Cic. or. pro domo, Valerius ibidem, Off. II. Catil. I. Florus lib. I. cap. ult. CVM *duobus ducibus* § sic sexdecim. Cum duobus ducibus est in Italia de imp. unus. PYRRHO, § cuius uitam scribit Plut. Vide Florum. Epit. XIII. & XV. Orosium lib. IV. cap. I. Iustinum lib. XVII. & XIIX. Agell. lib. XVII. cap. ult. Plinium lib. II X. cap. 6. HANNIBALE. § Liuius. PROBITATEM *eius, non alienos animos habemus*, § sic quinque. Prob. eius nominis, non alien. an. hab. decem. Prob. suam, non minus alien. an. hab. unus. Prob. eius, nō nimis alien. an. hab. duo. Quam ueram lectionem puto, & inde factum, Nominis. CRVDELITATEM *eius*, § Eius, non est in quattuor. rectiusq. abest. QVID *mirum, si* § Quid mirum est, si, quattuordecim. MOVEANTVR, § incitentur ad mutuum amorem. CONIVNCTI *esse possunt*, § sic omnes, uno excepto, in quo, Possint. Alias, Possumus. PERSPICERE § Prospicere, undecim. STVDIO *perspecto*, § benemerendi de nobis. CONSVETVDINE *adiuncta*. § quae, si congruunt ingenia, amicitiam confirmat; sin discrepat, dirimit. QVAM *si qui putant* § Quam si quis putet, duo. PER *quam quisque assequatur quod desideret:* § Per quam assequatur quod quisque desi. nouem. Per quam assi. illud quod qu. desi. quattuor. Per quam consequitur quod qu. desi. unus. NATAM *uolunt*. § sic omnes, excepto uno, in quo Nata. Lambinus, Nasci. VT *quisque minimum in se esse arbitraretur*, § uirtutis, & probitatis: ideest, quo quisque egentior esset, eo etiam aptior foret ad amicitiam. Male alias, Vt quisque ualetudinis minimum in se esse arb. Quo modo & unus ex meis. QVID *enim?* § uide Agellium lib. XVII. cap. 5. AFRICANVS *erat indigens mei?* § sic tres. Africanus indigens mei fuit, unus. Africanus fuit indigens mei, duo. Africanus indigens mei, reliqui. HERCVLE. § Hercle, duodecim. AT *ne ego quidem illius*. § Ac, nouem. An, duo. (NEQVE *enim beneficium feneramur*) § unus meus tollit τὸ Enim. Sunt, qui parenthesim tollant, & legant, Feneremur. EIVS *omnis fructus in ipso amore inest*, § ad Appium, Fam. lib. III. ep. ult Itaque mihi propono fructum amicitiae nostrae, ipsam amicitiam, qua nihil est uberius, praesertim in ijs studijs, quibus uterque nostrum deuinctus est. nam tibi me profiteor & in rep. socium, de qua idem sentimus, & in quotidiana uita coniunctum cum ijs artibus, studijsque, quae colimus. PECVDVM *ritum* § hos, de Officijs, Homines nomine tantum, non re, appellat. SVSPICERE § sic recte & in duobus meis. A. NATVRA *gigni &c.* § A, non est in nouem. VT *& usu eius*, § Et, non legitur in uno. Illius, quattuor. AD *bene merendum*, § Ad bene promerendum, tres mei. ATQVE *haec inter &c.* § Atque hoc inter, tres. Atque inter, sex. Atque sit inter eos &c. unus. CERTATIO. § Concertatio, quinque, Huiusmodi sunt illa, Fam. lib. VII. Vide, quanti apud me sis, etsi iure id quidem: non enim

amore

amore te uinco. Alibi dixit, Vt officijs inter se certent, quibus alter alterum uel uincat, uel aequo animo uincatur. MAXIME *capientur*: § ut fructus ex arboribus. ET *erit eius ortus a natura*, § Male alias, & in uno meo, Et erit potius eius ortus a nat. Et in alio meo, Et erit eius ortus a natura potius. EADEM *commutata* § Isocrates, ad Demonicum: Τὰς μὲν φαύλων σωηθείας ὀλίγος χρόνος διέλυσε, τὰς τε τῶν σπουδαίων φιλίας οὐδ' ἂν ὁ παῖς ἅπαν ἐξαλείψειεν. Vide & Senecam lib. 1. ep. 9. NATVRA *mutari non potest*, § quam licet expellas furca, tamen usque recurret, Horatius. *Natura:* uniuersa. ICCIRCO *uerae amicitiae sempiternae sunt*. § nam natura pulchri desiderio capitur, ex Socrate in Platonis Conuiuio. *Verae amicitiae*: quas uirtus conglutinauit. ADHVC § Adhaec, octo mei. Ad hoc, quattuor. FORTE § pro, Fortasse. ad Att. lib. 11x. ep. 3. & lib. 111. de Orat. Fortasse, duo mei. VVLTIS. § Velitis, tres mei. Velletis, unus.

CICERO

FAN. *tu uero perge, Laeli. pro hoc enim, qui minor est natu, meo iure respondeo.* SCAE. *Recte tu quidē. quāobrem audiamus.* LAE. *Audite uero, optimi uiri, ea, quae saepissime inter me, & Scipionem de amicitia disserebantur. quamquam ille quidem nihil difficilius esse dicebat, quam amicitiam usque ad extremum uitae diē permanere: nam, uel ut non idem expediret utrique, incidere saepe; uel ut de republica non idem sentirent. mutari etiam mores hominum saepe dicebat, alias aduersis rebus, alias aetate ingraueſcente. atque earum rerum exemplum ex similitudine capiebat ineuntis aetatis: quod summi puerorum amores saepe una cum praetexta, sumpta toga, deponerentur: sin autē ad adoleſcētiā perduxissent, dirimi tamen interdū cōtētione, uel luxuriae cōdicionis, uel commodi alicuius, quod idem adipiſci uterque nō posset: quod si qui longius in amicitia proiecti essent, tamen saepe labefactari, si in honoris contentionem incidissent: pestem enim maiorem esse nullam in amicitijs, quam in pleriſque, pecuniae cupiditatem, in optimis quibuſque honoris certamen, & gloriae: ex quo inimicitias maximas saepe inter amiciſſimos exſtitiſſe: magna etiam dissidia, et plerumque iusta naſci, cum aliquid ab amicis, quod rectum non esset, poſtularetur, ut aut libidinis miniſtri, aut adiutores essent ad iniuriam: quod qui recusarent, quamuis honeſte id facerent, ius tamen amicitiae deſerere arguerentur ab ijs, quibus obſequi nollent: illos autem, qui quiduis ab amico auderent poſtulare, poſtulatione ipſa profiteri, omnia se amici causſa esse facturos: eorum querella inueterata non modo familiaritates exſtingui solere, ſed etiam odia gigni maxima, atque ſempiterna: haec ita multa, quaſi fata, impendere amicitijs, ut omnia ſubterfugere, non modo ſapientiae, ſed etiam felicitatis dicere ſibi uideri. Quamobrem id primum uideamus, ſi placet, quatenus amor in amicitia progredi debeat. Num, ſi Coriolanus habuit amicos, ferre contra patriam arma illi cum Coriolando debuere? num Buſcelinum amici, regnum appetentem, num Sp. Maelium iuuare debuerunt? Tiberium quidem Gracchum, remp. uexantem, a Q. Tuberone, aequalibuſq. amicis, derelictum uidebamus. at C. Bloſſius Cumanus, hoſpes familiae ueſtrae, Scaeuola, cum ad me, qui aderam Laenati, & Rupilio conſulibus in conſilio, deprecatum uenisset; hanc, ut ſibi ignoſcerem, cauſſam afferebat, quod tanti Ti. Gracchum feciſſet, ut, quidquid ille uellet, ſibi faciendum putaret. tum ego, etiam ne, inquam, ſi te in Capitolium faces ferre uellet? numquam, inquit, uoluiſſet id quidem; ſed, ſi uoluiſſet, paruiſſem. uidetis, quam nefaria uox. & hercle ita fecit, uel plus etiam, quam dixit: non enim paruit ille Ti. Gracchi temeritati, ſed praefuit; nec ſe comitem illius furoris, ſed ducem, praebuit: itaque hac amentia, quaeſtione noua perterritus, in Aſiam profugit; ad hoſtes ſe contulit; poenas reip. graues, iuſtaſq. perſoluit. nulla eſt igitur excuſatio peccati, ſi amici cauſſa peccaueris. nam, cum conciliatrix amicitiae uirtutis opinio fuerit; difficile eſt amicitiā manere, ſi a uirtute deſeceris. quod ſi rectum ſtatuerimus, uel concedere amicis, quidquid uelint; uel impetrare ab amicis, quidquid uelimus: perfecta quidem ſapientia ſumus, ſi nihil habeat res uitij; ſed loquimur de ijs amicis, qui ante oculos ſunt, quos uidemus, aut de quibus memoriam accepimus, quos nouit uita communis. ex hoc numero nobis exempla ſumenda ſunt, & eorum quidem maxime, qui ad ſapientiam proxime accedunt. Vidimus Papum Aemilium C. Luſcino familiarem fuiſſe, (ſic a patribus accepimus) bis una conſules, & collegas in cenſura. tum etiam, cum ijs, & inter ſe coniunctiſſimos fuiſſe Man. Curium, & Ti. Coruncanium, memoriae traditum eſt. igitur ne ſuſpicari quidem poſſumus, quemquam horum ab amico quippiam contendiſſe, quod cōtra fidem, contra iuſiurandum, contra remp. eſſet, nam hoc quidem in talibus uiris quid attinet dicere? ſi contendiſſet, ſcio impetraturum non fuiſſe: cum illi ſanctiſſimi uiri fuerint; aeque autem nefas ſit, tale aliquid & facere rogatum, et rogare. At uero Ti. Gracchum ſequebantur C. Carbo, C. Cato, & minime tunc quidem Caius frater, nunc idem acerrimus hoſtis.*

EXPLANATIO

MINOR *est natu*, § in Bruto. AVDITE *uero*, § Ergo, pro Vero, quinque. AD *extremum uitae diem* § ſic tredecim. Vnus, Ad extremum uitae tempus. Quattuor, Ad extremum uitae. Quod fortaſſe rectius. Vt ſo Diem, & Tempus, ſint gloſſemata. NON *idem sentirent*. § ſic unus. unus, Sentirentur. reliqui, Sentiretur. uno excepto, a quo abeſt. MVTARI *mores hominum* § Horatius:

Oderunt hilarem triſtes, triſtemq. iocoſi,
Sedatum celeres, agilem, gnauumq. remiſsi.

ALIAS, *alias* § ſic omnes mei: uno excepto, in quo, Alijs, alijs. Lambinus notat esse in uet. libris, Alios,

Alios,alios.Legitque,Aliorum,aliorum. CVM *praetexta toga*, § sic recte septem mei. Cum praetexta,uel toga,unus.Cum praetexta,& toga,quinque.Cum praetexta & sumpta toga,duo. Cum praetexta assumpta toga,tres. DEPONERENTVR: § Ponerentur, sex. SIN *autem ad adolescentiam perduxissent*, § duriuscule omnino, Si amores usque ad adolescentiam perduxissent; pro, Perducti essent. Placeret,Peruenissent; uel, Perdurassent, quod olim in Varijs Lectionibus a Patre notatum est. sed ueterem librum,qui adstipuletur,nullum inuenio.Produxissent,duo. DIRIMI *tamen interdum contẽtione,uel luxuriae condicionis, uel commodi alicuius*, § hic ego,quid quisque sentiat, non referam: meam ipse breuiter sententiam exponam, comprobatam quinque meis ueteribus libris. Duas causas ponit, cur dirimantur amores in adolescentia,qui fuerunt a pueritia summi: unam, quia propter luxuriam contendat, quod alius alij praeferri uelit; alteram,propter commoda,quae sibi quisque appetat.Nihil sane,nisi uerbum Condicio, perturbasse uidetur hunc locum. Quod tamen apte, ut opinor, & proprie sic explanatur: *Condicionis luxuriae:* quod meliore unusquisque condicione uelit esse in luxuria. ex quo oritur contentio. *Luxuriae condicionis:* Luxuria,ait Festus,morum est solutio. IN *amicitia prouecti* § In amicitiam prouecti,quattuor. IN *amicitijs*, § τὸ,In, abest a duobus. QVOD *rectum non esset*, § quod cum officio pugnaret. LIBIDINIS *ministri*, § in prodenda suorum, uel uiolanda aliorum pudicitia. ADIVTORES *ad iniuriam:* § uel ad opprimendos insontes,uel ad opes, & honores per fas, & nefas consequendos. QVAMVIS *honeste id facerent*, § nam, quod iniuste petitur, iure negatur. SED *etiam odia gigni maxima, atque sempiterna*. § unus, Sed etiam odia gigni solere sempiterna. reliqui,Sed etiam odia gigni sempiterna. HAEC *ita multa*, § Itaque,quattuor. QVASI *fata*, § sic omnes mei libri. Fato, Langius. IMPENDERE § sic omnes mei. unus,Imminere,impendere. Vt alterum, Imminere scilicet, sit glossema. CORIOLANVS § Plutarchus,Halicarnaseus lib.VII.& IIX.Liuius lib.2. de uir.ill cap. 19. Val.lib.v.cap.2.& 4.Florus lib.1.cap.22. Appianus lib. 1. bell.ciu. BVSCELINVM § in magna ueterum librorum uarietate,ex ijs elicio coniecturam meam,qui habent,Vulselinus,& Becilinus,& Viscelinus, & ex Dionysio,in quo,Ουσκελῖνος.Nam,Buscelinus,uocabulum est,cuius etymologia cognoscitur:cum alij, cur aliter legant,certam rationem non afferant, nec, ut arbitror, afferre possint. Buscelinus autem a Graeca particula Βου, quae in compositione auget,& a Σκέλος,quod est Crus,deducitur:quod insignis esset magnitudine crurum,unde notari, & disiungi ab alijs proprio cognomine debuerit, Sp. Cassius, nec enim arbitror, Cassiae gentis commune, sed proprium huius Cassij cognomen fuisse, qui postea regni affectati crimine necatus est. Neminem enim,praeter hunc, sic appellatum reperi. Sic Bucephalus, Bucentaurus, & alia,de Graeco fonte nomina deriuata.Decem mei,Becillimum.Vnus, Becellinum. Vnus,Becillum. Tres, Becilium.Vnus,Bucillium.Vnus,Actillinum.Ab uno deest. IVVARE § Adiuuare,sex. TI. *Gracchum*, § Plutarchus,App.lib.1.de bell.ci.de uir.ill.cap.64.Flor.lib.III.cap.14.Epit.LIIX.& LIX. Oros.lib. v.cap.8.& 9.Sall.Iugurtha,Porcius Latro in Catilinam,Val.lib.1.cap.de Ausp.lib.III.cap. de Fortitudine, lib.IV.cap.de Amicitia,lib.VII.cap.de sapienter dictis,& factis,Aug.de ciu.D.lib.III. cap. 24. Q. TVBERONE, § homine Stoico, & austero. de quo pro Murena,& de claris oratoribus,Valer.lib.VIII.cap.5. Pomp.de orig.iuris,Plut.in Aemilio,Plin.lib.IIX.cap.17. AEQVALIBVSQ. *amicis* § M. Octauio. Plut.& Appianus. BLOSSIVS § Blosius,tres.Bosius,duo. Blesius,unus. Glosius,unus.reliqui, Bissius.In Valerio lib.IV.cap.7.& Plut.Blosius.Antipatri,Tharsensis philosophi, discipulus. Cic. in Rullum,& Plutarchus in Gracchis,qui tribuit Nasicae,quod hic Laelius de se narrat. sed cum Cicerone facit Valerius lib.IV. cap. 7. FAMILIAE *uestrae*, § Nostrae, nouem. QVI *aderam* § cuius consilio praecipue consules utebantur.Valerius.Quo aderam,nouem. RVPILIO § sic octo recte.unus,Rupellio. duo, Rupillo.unus,Ruptilio duo, Pupilio.unus,Rutulo.tres,Rutilio.Male omnes. IN *consilio*, § in quo, quid agendum contra socios Ti. Gracchi, deliberabatur. DEPRECATVM *uenisset*; § uide Agellium lib.VI.cap.16.& Val.lib.VI.cap. 24. VOLVISSET *id quidem: sed, si uoluisset, paruissem*. § Id quidem, absunt ab octo. a quorum uno abest & τὸ,Inquit,quod praecedit.Alias legebatur; Voluisset.si uoluisset? paruissem.Ita paruissem,sunt,qui legi dicant in uet.libro. HAC *amentia, quaestione noua pert.* § sic nouem. Dementia,unus. Quaestione,unus.Noua quaestione,unus.Hac amicitia noua quaestione,duo.Male. Hac amentia,& noua postulatione,unus.Male.Hac amentia,& quaest.noua pert.tres. IN *Asiam profugit*; § ad Aristonicum,regis Eunenis filium, qui Asiam occupauit, cum testamento Attali regis legata populo Romano libera esse deberet.Rebus autem Aristonici profligatis, sibi mortem consciuit.Plutarchus, & Florus, Cic.in Rullum. GRAVES, *iustasq.* § quia uitam amisit,& seditionis supplicium luit. AMICITIAM *manere*, § Remanere,unus. Permanere, tres. *Difficile est amicitiam manere:* quia cessante causa cessat & effectus. VEL *impetrare ab amicis*, § Ab ijs,quinque.Ab his,nouem.Ab ipsis, duo. PERFECTA *quidem sapientia sumus, si nihil habeat res uitii*: § perfecte sapientes fuimus,in eo,cum statuimus, rectum esse,& concedere amicis,quae uellent, & ab ijsdem impetrare, quae uellemus ipsi:ita uero perfecte sapientes fuimus,si nihil ex eo sequitur incommodi,quod fieri uix potest.Sed ostendit Cicero,uitium in ea re esse:itaque perfecta sapientia minime nos esse, si rectum statuerimus utrumque. Haec est praeclara, nec admodum obscura,huius loci sententia, confirmata duodecim meorum ueterum librorum testimonio. Itaque ualde miror, qui uenerit in mentem nonnullis, de mutatione cogitare. QVOS *uidemus*, § Vidimus, unus, rectius. QVI *ad sapientiam proxime accedunt*. § qui prauis affectibus minimum indulserunt, & omnis officij summum studium habuerunt: etiamsi alicubi errarent, & laberentur, quod humanum est. VIDIMVS § Videmus, quattuor. PAPVM *Aemilium* § Paullum Aemilium,alias. P. Aemilium, omnes libri mei. C. LVSCINO § Fabricio Lucino. Parad.1.& VI. MEMORIAE *traditum est*. §

Memoriae

Suspicentur: suspicabantur,ueneno sublatum. App. lib. 1. de bello ci. Vide Plut.in Gracchis,qui hoc in Fuluium confert, qui eodem die in eum inuectus sit; Plinium lib.VII.cap.44.qui in Metellum Macedonicum, qui liberis dixerit, Ite, filij, celebrate exsequias: numquam ciuis maioris funus uidebitis; Epitomem Liuij lib.LIX. qui in Sempronium; Valerium lib.v. cap. de Ingratis, de uir. ill.Orosium lib.v.cap.10.De Fato: Scipio morietur noctu, in cubiculo suo, ui oppressus, necatus. HOC *tamen uere licet dicere.* ℈ sic recte legitur. sic, & mei quattuordecim. Vnus, Hoc uere tamen licet dicere. Vnus, Hoc uero licet tamen dicere. Vnus, Hoc uerum tamen licet dicere. Vnus, Hoc dicere uere tamen licet. SENATV *dimisso*, ℈ ord.praep. unus.Sunt,qui legant,Senato. REDVCTVS ℈ Deductus, unus. Ductus, unus. AD *uesperum* ℈ sic omnes libri. *A patribus conscriptis, a populo R. a socijs, & Lat.* ℈ Duodecim (in quorum uno, non legitur τὸ, Conscriptis,) A patribus conscriptis, populo R. socijs, & Lat. Tres, A p. c, p. R, & soc.& Lat.Vnus,A p.c,p.R,& a soc.& Lat.Vnus, A p.c, & p.R,& soc.& Lat. Vnus, A p.c,p.R, socijsque,& Lat. *Socijs,& Latinis:* Socij,& Latini, ueteres dicebant, pro, Socij Latini. AD *superos uideatur potius,&c.* ℈ sic sex. Decem,Ad superos uideatur deos potius. Vnus,Magis,pro Potius.Vnus,Ad deos superos potius uidetur. IIS, ℈ Epicureis. Fortasse Caesarem notat, cuius hoc est apud Sallustium, in oratione de Coniuratis. DISSERERE ℈ sic omnes mei.A Pomponio Lacto liber scriptus, Asserere. ANIMOS ℈ Animas, octo. Vnus, Animos simul interire. ATQVE *omnia morte deleri.* ℈ sic tredecim. Vnus, Atque morte simul omnia deleri. Vnus,pro Atque,Et. Vnus neque, Atque; neque,Et. RELIGIOSA *iura* ℈ Iura, pro Iusta,dicit Cicero. QVOD *non fecissent profecto*, ℈ Qui,pro,Quod, unus; Ne,pro,Non,unus; Nec, unus. Quod profecto non fecissent, tres. IN *hac terra* ℈ Italiam intelligit. Pythagoram,& Pythagoreos significat. de Senectute. MAGNAM *Graeciam*, ℈ quae cur ita diceretur, uidendus Strabo lib.VI.Iustinus lib.XX. DELETA *est, tunc florebat*, ℈ Tum, septem. Deleta est,quae tunc,duo. Deleta,quae tunc,unus. Deleta est,sed tum, unus. ERVDIERVNT, ℈ ait enim Liuius,eo tempore paruum litterarum usum esse in Italia. VT *in plerisque*, ℈ legunt alij, Vt plerique; referuntq. ad Academicos maxime, qui nihil affirmabant, uarie disputantes, assensumq. de unaquaque re sustinentes. Ego, cum tredecim meis libris, Vt in plerisque. Referoq. ad ipsum Socratem: cuius ironia propria fuit: nec affirmabat quidquam,sed quasi dubitans disputabat. quod Platonis monumenta testantur. CVM *e corpore excessissent*, ℈ Ex, decem.Discessissent,duo.Exissent,duo. Recessissent,unus. Excessent, unus.Cum corporibus excesisissent,unus. REDITVM *in caelum* ℈ sic tredecim.In caelo,tres. In caelis, unus. OPTIMOQVE, *& iustissimo cuique* ℈ Optimoq. uiro, & iustissimo cuique,septem. Que, non est in duobus. Que, &, non est in duobus. In uno, supra uulgata lectionem additur, Viro.Vnus,Optimo uiro,& iustissimo cuique. EXPEDITISSIMVM. ℈ octo addunt,Iter. unus supra addit. Iter expeditissimum,unus. QVI *quidem, quasi praesagiret*, ℈ sic duo.Quiq. idem,quasi praesagiret, duo. Quiq. idem praesagiret quasi, unus. Qui idem quasi praesagiret, sex. Qui quasi praesagiret, quinque. Quod & idem quasi praesagiret,unus.Quod quasi praesagiret idem,unus. ET *Philus*, ℈ Et,non est in tribus. MECVM *uenisses*, ℈ odi mutationes non necessarias. ut hic, non uideo,cur pro uulgata lectione reponatur, Me conuenisses: cum, Mecum uenisses, & apertam satis habeat sententiam, & in meis sexdecim legatur. (duo alij, unus, Venisses mecum; alter, Mecum fuisses) Nam, quod Laelius in eadem domo cum Scipione habitauerit,id mutandi necesitatem non affert. Scaeuola enim socerum suum Laelium, foris repertum, officij caussa, domum comitatus est. ibi loquentem de rep. Scipionem audiuit. EXTREMVM ℈ in Somnio Scipionis, quae pars fuit extrema libri VI.de Republica. IN *quiete* ℈ ideſt,in somno. PER *uisum* ℈ sic sex. Ex uisu,unus.Visu,tres.Visa,unus.Viso,quinque. *Per uisum:* ideſt,per somnium.uisus enim est Africanus ea narrare nepoti suo Scipioni, quae explicantur in Somnio Scipionis. ID *si ita est*, ℈ Id uero si ita est,tres. TAM QVAM *e custodia*, ℈ φρουρίῳ, Plato in Axiocho: ψυχὴ ξῶν ἀθάνατον, ἐν θνητῷ κατειργμένον φρουρίῳ. i. carcere: unde sequitur, Vinculisque. MAERERE *hoc eius euentu*, ℈ sic duodecim. Euentum,quattuor. Maerere huius euentum,unus.Maerere hoc in eius aduentu, unus. MECVM *autem incommodius*, ℈ Autem,non est in tredecim.Sed mecum incommodius, unus. Mihi uero incommodius,unus. *Incommodius:* quod eius iucundissimae consuetudinis fructu careo. QVEM *fuit aequius*, ℈ Fuerat,omnes. Quem quidem fuerat aequius, unus. INTROIERAM *in uitam*, ℈ In uitam,non leguntur in sex. VOLVNTATVM, *studiorum, sententiarum summa consentio.* ℈ Sallustius, Catilina: Idem uelle,atque idem nolle, ea demum uera amicitia est. Aristoteles Amicum esse dixit unam animam in duobus corporibus habitantem. Et Lyricus, Amicum, Animae dimidium suae dixit. FALSA *praesertim;* ℈ sic omnes mei libri. *Falsa praesertim:* exempla modestiae Laelij. VIX *tria,aut quattuor nominantur paria amicorum.* ℈ lib.III.de Off. *Nominantur:* Notantur, unus.Vnus, Nominentur.

CICERO

FAN. *Istud quidem, Laeli,ita necesse est: sed, quoniam amicitiae mentionem fecisti,& sumus otiosi, pergratum mihi feceris, spero item Scaeuolae, si, quemadmodum soles de ceteris rebus, cum ex te quaeruntur, sic de amicitia disputabis, quid sentias,qualem existimes, quae praecepta des.* SCAE. *Mihi uero pergratum hoc erit. atque id ipsum cum tecum agere conarer, Fannius anteuertit. quamobrem utrique nostrum gratum admodum feceris.* LAE. *Ego uero non grauarer, si mihi ipse confiderem. nam & praeclara uisa res est; & sumus, ut dixit Fannius, otiosi.sed,quis ego sum? aut quae in me est facultas? doctorum est ista consuetudo,eaq. Graecorum,*

Landesbibliothek Oldenburg

ut ijs proponatur, de quo disputent quamuis subito. magnum opus est, egetq. exercitatione non parua. quamobrem, quae disputari de amicitia possunt, ab eis, censeo, petatis, qui ista profitentur. ego uos hortari tantum possum, ut amicitiam omnibus rebus humanis anteponatis. nihil est enim tam naturae aptum, tam conueniens ad res uel secundas, uel aduersas. Sed hoc primum sentio, nisi in bonis amicitiam esse non posse. neque id ad uiuum reseco, ut illi, qui haec subtilius disserunt, fortasse uere, sed ad communem utilitatem parum. negant enim, quemquam uirum bonum esse, nisi sapientem. sit ita sane: sed eam sapientiam interpretantur, quam adhuc mortalis nemo est consecutus. nos autem ea, quae sunt in usu, uitaq. communi, non ea, quae finguntur, aut optantur, sperare debemus. numquam ego dicam C. Fabricium, Man. Curiũ, Ti. Coruncanium, quos sapientes nostri maiores iudicabant, ad istorum normam fuisse sapientes. Quare sibi habeant sapientiae nomen, & inuidiosum, & obscurum; concedantque, ut hi boni uiri fuerint. ne id quidẽ facient: negabunt id, nisi sapienti, posse concedi. agamus igitur pingui Minerua, ut aiunt. Qui ita se gerunt, ita uiuunt, ut eorum probetur fides, integritas, aequitas, liberalitas; nec sit in eis ulla cupiditas, uel libido, uel audacia; sintq. magna constantia, ut hi fuerunt, quos modo nominaui: hos uiros bonos, ut habiti sunt, sic etiam appellandos putemus; qui sequuntur, quantum homines possunt, naturam, optimam recte uiuendi ducem. sic enim mihi perspicere uideor, ita natos esse nos, ut inter omnes esset societas quaedam, maior autem, ut quisque proxime accederet. itaque ciues potiores sunt, quam peregrini; & propinqui, quam alieni. cum his enim amicitiam natura ipsa peperit: sed ea non satis habet firmitatis. namque hoc praestat amicitia propinquitati; quod ex propinquitate beneuolentia tolli potest, ex amicitia autem non potest. sublata enim beneuolentia, amicitiae nomen tollitur, propinquitatis manet. quanta autem uis amicitiae sit, ex hoc intelligi maxime potest, quod ex infinita societate generis humani, quam conciliauit ipsa natura, ita contracta res est, & adducta in angustum, ut omnis caritas aut inter duos, aut inter paucos iungeretur. Est autem amicitia nihil aliud, nisi omnium diuinarum, humanarumq. rerum cum beneuolentia, & caritate summa consensio. qua quidem haud scio an, excepta sapientia, quidquam melius homini sit a diis immortalibus datum. Diuitias alij praeponunt, bonam alij ualetudinem, alij potentiam, alij honores, multi etiam uoluptates. belluarum hoc quidem extremum est: illa autem superiora caduca, & incerta, posita non tam in nostris consilijs, quam in fortunae temeritate. qui autem in uirtute summum bonum ponunt, praeclare illi quidem; sed haec ipsa uirtus amicitiam gignit, & continet: nec sine uirtute amicitia esse ullo pacto potest. iam, uirtutem ex consuetudine uitae, sermoniq. nostri interpretemur; nec metiamur eam, ut quidam docti, uerborum magnificentia; uirosq. bonos eos, qui habentur, numeremus, Paullos, Catones, Gallos, Scipiones, Philos. his communis uita contenta est. eos autem omittamus, qui omnino nusquam reperiuntur. tales igitur inter uiros amicitia tantas opportunitates habet, quantas uix queo dicere. Principio, quis potest esse uita uitalis, ut ait Ennius, qui non in amici mutua beneuolentia conquiescat? quid dulcius, quam habere, quocum omnia audeas sic loqui, ut tecum? quis esset tantus fructus in prosperis rebus, nisi haberes, qui illis aeque, ac tu ipse, gauderet? ad uersas uero ferre, difficile esset, sine eo, qui illes grauius etiam, quam tu, ferret. denique ceterae res, quae expetuntur, opportunae sunt singulae rebus fere singulis; diuitiae, ut utare; opes, ut colare: honores, ut laudere; uoluptates, ut gaudeas; ualetudo, ut dolore careas, & muneribus fungare corporis: amicitia plurimas res continet; quoquo te uerteris, praesto est; nullo loco excluditur; numquam intempestiua, numquam molesta est: itaque non aqua, non igni, ut aiunt, pluribus locis utimur, quam amicitia. neque ego nunc de uulgari, aut de mediocri, quae tamen ipsa delectat, & prodest, sed de uera, & perfecta loquor; qualis eorum, qui pauci nominãtur, fuit. nam & secundas res splendidiores facit amicitia, & aduersas partiens, communicãsq. leuiores. cumq. plurimas, & maximas commoditates amicitia contineat, tum illa nimirum praestat omnibus, quod bona spe praelucet in posterum, nec debilitari animos, aut cadere patitur. uerum enim, amicum qui intuetur, tamquam exemplar aliquod intuetur sui. quocirca & absentes adsunt; & egentes abundant; & imbecilles ualent; & (quod difficilius dictu est) mortui uiuunt: tantus eos honos, memoria, desiderium prosequitur amicorum. ex quo illorum beata mors uidetur, horum uita laudabilis. Quod si exemeris ex natura rerum beneuolentiae coniunctionem: nec domus ulla, nec urbs stare poterit; ne agri quidem cultus permanebit. id si minus intelligitur; quanta uis amicitiae, concordiaeq. sit, ex dissensionibus, atque ex discordijs percipi potest. quae enim domus tam stabilis, quae tam firma ciuitas est, quae non odijs, atque dissidijs funditus possit euerti? ex quo, quantum boni sit in amicitia, iudicari potest. Agragantinum quidem, doctum quandam uirum, carminibus Graecis uaticinatum ferunt; quae in rerum natura, totoq. mundo constarent, quaeq. mouerentur, ea contrahere amicitiam, dissipare discordiam. atque hoc quidem omnes mortales & intelligunt, & re probant. itaque, si quando aliquod officium exstitit amici in periculis aut adeundis, aut communicandis; quis est, qui id non maximis efferat laudibus? qui clamores tota cauea nuper, hospitis, & amici mei, M. Pacuuij in noua fabula? cum, ignorante rege, uter eorum esset Orestes, Pylades Orestem se esse diceret, ut pro illo necaretur; Orestes autem, ita ut erat, Orestem se esse perseueraret. stantes autem plaudebant in re ficta: quid arbitramur, in uera fuisse facturos? facile indicabat ipsa natura uim suam; cum homines, quod facere ipsi non possent, id recte fieri in altero iudicarent.

EXPLANATIO

SPERO *item Scaeuolae*, ꝛ sic decem mei. Spero idem Scaeuolae, quinque. Spero & idem Scaeuolae, unus. Spero item & Scaeuolae, unus. addito tamen τὸ Et superius. Spero itemq. Scaeuolae, unus. CVM *ex te quaer.* ꝛ Quae, pro, Cum, undecim. DISPVTABIS, ꝛ sic unus. Disputaris, nouem. Disputaueris, septem. Disputaueritis, unus. *Disputabis:* rem ordine, ac methodo certa explicabis, uera confirmando,

firmando, contraria refutando. QVID *sentias*, ℈ quam rationem putes eius esse oportere. cuiusmodi personae ad eam sint idoneae. QVAE *praecepta des*. ℈ quo modo colendam censeas, & quatenus. NON *grauarer*, ℈ uobis obsequi. SI *mihi ipse confiderem*. ℈ si eam facultatem disserendi esse putarem in me, ut ex tempore tantam rem possem expedire. PRAECLARA *uisa res est*: ℈ τὸ, Visa, non est in duodecim. DOCTORVM *est ista consuetudo*, ℈ Academicorum, quorum patrium, & peculiarem hunc morem fuisse, alibi testatur. Quem morem in III. de Orat. ad Gorgiam refert. His autem Academiae spatijs plus se eloquentiae debere fatetur, quam rhetorum scholis. VT *ijs proponatur*, ℈ Anteponatur, quattuor. Anteponeretur, unus. Male. Ponatur, tres. Inde, Positiones, ideſt θέσεις. Tusc. I. Ponere iubebam, de quo quis audire uellet. Et: Quaestiunculam ponere. I. de Orat. Quamquam satis ijs, qui aderant, ad id, quod erat positum, dictum uidebatur. Et Fam. IX. Quod tu unum ζήτημα Dioni philosopho posuisti. MAGNVM *opus est*, ℈ requirit magnum ingenium, multiplicem doctrinam, exquisitam methodum. NISI *in bonis amicitiam esse non posse*. ℈ hoc ait & Laertius in Zenone. Sallust. Iugurtha, in oratione Memmij: Eadem cupere, eadem odisse, eadem metuere, inter bonos amicitia, inter malos factio. Plato in Lyside huius rei rationem reddit, quod boni sunt similes inter se, ob idq. amici: mali autem ne sibi ipsis quidem similes, nedum alijs. Quod & legitur apud eundem I. de Rep. & apud Arist. lib. IIX. & IX. Moralium: & apud Isocratem in Paraenetico. NISI *in bonis*: pro, Inter bonos. Graeco more. ILLI, *qui &c.* ℈ Stoici. SVBTILIVS *diſerunt*, ℈ sic undecim Tres, Inquirunt. Duo, Dixerunt. Vnus, Diſseruerunt. Stultius dixerunt, unus. AD *communem utilitatem* ℈ officium, quod καθῆκον μέσον appellant. Off. I. FINGVNTVR, ℈ docendi, & acuendi studij caussa. SPERARE *debemus*. ℈ sic unus. reliqui omnes, Spectare. C. FABRICIVM, ℈ uide Agellium lib. IV. cap. 8. & Valerium lib. IV. cap. 3. M' CVRIVM, ℈ uide Valerium eodem loco. TI. *Coruncanium*, ℈ de Orat. III. Pomponius de orig. iuris, Florus Epit. XIIX. INVIDIOSVM, ℈ Pythagorae, Democriti, & aliorum. OBSCVRVM; ℈ cuius nulla exempla exstant, sicut perfecti officij. CONCEDANTQVE, ℈ Que, non est in omnibus, uno excepto, in quo, Concedant tum, &c. NE *id quidem facient*: ℈ Nec, tres. PINGVI *Minerua, ut aiunt*. ℈ non exquisitis argumentis, ruidius, planius, ἀμαθέστερον. FIDES, ℈ quae ut habeatur, duabus rebus effici potest, si existimabimur adepti coniunctam cum iustitia prudentiam. Off. II. INTEGRITAS, ℈ Integri sunt, qui se corrum pi non sinunt. quod Continentiae est. ἀδιαφθορία. Vel, καλοκαγαθία, sanitas totius animi. AEQVITAS, ℈ Aequalitas, omnes libri mei. Aequabilitatem uocat I. Off. cum idem semper uultus, eademq. frons est. LIBERALITAS; ℈ quae iustitiae & ipsa pars est. quae in dando, & accipiendo uersatur, sed magis in dando. VLLA *cupiditas*, ℈ Vlla, non est in uno meo. *Cupiditas*: auaritia, cupiditas pecuniae, atque opum. LIBIDO, ℈ amores impudici. AVDACIA; ℈ impetus animi, a rebus iniustis perpetrandis non abhorrens. SINTQ. ℈ Sitq. omnes: uno excepto, qui non habet τὸ Que. MAGNA *constantia*, ℈ in uirtutis proposito perseuerantia. SEQVVNTVR, ℈ Sic legendum. sic quinque mei. QVANTVM *homines possunt*, ℈ quasi prorsus non liceat. OPTIMAM *recte uiuendi ducem*. ℈ omnes mei, Optimam bene uiuendi ducem. Fuluij Vrsini liber, Optima recte uiuendi duce. PROXIME *accederet*. ℈ sic undecim. Adhaereret, duo. Aderet, deletum in uno, & supra positum, Accederet. Adhaereret, uel Accederet, duo. Adhiberet, unus. *Accederet*: ad quemque: id est, ut quisque cuique proximus, & coniunctissimus esset. PEREGRINI; ℈ alterius nationis. PROPINQVI, ℈ ex eadem oriundi familia. ALIENI. ℈ nulla necessitudine naturali coniuncti, non cognati. EX *infinita societate &c.* ℈ sic omnes mei libri. EST *autem amicitia* ℈ Amicitiae definitio. Est enim amicitia, sex decim. Est uero amicitia, unus. Ergo est enim amicitia, unus. CVM *beneuolentia, & caritate* ℈ mutuo amore. SVMMA *consensio*. ℈ sic octo. Summa, deest in septem. In duobus additum. Coniunctio, duo. EXCEPTA *sapientia*, ℈ quae uirtutem omnem in se complectitur: nec ab ea separari potest. QVIDQVAM ℈ Nihil, octo. BELLVARVM, ℈ Epicureorum. de Fin. I. SVPERIORA *caduca*, ℈ sic duo. Superiora sunt caduca, reliqui: uno excepto, in quo, Superiora sunt & caduca. IN *fortunae temeritate*. ℈ quae, caeca, alata, & globo uolubili insistens pingitur. de qua Ouidius:

Nempe dat, & quodcunque libet Fortuna, capitque:
Irus & est subito, qui modo Croesus erat.

SVMMVM *bonum* ℈ ad quod omnia referuntur. Arist. I. Eth. & Cic. de Fin. GIGNIT, *& continet* ℈ nam amicitia ex uirtute oritur, & conseruatur. est enim genitrix, & nutrix amicitiae. EX *consuetudine uitae*, ℈ sic quattuor. additur, Nostrae, in reliquis. NEC *metiamur eam, ut quidam docti, uerborum magnificentia*; ℈ Nec eam metiamur, tres. Nec eam, ut q. d, uerb magn. metiamur, quattuordecim. quorum unus, Vt quidam docti faciunt. *Docti*: sic omnes mei recte. intelligit Stoicorum imaginariam perfectionem: quos nequaquam pro indoctis habet. Siquidem opinioni illorum derogat, doctrinae minime derogat. GALLOS, ℈ C. Sulpicium Gallum. supra. PRINCIPIO, *quis potest esse uita uitalis*, ℈ pro, Quis omnino uiuit. Fuluij liber, Cui potest &c. Principio quidem, q. &c. unus. Qui, septem. in quorum uno additum supra, S. In uita uitalis, unus. Quis potest esse uitalis, unus. Qui potest uita utilis, unus. IN *amici mutua, beneuolentia conquiescat*? ℈ in extremo hoc Laelio: Vicissim senes in adolescentium caritate acquiescimus. QVID *dulcius*, ℈ Quid enim dulcius, quinque. Quid dulcius est, tres. QVOCVM *omnia audeas sic loqui, ut tecum*? ℈ de cuius fide, & taciturnitate non dubites: cuius cōscientiam minus timeas, quam tuam, ait Seneca. Terentianus Chremes:

Nemo est meorum amicorum hodie, apud quem expromere omnia mea occulta,
Clitipho, audeam.

Landesbibliothek Oldenburg

Vide Quidium Trist.lib.III.eleg.6. ADVERSAS *uero ferre* § Aduersas uero res ferre, tres. QVI *illas grau.* § Illas, non est in duobus. Illa, unus. Qui etiam illas grau. duo. Qui illas & grau. unus. OPPORTVNAE *sunt singulae rebus fere singulis*; § ideſt, earum utilitas non ita late patet, non habent usum tam multiplicem, quam amicitia. *Opportunae sunt singulae:* Opportunae sunt & singulae, unus. Opportunae sunt fere singulae, unus. VT *utare*; § tam diuitiarum finis usus est. VT *colare*; § ut habeas plures famulos, multos equos, magnificas edes. VT *laudere*; § quod fieri non potest sine praestanti uirtute. DOLORE *careas, & muneribus fungare corporis*: § Vt mun. duo. Dolore careas; uires, ut mun. f. corp. duo. PLVRIMAS *res* § immo omnes. NVMQVAM *intempestiua*, § Plautus Mercatore:

Quamquam negotium est, si quid uis, Demipho,
Non sum occupatus umquam operam dare amico.

NVMQVAM *molesta* § Horatius:

At, pater ut gnati, sic nos debemus amici
Si quod sit uitium, non fastidire. &c.

DE *uulgari*, § quam ex utilitate tantum, & iucunditate metimur. DE *uera, & perfecta* § quae ex mutuo bonorum consensu constat; cuiusq. causa efficiens est mera uirtutis admiratio. QVI *pauci nominantur*, § Perpauci, unus. in altero additum, Per. Numerantur, unus meus. Intelligit autem amicorum paria. SPLENDIDIORES § ut in nuptiarum apparatu. BONA *spe* § Bonam spem, sex. pro, spem ostendere tamquam lucem quandam praelatam. Sic Lucretius lib. I. Lumen praepandere. Bona semper sp. duo. in quorum uno supra additum τὸ Semper. PRAELVCET *in posterum*, § non modo praesentibus malis medetur, sed etiã ueluti occidentis Solis rubescentes nubes futuram animorum serenitatẽ pollicetur. CADERE § desperare penitus. VERVM *enim amicum qui intuetur*; § sic tres. Etiam, pro Enim, quin decim. Etenim, pro, Enim, Fuluij liber. EXEMPLAR § Exemplum, unus. Exemplare, unus. ABSENTES *adsunt*, § nam amici non minus absentium, quam praesentium, meminerunt: eos amant, colunt, eorumq. partes agunt. Inde Isocrates, ueros amicos a fictis distinguens, ait: Οἱ μὲν τοὺς φίλους παρόντας τιμῶσιν, οἱ δὲ καὶ μακρὰν ἀπόντας ἀγαπῶσι. EGENTES *abundant*; § nam, ubi amici, ibi opes: amicorum omnia communia. IMBECILLES *ualent*; § nam amici id praestant, quod illi ipsi per ualetudinem non possunt. Ouidius lib. I. de Ponto ad Rufinum. Et Seneca lib. Epist. x. Imbecilli, tres. MORTVI *uiuunt*: § quia ab amicis superstitibus honorantur, desiderantur, crebra eorum fit mentio: ut non tam esse mortui, quam peregre abijsse uideantur; & eum quidem in locum, in quem non multo post & ceteri sint peruenturi. TANTVS *eos honos*, § Tantum, tres. EX *quo illorum beata mors* § quorum felicitas etiam post obitum duret. HORVM *uita laudabilis*. § propter constantem amicorum culturam, dempta omni spe utilitatis. unde apparet, honestate illos, non emolumento, duci. Ex *natura rerum* § humanarum. BENEVOLENTIAE *coniunctionem*: § Mentionem, duo. Iunctionẽ, unus. Vinctionem, alij ex uet. lib. Quo uerbo utitur Varro lib. IV. de lingua Lat. NE *agri quidem cultus* § sine hominum studijs. Off. II. nam ad haec potius referre hoc placet, quam ad tempestates. cum hic de moribus, non de natura rerum, differatur. CONCORDIAE Q. § inde Sallustius: Concordia, paruae res crescunt; discordia, maximae dilabuntur. ATQVE *ex discordijs* § τὸ Ex non est in duodecim. PERCIPI § Intelligi, unus meus. Sed glossema est ad, Percipi. AGRAGANTINVM § Empedoclem. uide Plut. in libro de Isíde, & Osiride: quam quam aliter Aristoteles lib. IIX. Ethicorum, & Simplicius lib. I. Phys. & lib. I. de Caelo. Ambitiosissimus omnium. ut se iam ardentis Aetnae specum nocte intempesta deiecerit, ut, eum repente non apparuisset, ab ijsse ad deos crederetur. Lactantius lib. III. cap. 18. Strabo lib. VI. Vide de eo & Lactãtium de orig. err. cap. 13. Laertium in Parmenide, Agellium, Plinium, Quinct. lib. III. cap. I. IN *rerum natura* § Vide Plut. in Placitis lib. I. cap. 3. & cap. 30. Inde Ouidius:

Dissociata locis concorde pace ligauit.

Vide & Eryximachi apud Platonem in Conuiuio sententiam. ET *re probant*. § sic duodecim. Et approbant, duo. Atque probant, unus. *Et intelligunt, & re probant:* inde Euripides:

Τὰ χρῆσθ' ἐπισάμεσθα, κἠγινώσκομεν, σὺν ἐκπονοῦμεν δέ.

Et Seneca: Insitum etiam malis, probare meliora. IN *periculis aut adeundis, aut communicandis*, § amicitiae experimenta sunt Isocrati, ἴδιε περὶ τὸν βίον ἀτυχία, καὶ ἐν τοῖς κινδύνοις κοινωνία. CAVEA § area in theatro: Ridicule nomen tragoediae nonnulli putarunt. HOSPITIS, *& amici mei, M. Pacuuij in noua fabula?* § In hospitis, & amici &c. omnes mei libri. Mei, non est in uno. In amici mei, & hospitis, nouem. Nota, unus. Ante Hosp. Fuere, unus; Fuerunt, quattuor. PYLADES *Orestem se esse* § uide Ouidium Trist. lib. IV. eleg. 4. & Manilium. STANTES *autem plaudebant* § Autem, non est in tribus. Stantes in re ficta plaudebant, unus. Sunt, qui Flentes, legant. quod fieri solitum, legitur apud Isocratem in oratione ad Nicoclem, & Panegyrico. IN *re ficta*. § a minori ad maius. FACILE *indicabat ipsa natura uim suam*; § significat, naturam conciliatricem esse amicitiae: quae si negligatur, id deprauata consuetudine fieri. TVM *homines, quod facere ipsi non possent*, § sic nouem. Fere, (pro Facere,) unus. Quidem, pro Quod, unus. Ipsi facere, unus. Cum homines, quod facerent, unus. Cum homines quidem quod facere, tres. Possunt, duo. *Quod facere ipsi non possent:* propter φιλαυτίαν prauam, & animi imbecillitatem. ID *recte fieri in altero iudicarent*. § sunt hi candidiores, & meliores hominibus, ut ait Comicus, imperitis, qui nihil, nisi quod ipsi faciunt, rectum esse censent. Inuidi uero sunt omnium pessimi, qui etiam praeclarissimis facinoribus obtrectant, eaq. aliqua uitij labe contaminare nituntur.

CICF-

Landesbibliothek Oldenburg

Memoriae proditum est, tres. SI *contendisset, scio impetraturum non fuisse.* ℈ Sic decem. Si enim contendisset, &c. quattuor. Contendissent, Impetraturos, unus. Dico, pro, Scio, unus. Si enim concedisset, scio impetraturum se aliquid non fuisse, unus. Scio eum impetr. &c. unus. Si quis eorum contrudisset, scio impetraturum non fuisse, unus. FACERE *rogatum*, ℈ Rogatu, tredecim. C. CARBO, *C. Cato*, ℈ Florus Epit. LIX. Fuluium Flaccum, & C. Carbonem creatos agro diuidundo. Idem tradit Appianus, nisi quod mendose nominat Papirium Carbonem. Plutarchus solius Fuluij mentionem facit. de Catone nihil dum reperi. In uno certe meo, Sequebatur C. Carbo, & minime &c. TVNC *quidem Caius frater*, ℈ Tunc quidem carus Caius fr. unus. Tunc quidem carissimus fr. Tunc quidem Caius fr. duo. Tum quidem acer Caius fr. tres, quorum unus, Tunc. Tunc quidem carissimus Caius frater, unus. NVNC *quidem acerrimus hostis*. ℈ Hostis, abest a septem. Inimicus, tres. In uno, superadditum. Hostis acerrimus, tres. Nunc acerrimus hostis, quattuor. Nunc idem nobis acerrimus, unus. Nunc quidem acerrimus, tres. Nunc idem, sex. *Acerrimus*: in tribunatu pl. quem gerebat hoc anno, quo dialogus hic a Laelio habitus fingitus. Infra: De C. Gracchi autem tribunatu, quid exspectem, non libet augurari.

CICERO

HAEC *igitur prima lex in amicitia sanciatur, ut neque rogemus res turpes, nec faciamus rogati. turpis enim excusatio est, & minime accipienda cum in ceteris peccatis, tum si quis contra remp. se amici caussa feciße fateatur. etenim eo loco, Fanni, & Scaeuola, locati sumus, ut nos longe prospicere oporteat futuros casus reip. deflexit enim iam aliquantulum de spatio, curriculoq. consuetudo maiorum. TI. Gracchus regnum occupare conatus est, uel regnauit is quidem paucos menses. num quid simile populus R. audierat, aut uiderat? hunc etiam post mortem secuti amici, & propinqui quid in P. Scipionem effecerint, sine lacrymis non queo dicere. nam Carbonem quoque, quem modo posuimus, propter recentem poenam TI. Gracchi sustinuimus. de C. Gracchi autem tribunatu quid exspectem, non libet augurari. serpit enim deinde res, quae procliuis ad perniciem, cum semel coepit, labitur. uidetis, in tabella, iam ante quanta sit facta labes, primo Gabinia lege, biennio autem post Cassia. uidere iam uideor populum R. a senatu disiunctum, multitudinisq. arbitrio res maximas agi. plures enim discent, quemadmodum haec fiant, quam quemadmodum his resistatur. Quorsum haec? quia sine socijs nemo quidquam tale conatur. Praecipiendum est igitur bonis, ut, si in eius modi amicitias, ignari, casu aliquo, inciderint, ne existiment ita se alligatos, ut ab amicis in magna re aliqua in rep. peccantibus non discedant. improbis autem poena statuenda est, nec minor uero ijs, qui secuti erunt alterum, quam ijs, qui ipsi fuerint impietatis duces. Quis clarior in Graecia Themistocle, quis potentior? qui, cum, imperator bello Persico, seruitute Graeciam liberasset, propterque inuidiam in exsulium pulsus esset, ingratae patriae iniuriam non tulit, quam ferre debuit. fecit idem, quod uiginti annis ante apud nos fecerat Coriolanus. his adiutor contra patriam inuentus est nemo. itaque mortem sibi uterque consciuit. quare talis improborum consensio non modo excusatione amicitiae tegenda non est, sed potius omni supplicio uindicanda, ut ne quis sibi concessum putet, amicum, bellum patriae inferentem, sequi. quod quidem, ut res ire coepit, haud scio, an aliquando futurum sit. mihi autem non minori curae est, qualis resp. post mortem meam futura sit, quam qualis hodie sit. Haec igitur prima lex amicitiae sanciatur, ut ab amicis honesta petamus, amicorum caussa honesta faciamus, nec exspectemus quidem, dum rogemur; sed studium semper adsit, cunctatio absit; consilium libere dare gaudeamus, plurimum in amicitia amicorum, bene suadentium, ualeat auctoritas; eaq. adhibeatur ad mouendum non modo aperte, sed etiã acriter, si res postulabit, & adhibitae pareatur. Nam qui busdam, quos audio sapientes habitos in Graecia, placuisse opinor mirabilia quaedam. sed nihil est, quod illi non persequantur suis argutijs; partim fugiendas esse nimias amicitias, ne necesse sit, unum sollicitum esse pro pluribus; satis superq. esse sibi suarum cuique rerum curam; alienis nimis implicari molestum esse; commodissimum esse, quam laxissimas habenas habere amicitiae, quas uel adducas, cum uelis, uel remittas: caput enim eße ad beate uiuendum securitatem, qua frui non possit animus, si tamquam parturiat unus pro pluribus. Alios autem dicere aiunt etiam multo inhumanius: quem locum breuiter perstrinxi paullo ante: praesidij, adiumentiq. caussa, non beneuolentiae, neque caritatis, amicitias esse expetẽdas: itaque, ut quisque minimum firmitatis habeat, minimumq. uirium, ita amicitias appetere maxime: ex eo fieri, ut mulierculae magis amicitiarum praesidia quaerant, quam uiri; & inopes, quam opulenti; & calamitosi, quam ij, qui putantur beati. O praeclaram sapientiam. Solem enim e mũdo tollere uidentur, qui amicitiam e uita tollunt: qua nihil a dijs immortalibus melius habemus, nihil iucundius. quae est enim ista securitas? specie quidem blanda, sed re ipsa multis locis repudiãda est. neque enim est consentaneum, ullam honestam rem, actionem ue, ne sol licitus sis, aut non suscipere, aut susceptã deponere. quod si curam fugimus, uirtus fugienda est; quae, necesse est, ut cum aliqua cura res sibi cõtrarias asperneretur, atque oderit, ut bonitas malitiam, temperantia libidinem, ignauiã fortitudo. itaque uideas rebus iniustis iustos maxime dolere, imbecillibus fortes, flagitiosis modestos. ergo hoc proprium est animi bene constituti, & laetari bonis rebus, et dolere contrarijs. quamobrem, si cadit in sapientem animi dolor, qui profecto cadit, nisi ex eius animo exstirpatã humanitatẽ arbitremur: quae caussa est, cur amicitiã funditus tollamus e ulta, ne aliquas propter eã suscipiamus molestias? quid enim interest, motu animi sublato, non dẽ co inter pecudẽ, & hominẽ, sed inter hominẽ, & saxum, aut truncũ, aut quiduis generis eiusdem? Neque enim sũt isti audiendi, qui, uirtutẽ durã, & quasi ferream eße, uolunt, quae quidẽ est tũ multis in rebus, tũ in amicitia tenera, atque tractabilis, ut & bonis amici quasi diffundatur, & incõmodis contrahatur. quamobrẽ angor iste, qui pro amico saepe capiendus est, non tantũ ualet, ut tollat e uita amicitiã, non plus, quã ut uirtutes, quia nonnullas curas, & molestias afferunt, repudientur. Cũ autẽ contrahat uir*

ac amicitiã, ut supra dixi, si qua significatio uirtutis eluceat ad quam se similis animus applicet, & adiungat: id cum, contingit, amor ibi exoriatur necesse est. quid enim tam absurdum, quem delectari multis inanibus rebus, ut honore, ut gloria, ut aedificio, ut uestitu, cultuq. corporis; animo autem uirtute praedito, eo, qui uel amare, vel, ut ita dicam, redamari possit, non admodum delectari? nihil est enim remuneratione benevolentiae, nihil iucundius. quod si etiam illud addimus, quod recte addi potest, nihil esse, quod ad se rem ullam tam alliciat, & contrahat, quam ad amicitiam simili tudo: concedatur profecto, uerum esse, ut bonos boni diligant, adsciscantq. sibi quasi propinquitate coniunctos, atque natura. nihil est enim appetentius similium sui, nihil rapacius, quam natura. Quamobrem hoc quidem, Fanni, & Scaevola, constat, ut opinor, bonis inter bonos quasi necessariam benevolentiam esse: qui est amicitiae fons a natura constitutus. sed eadem bonitas etiam ad multitudinem pertinet. non est enim inhumana uirtus, neque superba; quae etiam populos uniuersos tueri, eisq. optime consulere soleat: quod non faceret profecto, si a caritate uulgi abhorreret.

EXPLANATIO

HAEC *igitur prima lex* ¶ Prima, abest a quattuordecim meis libris. Ergo, unus. PROSPICERE ¶ prudentia est, ex praeteritorum memoria, & praesentium coniecturis futura colligere, & prospicere. DEFLEXIT *enim iam aliquantulum* ¶ Iam, non est in tribus. Desluxit, unus. Aliquantum, unus. DE *spatio, curriculoq.* ¶ metaphora a stadijs, curruumq. certamine. CONSVETVDO *maiorum.* ¶ excessimus quasi limites honestae disciplinae, a maioribus praefinitos. Semel enim labefactata disciplina, licentia crescit in dies, & aliud ex alio facinus oritur. NVMQVID *simile &c.* ¶ sic omnes mei. Alias, Numquam. AVT *uiderat?* ¶ regnauit enim nemo, post eiectos reges. IN P. *Nasicam* ¶ In P. Scipionem, quattuordecim. In Remp. Nasicamq. Scipionem, unus. In P. Scipionem Nasicam, unus. In Scipionem Nasicam, unus. EFFECERINT, ¶ Fecerint, unus. Fecerunt, unus. NON *queo* ¶ Nequeo, decem. CARBONEM *quoque, quem modo posuimus,* ¶ sic decem. Carbonem quoquo modo potuimus, tres. Carbonem quo modo potuimus, unus. Quoque, non est in uno. Proposuimus, unus. Carbonem quoquo modo posimus, unus. Carbonem quoq; queq; non possumus, unus. SVSTINVIMVS. ¶ hic postea, caeso C. Graccho, eius interfectorem Opimium defendit. de Oratore. DE C. *Gracchi autem tribunatu* ¶ sic tredecim. Autem, non est in tribus. De Caij autem tribunatu, unus. De Caij tribunatu, unus. Vide Val. lib. IV. cap. de Amicitia. QVID *exspectem,* ¶ an exitum fraterno similem sit habiturus: cum acerrimus esse coeperit. NON *libet* ¶ sic tredecim mei. Vnus, Nõ licet. unus, Non 13. Alius, Non iuuat: AVGVRARI. ¶ caesus est ab Opimio consule, cum statum reip. conuellere conaretur. *Augurari:* signis quibusdam reip. perniciem uidere. SERPIT *enim deinde res,* ¶ Enim, non est in quindecim. PROCLIVIS ¶ Procliuius, duo. COEPIT, ¶ Coeperit, octo. POPVLVM *R.* ¶ R. abest a quindecim. AMBITIO ¶ temeritate, non uero iudicio, & recta ratione. PLVRES *enim discent,* ¶ plures enim mala exempla imitantur, quam bona. QVEMADMODVM *haec fiant,* ¶ quibus artibus sit concilianda plebs, & contra senatum concitanda. VT *ab amicis in magna re aliqua in rep. peccantibus* ¶ sic unus. Vndecim, Ab amicis in magnam aliquam remp. peccantibus. Duo, Ab amicis in magnam rem aliquam pecc. Duo, Ab amicis aliqua in remp. pecc. Vnus, Ab amicis in aliquam remp. pecc. Vnus, Ab amicis in remp. pecc. Fuluij liber, Ab amicis in rep. pecc. IIS, *qui ipsi fuerint* ¶ sic nouem. Iis, qui fuerunt, quattuor. Illis, qui fuerunt, duo. Iis, qui fuerint, tres. THEMISTOCLE, ¶ cuius res gestas uide apud Plut. in Themistocle, Aristide, & Cimone. de quo Thucyd. lib. I. Herodotus lib. VII. & IIX. Isocrates in Panathenaico, Demosthenes pro Ctesiph. Iust. lib. 2. Oros. lib. 2. cap. 9. 10. 11. Aemilius Probus, Val. lib. V. cap. 3. lib. VI. cap. XI. lib. VII. cap. 2. lib. IIX. cap. 7. & 15. Cicero saepe, praecipue de Off. II. & III. de Senectute, ad Att. lib. X. pro Archia poeta, de Orat. II. & in Bruto, Quinct. lib. IV. GRAECIAM *liberasset,* ¶ eius enim uirtute, & consilijs, Persis nauali proelio deuictis, Xerxes, re infecta, pari damno, & ignominia, suo excessu Graeciam belli molestia leuauit. PROPTERQ. *inuidiam* ¶ quam effugere non potuit. alibi Cicero. IN *exsulium pulsus esset,* ¶ sic duo. Expulsus, quattuordecim. Missus, duo. INGRATAE *patriae* ¶ Valer. lib. V. cap. de Ingratis. QVAM *ferre debuit.* ¶ nam patriae caritas iniuriae dolorem superare debet. Sic Camillus Romam euersam, qua per iniuriam exsulabat, in integrum restituit. FECIT *idem, quod &c.* ¶ ad hostem se contulit. de clar. oratoribus. MORTEM *sibi uterque conscuit.* ¶ aliter Liuius, & Atticus, de Coriolano; de Themistocle autem, Clitarchus, & Stratocles. uide in Bruto. *Conscuit:* Conciuit, unus. Asciuit, unus. Acciuit, unus. Conquisiuit, unus. Constituit, duo. IMPROBORVM ¶ sic omnes mei. alias, Impiorum. VINDICANDA; ¶ Vindicanda est, undecim. Vindicanda supplicio, unus. VT *ne* ¶ Ne, unus. HAEC *igitur prima lex* ¶ Prima, abest a duobus. Ipsa, pro, Prima, unus. NEC *exspectemus quidem, dum rogemur;* ¶ Seneca: Gratissima sunt beneficia parata, facile occurrentia, ubi nulla mora fuit, nisi in accipientis uerecundia. Optimum est antecedere desiderium cuiusque, proximum sequi: illud melius, occupare antequam rogemur. quia, cum homini probo ad rogandum os concurrat, & suffundatur rubor: qui hoc tormentum remiserit, multiplicat munus suum. non tulit gratis, qui, cum rogasset, accepit. Publius in Mimo:

Bis est gratum, quod est opus, ultro si offeras.

Graecum distichon:

ὠκεῖας χάριτες γλυκερώτεραι· ἢν δὲ βραδύνῃ

Πᾶσα

Πᾶσα χάρις κενὴ μηδὲ λέγοιτο χάρις.

Isocrates: Οὕτω δὰν ἄοισα χρήσῃ τοῖς φίλοις, ἂν μὴ περιμένῃς τὸις παρ' ἐκείνων δεήσεις, ἀλλ' οὔτε πάγγελτος ἐν τοῖς καιροῖς αὐτοῖς βοηθῇς. Vide Prouerb. Bis dat, qui cito dat. SED *studium semper adsit*, § Sed, non est in quindecim. LIBERE § sine offensae, aut priuati incommodi metu. EAQ. *adhibeatur admonendum* § nam, ut ait Homerus Il. Λ, ἀγαθὴ γὰρ παραφυσις ἐστιν ἑταίρου. MIRABILIA *quaedam*. § παραδοξα Stoicorum, Academicorum, & Epicurea quaedam dogmata. NON *persequantur suis argutijs*; § quibus ipsi delectantur, & quibus confidunt: quibus plerumque ueritas amittitur. Prosequantur, tres. Assequantur, unus. Suis, non est in septem, in quorum uno additum. *Argutijs*: quattuor ex ijs, qui non habent τὸ Suis, habent, Argutius. Vndecim, Argumentis. *Nihil est, quod illi non persequantur suis argutijs*: nam & otio abundant, & nouitate auditorum fastidijs conantur occurrere, aut ambitione, & spe quaestus impulsi, noui aucto res haberi uolunt. FVGIENDAS *esse nimias amicitias*, § de πολιφιλία Eurip. in Hipp. Cor.

χρῆν γὰρ μετρίας εἰς ἀλλήλους φιλίας θνητοὺς ἀναχίρνασθαι.

Vide & Plutarchum. SATIS *superq. esse sibi suarum cuique rerum curam*; § Curam, abest a septem. in quorum uno additum. QVAM LAXISSIMAS *habenas habere amicitiae*; § Eurip. apud Plut. περὶ πολυφιλίας: Ἀπὸ τ' ὤασθαι καὶ ξωθεῖναι καθάπερ πόδα νεὼς, ἐπιδιδόντα, καὶ προσάγοντα ταῖς χρείαις τὴν φιλίαν. SECVRITATEM; § εὐθυμίαν: cum animus tranquillus est, & in suis rebus acquiescens, nec sperat, nec metuit quidquam, aut certe quam minimum. FIRMITATIS *habeat*, § Haberet, omnes, uno excepto, in quo, Hab7. APPETERE § Appeteret, tredecim. Expeteret, tres. Appetet, unus. Appetant, unus. QVAM *ij, qui putantur beati*. § Quam qui putantur beati, unus. Quam ij, qui putantur esse beati, undecim. Quam beati, Lambinus. REAPSE § Re, unus. Re ab se ipsa, unus. mendose. sed, unde pateat, Reipsa, quod in alijs est, & alias in impressis erat, glossema esse. Sic lib. III. de Leg. lib. v. de Fin. Vide Senecam. REPVDIANDA *est*. § Est, non legitur in decem. ACTIONEM *ne* § Actionemque, unus. VT *cum aliqua cura* § Vt, non est in decem, quorum duobus additum. IMBECILLIBVS § sic omnes mei. ahj, Imbellibus. ANIMI *bene constituti*, § Sic omnes mei. Fuluij liber, Instituti. ANIMI *dolor* § sic omnes mei. quidam tollunt τὸ Animi. CVR *amicitiam &c.* § sic sexdecim. Vnus, Vt amic. Vnus, Vt cur amic. MOTV *animi sublato*, § affectibus sublatis: si homo neque gaudeat, neque doleat, neque amet, neque oderit, neque appetat, neque formidet quidquam. PECVDEM, *& hominem*, § quae specie differunt. HOMINEM, *& saxum*, § quae differunt genere. ET *saxum, aut truncum*, § sexdecim, Et truncum, aut saxum. unus, Et truncum, uel saxum. unus, Et truncum, aut inter hominem, & saxum. SVNT *isti* § Sunt, abest a uno. VT *& bonis amici* § Vt in bonis amici, unus. Vt in amicorum bonis amici, unus. Et in bonis amici, duo. Vt bonis amici, unus. Vt & bonis amicis, unus. Vt & ex bonis amici, unus. DIFFVNDATVR, § laetitia. Diffundantur, sexdecim. Fundantur, unus. CONTRAHATVR. § maerore. Contrahantur, quindecim. Trahantur, unus. ANGOR § aegritudo premens. in Tusculanis. *E uita amicitiam*; Amicitiam e uita, quattuor. CONTRAHAT *uirtus amicitiam*, § Virtus, non est in octo, quorum uni additum. SIGNIFICATIO *uirtutis eluceat*, § nam uirtus, ut ait Seneca, in omnium animos lumen suum permittit, etiam qui non sequuntur illam uident. AMOR *ibi exoriatur*, § Ibi, non est in decemseptem. unus, Amor ut oriatur. TAM *absurdum*, § Tam absurdum est, undecim, quorum uni additum. INANIBVS *rebus*, § quarum possessio neque meliorem reddit, neque beatiorem. VT *honore*, § qui non tam eius est, cui habetur, quam illius, qui habet alteri. Graeci diuinum bonum, honorem, θεῖον ἀγαθὸν τιμὴν dicunt. Apud Euripidem dij honorem appetunt.

ἔνεσι γάρ τοι καὶ θεῶν γένει τὸ δὲ
τιμώμενοι χαίρουσιν ἀνθρώπων ὕπο.

VT *gloria*, § quae est fama de praestanti alicuius uirtute, & sapientia. VT *aedificio, &c.* § quae seruiunt necessitati, & commoditati corporis. ANIMO *autem uirtute praedito*, § summo naturae humanae in terris bono. VT *ita dicam*, § excusat uerbi nouitatem. nam, Redamo, inusitatum. Quinct. lib. IIX. cap. de Ornatu, πρὸ ἐπὶ πλέονειν, hoc est ueniam, captando, praemuniendoque, licentiae occurrere iubet, si quid inusitatius sit dictum. REDAMARE, § sic tres. Redamari, tredecim. Reamari, unus. Amari, unus. male. *Redamare*: nam amicitia ex amore nascitur. ut ait Pausanias in Conuiuio Platonis. Graeci, ἀντιφιλεῖν. TAM *alliciat*, § suauitate quadam, & quasi blanditijs. ET *contrahat*, § sic duo. Et tam contr. quattuor. Tam contrahat, unus. Tam attrahat, unus. Atque attrahat, unus. Et tam attrahat, quinque. Et tam trahat, duo. Extrahat, unus. Ab uno absunt haec duo uerba. *Et contrahat*: Si, Attrahat, legas, interpr. quadam naturae ui, cui uel inuiti homines parere solent: quales sunt amantes. AD *amicitiam similitudo*: § Ad, abest ab uno meo. Inde Prouerb. Aequalis aequalem, Ὅμοιον ὁμοίῳ φίλον. *Similitudo*: ingeniorum, morum, studiorum. Similitudo quoque fortunarum, & corporum, eadem natio, & ciuitas, & alia, quae in beneuolentiae, & beneficentiae officijs considerantur. CONCEDATVR § Concedetur, quinque. Concedant, alias. ADSCISCANTQ. *sibi* § ideest, eorum consuetudinem, & familiaritatem expetant. NIHIL *rapacius*, § Nec, pro Nihil, omnes, uno excepto, in quo', Ac. QVI *est amicitiae fons* § sic quinque. reliqui, Quae. Vt ad beneuolentiam referatur. INHVMANA *uirtus, neque superba*; § omnes libri mei ueteres addunt, Neque immunis, (siue, ut in uno, Nec) sic: Inhumana uirtus, neque immunis, neque superba. *Immunis*: improba. uide Festum. Plautus Trinummo. Immune est facinus. Hor. Od. l. 3. Od. 23. Immunis manus.

CICERO

ATQVE etiam mihi quidem uidentur, qui utilitatis causa fingunt amicitias, amabilissimum nõdũ amicitiae tollere. non enim tam utilitas parta per amicum, quam amici amor ipse delectat: tumq. illud fit, quod ab amico est profectum, iucundum, si cum amore, & studio est profectum: tantumq. abest, ut amicitiae propter indigentiam colantur, ut ij, qui opibus, & copijs, maximeq. uirtute praediti, in qua plurimum est praesidij, minime alterius indigeant, liberalissimi sint, & beneficentissimi. atque haud scio, an ne opus sit quidem, nihil umquam omnino deesse amicis. ubi enim studia nostra uiguissent, si numquam studio, numquam consilio, numquã opera nostra nec domi, nec militiae Scipio eguisset? non igitur utilitatem amicitia, sed utilitas amicitiam secuta est. non ergo erunt homines diuitijs affluentes audiendi, si quando de amicitia, quam nec usu, nec ratione habent cognitam, disputabunt, nam quis est, pro deũ fidem, atque hominum, qui uelit, ut neque diligat quemquã, nec ipse ab ullo diligatur, circumfluere omnibus copijs, atque in omnium rerum abundantia uiuere? haec enim est tyrannorum uita nimirum. in qua nulla fides, nulla caritas, nulla stabilis beneuolentiae potest esse fiducia: omnia semper suspecta, atque sollicita: nullus locus est amicitiae. quis.n. eum diligat, quem metuit, aut eum, a quo se metui putat? coluntur tamen simulatione amicitiae dumtaxat ad tempus. quod si forte, ut fit plerumque, ceciderint; tum intelligitur, quam fuerint inopes amicorum. quod Tarquinium dixisse ferunt, tum, cum exsul esset; se intellexisse, quos fidos amicos habuisset, quosq. infidos, cum iam neutris gratia referre posset. quamquam miror, in illa superbia, & importunitate si quemquam habere potuit. atque, ut huius, quem dixi, mores ueros amicos parare non potuere: sic multorum opes praepotentium excludunt amicitias fideles. non enim solum ipsa fortuna caeca est, sed eos etiam plerumque efficit caecos, quos complexa est. itaque illi efferuntur fastidio fere, & contumacia: neque quidquam insipiente fortunato intolerabilius fieri potest. Atque hoc quidem uidere licet, eos, qui antea commodis fuerunt moribus, imperio, potestate, prosperis rebus immutari; sperniq. ab ijs ueteres amicitias, & indulgeri nouis. quid autem stultius, quam, ut plurimum copijs, facultatibus, opibus possint, cetera parare, quae parant, pecuniam, equos, famulos, uestes egregias, uasa pretiosa, amicos non parare, optimam, & pulcherrimam uitae, ut ita dicam, supellectilem? etenim, cetera cum parant, cui parent, nesciunt, nec cuius causa laborent: eius enim est istorum quodque, qui uincit uiribus: amicitiarum sua cuique permanet stabilis, & certa possessio; ut, etiam si illa maneant, quae sunt quasi bona fortunae, tamen uita inculta, & deserta ab amicis, non possit esse iucunda. Sed haec hactenus. Constituendi autem sunt, qui sint in amicitia fines, & quasi termini diligendi. de quibus tres uideo ferri sententias, quarum nullam probo; unam, ut eodem modo erga amicum affecti simus, quo erga nosmet ipsos; alteram, ut nostra in amicos beneuolentia, illorum erga nos beneuolentiae pariter, aequaliter respondeat; tertiam, ut, quanti quisque seipse facit, tanti fiat ab amicis, harum trium sententiarum nulli prorsus assentior. nec enim illa prima uera est, ut, quemadmodum in se quisque, sic in amicum sit animatus. quam multa enim, quae nostra causa numquam faceremus, facimus causa amicorum? precari ab indigno, supplicare, tum acerbius in aliquem inuehi, insectariq. uehementius; quae in nostris rebus non satis honeste, in amicorum fiunt honestissime. multae quoque res sunt, in quibus de suis commodis uiri boni multa detrahunt, detrahiq. patiũtur, ut ijs amici potius, quam ipsi, fruantur. Altera sententia est, quae definit amicitiam paribus officijs, ac uoluntatibus. hoc quidem est nimis exigue, & exsiliter ad calculos reuocare amicitiam; ut par sit ratio acceptorum, & datorum. ditior mihi, & affluentior uidetur esse uera amicitia, nec obseruare stricte, ne plus reddat, quam acceperit. neque enim uerendum est, ne quid excidat, aut ne aliquid in terram defluat, aut ne plus aequo quid in amicitia congeratur. Tertius uero ille finis deterrimus, ut, quanti quisque se ipse faciat, tanti fiat ab amicis. saepe enim in quibusdam aut animus abiectior est, aut spes amplificandae fortunae fractior. non est igitur amici, talem esse in eum, qualis ille in se est, sed potius eniti, & efficere, ut amici iacentem animum excitet, inducatq. in spem, cogitationemq. meliorem. Alius igitur finis uerae amicitiae constituendus est; si prius, quid maxime reprehendere Scipio solitus sit, edixero. Negabat, ullam uocem inimiciorem amicitiae potuisse reperiri, quam eius, qui dixisset, ita amare oportere, ut aliquando esset osurus: nec uero se adduci posse, ut hoc, quemadmodum putaretur, a Biante dictum esse crederet, qui habitus esset unus e septem, sed impuri cuiusdam, aut ambitiosi, aut omnia ad suam potentiam reuocantis, esse sentẽtiam. quonam enim modo quisquam amicus eius esse poterit, cuius se putabit inimicum esse posse? quin etiam necesse erit cupere, & optare, ut quamsaepissime peccet amicus, quo plures det sibi tamquam ansas ad reprehendendum. Rursum autem recte factis, commodisq. amicorum necesse erit angi, dolere, inuidere. Quare hoc quidem praeceptum, cuiuscumque est, ad tollendam amicitiam ualet. Illud potius praecipiendum fuit, ut eam diligentiam adhiberemus in amicitijs comparandis, ut ne quando amare inciperemus eum, quem aliquando odisse possemus. quin etiam, si minus felices in deligendo fuissemus; ferendum id Scipio potius, quam inimicitiarum tempus cogitandum, putabat. His igitur finibus utendum arbitror, ut, cum emendati mores amicorum sint, tum sit inter eos omnium rerum, cõsiliorum, & uoluntatum, sine ulla exceptione, communitas; ut, etiam si qua fortuna acciderit, ut minus iustae amicorum uoluntates sint adiuuandae, in quibus eorum aut de capite agatur, aut de fama, declinãdum sit de uia, modo ne summa turpitudo sequatur. est enim, quatenus amicitiae dari uenia possit.

EXPLA-

EXPLANATIO

SI *cum amore, & studio est profectum:* ℈ Si cum studio est profectum, quindecim. Si cum amore, studioq. est profectum, duo. OPIBVS, *& copijs*, ℈ ideſt, propter opes, & copias, maximeq. uirtutem. MAXIMEQ. *uirtute praediti*, ℈ Praediti, non est in quindecim. quorum duobus additum. BENEFICENTISSIMI. ℈ Beneficientiſsimi, unus. reliqui, Benificentiſsimi. NIHIL *umquam omnino deesse amicis.* ℈ ſic quattuordecim. Numquam omn. d. a. unus. Nihil umquam d. a. unus. Nihil omnino umquam d. a. unus. Omnino nihil umquam deesse amicis, unus. Nihil umquam indigere amicos, Langius ex uet. libro. Notatq. Indigere caſu accuſandi, dictum esse a Plauto, & a Varrone. SCIPIO *eguisset?* ℈ Scipio, abest a quattuor, quorum uni additum. SECVTA *est*, ℈ Conſecuta est, quattuordecim. Conſequatur, unus. DELICIIS *affluentes* ℈ Delicijs, omnes libri. Diffluentes, quattuor. Defluentes, duo. Lib. I. de Off. Diffluere luxuria. Lib. III. de Or. Otio diffluentes. Ter. Heaut. Vt eius animum, qui nunc luxuria, & laſciuia diffluit, retundam, redigam, ut, quo ſe uertat, neſciat. *Affluentes:* qui nihil umquam incommodi paſsi ſunt: unde fructum aliquem ex amicitia capere potuerint. Inde illud, ad Trebatium lib. VII. Valde iam delicatus es, qui grauere litteras ad me dare, homini praeſertim prope domeſtico. NEC *usu*, ℈ quia ex animo neque amant quemquam, neque amantur. NEC *ratione* ℈ ideſt, doctrina, & inſtitutione. VT *neque diligat quemquam*, ℈ adeo μισάνθρωπος. NVLLA *stabilis benevolentiae potest esse fiducia:* ℈ Nulla ſancta ſocietas, nec fides regni est. Et Micion Terentianus longe currere putat, qui imperium grauius putat esse, ui quod fit, quam illud, quod amicitia adiungit. SVSPECTA, *atque sollicita*, ℈ ſic octo. recte, decem, Suſp. ſunt, atque ſollicita. *Suspecta, atque sollicita:* Dionyſius Siculus barbam ne filiabus quidem tondendam credere auſus fuit. NVLLVS *locus est amicitiae:* ℈ ſic quinque. tredecim, N. locus amicitiae. Sed in uno additum. QVEM *metuit*; ℈ Quem metuat, nouem. Quem metuet, tres. Quem tantum metuat, unus. Inde illud Ennij, Quem metuunt, oderunt, lib. II. de Off. SIMVLATIONE *amicitiae* ℈ Amicitiae, non est in decem. Amici, unus. QVOD *si forte* ℈ Qui, unus. Et, unus. Quid, unus. INTELLIGITVR, ℈ Intelligent, tres. TARQVINIVM *dixisse ferunt*, ℈ Fertur, quattuor. recte. quorum duo, alter, Fert; alter, Feruntur; & ſupra, in ſpatio, uerſus dirimente, Ab hominibus. TVM, *cum exsul esset, se intellexisse*, ℈ ſic unus. Tunc cum exſulem ſe intellexiſſet, ſex. Tum exſulem esse ſe intellexiſſ3, tres. Cum exſulem intellexiſſet, unus. Exſulantem, deletum, & additum, Tunc, cum exſulem ſeſe intellex. unus. Cum exſulaſſet ſe intell. unus. Cum exſulantem ſe intellex. unus. Tum cum exſulem esse ſe intellexiſſet, tres. Tum cum eſſet exſul intellex. unus. QVOSQ. *infidos*, ℈ Que, non est in ſexdecim. GRATIAM *referre* ℈ uide de hoc loquendi modo Agellium lib. VII. cap. 4. Hoc loco dictum est in malam partem. *Quos fidos amicos habuisset, quosq. infidos:* uide Halicarn. lib. IV. circa finem. IN *illa superbia*, ℈ In, non est in quinque. quorum uni additum. IMPORTVNITATE, ℈ a quo nihil aequi poſſet impetrari, nihil praeſidij ſperari, niſi ipſi collibitum eſſet. SI *quemquam* ℈ fidum amicum, cum prae ſe omnes deſpiceret, atque iniurijs afficeret. PRAEPOTENTIVM ℈ Praepotentum, nouem. Potentium, unus. FORTVNA *caeca* ℈ uide Aug. de Ciu. Dei, lib. IV. cap. 18. ILLI *efferuntur fastidio* ℈ Illi, non est quattuor. quorum uni additum. Langius legit, Efferantur: ideſt, exſtirpata ex eorum animis humanitate, in feras degenerant: quae impetu feruntur, non ratione guberpantur. *Fastidio:* metaphora, a ſtomacho, pleroſque cibos, cum nauſea quadam, reiiciente. Significat moroſitatem, cui ſatisfacere nemo poteſt, τὸ δύσροπον, καὶ δυσάρεσον. ET *contumacia:* qui ſe ſolos ſapere putant, aliorum conſilia non audiunt, ſed deriderent, atque contemnunt. PROSPERIS *rebus immutari:* ℈ Proſperis rebus etiam mutari, unus. Exemplum est apud Cic. ad Att. lib. XIII. de Alexandro, Ariſtotelis diſcipulo. SPERNI *ab ijs* ℈ quod ſint impares dignitate. INDVLGERI ℈ Indulgere, ſex. Indulgę nouem. *Indulgeri nouis;* ut eorum ſimiles habeantur, quorum conſuetudine utuntur. VT *plurimum* ℈ Cum plurimum, quindecim. Quantum plurimum, male, unus. CETERA *parare, quae parantur, pecuniam, equos, &c.* ℈ delendum puto, Pecuniam, ut gloſſema. est enim iu uetere libro, Cetera parare, quae parantur, i. pecuniam, equos &c. Alijs placet, Quae parantur pecunia. cum quibus faciunt ſex mei ueteres libri. Cum ipſi quoque uiderint, pecuniam non esse numerandam in ſupellectile, de qua hic Cicero loquitur. Sed ego malo gloſſam esse, accedente antiqui mei libri auctoritate. FAMVLOS, ℈ Familiam, duo libri. VESTES *egregias*, ℈ Veſtem egregiam, undecim. Egregiam ueſtem, unus. Veſtes pretioſas, uaſa egregia, duo. In uno deest totũ hoc. CVM *parant*, ℈ Cum parantur, octo. Quae parantur, unus. CVI *parent*, ℈ Parentur, tredecim. *Cui parent, nesciunt:* Iſocrates in oratione Philippica: Συμβαίνει τοῦ μὲν πλούτου καὶ τῶν δυνασειῶν πολλάκις τοὺς ἐχθροὺς κυρίους γίγνεσθαι. τῆς δὲ εὐνοίας, τῆς παρὰ τῶν πολιτῶν, καὶ τῶν ἄλλων τῶν προειρημένων, μηδένας ἄλλου καταλείπεσθαι κληρονόμους: πλὴν τοὺς ἐξ ἡμῶν γεγονότας. EIVS *enim est istorum quodque, qui uincit uiribus:* ℈ ſic decem. Eius est enim, antiquus liber. Eſt, abeſt ab uno. Etenim eſt iſtorum, quidquid uincitur uiribus, alias. Eius enim est iſtorum, quidquid uincit uiribus, ſex. Iſtorum quaeque, unus. Iſtorum, quod quis uincit uir. unus. *Vincit:* Vincat, unus. Vincet, unus. Vicit, tres. *Eius enim est istorum &c.* Xenophon: Τὰ τῶν ἡττωμένων τῶν κρατούντων γίγνεται. AMICITIARVM ℈ Amicitiae, duo. Amicitia, unus: male. PERMANET ℈ ſic omnes mei. Langius, ex uet. libro, Nam amicitiarum ſ. c. pertinet. STABILIS, *& certa possessio*, ℈ duo, Certa, & ſtabilis poſſeſsio. DESERTA *ab amicis*, ℈ Ab, non eſt in duobus. POSSIT ℈ Poteſt, tres. DILIGENDI. ℈ Deligendi, unus, & alias. VIDEO ℈

e doctorum scriptis cognoui. ERGA *amicum*, § Erga amicos, duo. SE *ipse facit*, § Se facit, sex. Seipsum facit, quinque. IN *amicum sit animatus*. § In amico sit an. unus. In amicos sit an. unus. PRECARI *ab indigno*, § sic duodecim. Precari pro amicis ab indigno, unus. Precari pro amico ab indigno, tres. Precari ab amico, unus. Precari ueniam ab indigno, unus. Alias, Precari amicis ab indigno. MVLTA *detrahunt*, § sic omnes mei. *Detrahunt:* ultro: concedunt amicis ea, quae ad ipsos potius pertinent. DETRAHIQ. *patiuntur*, § ab ijs, qui in partem amicorum sunt propensiores. NIMIS *exigue*, § Minus exigue, duo. Exigue, esse in uetere libro, notatum uidi. AD *calculos reuocare* § rationem inire, & aestimare. ACCEPTORVM, *& datorum*. § accepti, & expensi. pro Roscio Comoedo. DITIOR *mihi*, § Mihi, non est in meo. Enim, pro, Mihi, esse in uetere libro, notatum est. VIDETVR *esse uera* § Esse, non est in uno. PLVS *reddat*, § sic omnes mei. NEQVE *enim uerendum est*, § alludere uidetur ad illud Hesiodi:

Αυτῷ τῷ μέτρῳ καὶ λώιον εἶπε δύνηαι.

IN *amicitia congeratur*. § In amicitiam cong. sexdecim. FINIS *deterrimus*, § Taeterrimus, unus. Finis est deterr. unus. SE *ipse faciat*, § Se faciat, tres. Seipsum faciat, quattuor. SED *potius eniti*, § Sed potius debet eniti, unus, male, & alias. INDVCATQ. *in spem*, § In, non est in undecim. EDIXERO. § expos uero, praecepero. unde Edicta. Alij, Dissero. uel, Edissero: quod non placet. INIMICIOREM § Inimicitiorem, nouem. ITA *amare oportere, ut aliquando esset osurus*: § Ar. Rhet. II. Οὐ δεῖ, ὥσπερ φασί, φιλεῖν ὡς μισήσοντα, ἀλλὰ μάλλον μισεῖν, ὡς φιλήσοντα. Eadem sententia usus est & Sophocles in Aiace. *Vt aliquando:* Vt si quando, unus. Vt si aliquando, tres. A *Biante* § hoc non Bianti, sed Chiloni, tribuit Agellius lib. I. cap. 3. Bianti Aristot. Rhet. III. Κατὰ τὴν Βίαντος ὑποθήκην, καὶ φιλοῦσιν, ὡς μισήσοντες: καὶ μισοῦσιν, ὡς φιλήσοντες. Vide & Val. Max. lib. VII. cap. 3. VNVS *e septem*; § is tripoda aureum, ab Athenien sibus piscatoribus inuentum, ad se, tamquam sapientem, delatum repudians, ad Apollinem deferri iussit. IMPVRI § improbi. uide Donatū in Terentium. sordidi, auari, qui lucro omnia post ponat. AVT *ambitiosi*, § sic omnes mei: uno excepto, in quo, Aut, deest Et amb. alias. *Ambitiosi:* qui gloriolam, & honores pluris faciat, quam uirtutem. OMNIA *ad suam potentiam reuocantis*, § hominis oligarchici, & tyrannici. CVPERE, *& optare*, § Et, abest ab uno meo. Alias, Cupere, etiam optare. RVRSVM § Rursus, tredecim. RECTE *factis* § Rectis factis, duo. DOLERE, *inuidere*. § Dolere, & inuidere, unus. *Inuidere:* πολλοὶ γὰρ ἀτυχοῦσι τοῖς φίλοις συναχθόντες, καλῶς δὲ πράττουσι φθονοῦσι. IN *amicitijs comparandis*, § In amicis comp. quattuor. VTENDVM *arbitror*, § sic omnes mei. VT, *cum emendati mores amicorum sint*, § Vt, cum emendati fuerint mores amicorum, unus. Vt, cum em. m. antiquorum amicorum sint, unus. Vt, cum amicorum mores em. sint, unus. Vt, cum emendati mores amicorum sunt, unus. *Emendati mores:* ab ijs uitijs alieni, quae amicitiae aduersantur. ut perfidia, leuitas, auaritia, ambitio, & similes praui affectus: quos qui exstirpare non possunt, moderari saltem, & uelare studeant. CONSILIORVM, *& uoluntatum*, § Et, non est in Agellio, haec recitante, lib. I. cap. 3. nec in quindecim meis. *Consiliorum, & uoluntatum communitas:* ut conserant consilia inter se; & ut idem uelint, atque idem nolint. VT, *etiam si qua fort.* § Et si qua fort. alias, & unus. AMICORVM *uoluntates sint adiuuandae*, § Voluntates amicorum, in Agellio. Adiuuandae sint, in Agellio, & duodecim. Sunt, duo. AVT *de capite agatur, aut de fama*, § Aut caput agatur, unus. Agatur aut capite, duo. Aut fama, sexdecim. Vel fama, unus. Cic. Papirio: Priuatas causas, & eas tenues, agimus subtilius, capitis, aut famae scilicet ornatius. DECLINANDVM *sit de uia*, § a summo iure nonnihil recedendum.

CICERO

NEC *uero negligenda est fama: nec mediocre telum ad res gerendas existimare oportet beneuolentiam ciuium; quam blanditijs, & assentationibus colligere, turpe est. uirtus, quam sequitur caritas, minime repudianda est. Sed (saepe enim redeo ad Scipionem, cuius omnis sermo erat de amicitia) querebatur, quod in omnibus rebus homines diligentiores essent: capras, & oues quot quisque haberet, dicere posse; amicos quot haberet, non posse dicere: & in illis quidem parandis adhibere quasi signa quaedam, & notas, quibus eos, qui ad amicitiam essent idonei, iudicarent. Sunt igitur firmi, & stabiles, & constantes deligendi: cuius generis est magna paenuria: &, iudicare, difficile est sane, nisi expertum; experiendum autem est in ipsa amicitia: ita praecurrit amicitia iudicium, tollitq. experiendi potestatem. est igitur prudentis, sustinere, ut cursum, sic impetum beneuolentiae, quo utamur, quasi aquis tentatis, sic amicitijs, aliqua parte periclitatis moribus amicorum. Quidam saepe in parua pecunia perspiciuntur, quam sint leues. quidam autem, quos parua mouere non potuit, agnoscuntur in magna. si uero erunt aliqui reperti, qui, pecuniam praeferre amicitiae, sordidum existiment: ubi eos inueniemus, qui honores, magistratus, imperia, potestates, opes amicitiae non anteponant; ut, cum ex altera parte proposita haec sint, ex altera uis amicitiae, non multo illa malint? imbecilla enim natura est ad contemnendam potentiam: quam etiam si, uelecta amicitia, consecuti sunt, excusari se arbitrantur, quia non sine magna caussa sit neglecta amicitia. itaque uerae amicitiae difficillime reperiuntur in ijs, qui in honoribus, req. publica uersantur. ubi enim inuenias, qui honorem amici anteponat suo? Quid? (haec ut omittam) quam graues, quam difficiles plerisque uidentur calamitatum societates? ad quas, non est facile inuentus, qui descendat. quamquam Ennius recte,*

„ *Amicus certus in re incerta cernitur.*

tamen haec duo leuitatis, & infirmitatis plerosque conuincunt;

uincunt; aut si in bonis rebus contemnunt; aut si in malis deserunt. qui igitur utraque in re grauem, constantem, stabilemq. se in amicitia praestiterit, hunc ex maxime raro hominum genere iudicare debemus, & paene diuino. firmamentum autem stabilitatis, constantiaeq. eius, quam in amicitia quaerimus, fides est. nihil enim stabile est, quod infidum est. simplicem praeterea, & communem, & consentientem, idest qui rebus iisdem moueatur, eligi par est: quae omnia pertinent ad fidelitatem. neque enim fidum potest esse multiplex ingenium, & tortuosum. neque uero, qui non iisdem rebus mouetur, & natura consentit, aut fidus, aut stabilis potest esse. Addendum eodem est, ut ne criminibus aut inferendis delectetur amicus, aut credat illatis. quae pertinent omnia ad eam, quam iamdudum tracto, constantiam. ita fit uerum illud, quod initio dixi, amicitiam nisi inter bonos esse non posse. est enim boni uiri, quem eundem sapientem licet dicere, haec duo tenere in amicitia; primum, ne quid fictum sit, ne ue simulatum; (aperte enim uel odisse, magis ingenuum est, quam fronte occultare sententiam) deinde non solum ab aliquo oblatas criminationes repellere, sed ne ipsum quidem esse suspiciosum, semper aliquid existimantem ab amico esse uiolatum. Accedat huc suauitas quaedam, oportet, sermonum, atque morum, haudquaquam mediocre condimentum amicitiae. tristitia autem, & in omni re seueritas absit. habet illa quidem grauitatem: sed amicitia remissior esse debet, & liberior, & dulcior, & ad omnem comitatem, facilitatemq. procliuior. Exsistit autem hoc loco quaedam quaestio subdifficilis; num quando amici noui, digni amicitia, ueteribus sint anteponendi; ut equis ueteribus teneros anteponere solemus? indigna homine dubitatio. non enim amicitiarum esse debent, sicut aliarum rerum, satietates. ueterrimae quaeque (ut exuina, quae uetustatem ferunt) esse debent suauissimae, uerumq. illud est, quod uulgo dicitur, multos modios salis simul edendos esse, ut amicitiae munus expletum sit. nouitates autem, si spem afferunt, ut tamquam in herbis non fallacibus fructus appareat, non sunt illae quidem repudiandae: uetustas tamen suo loco conseruanda est: maxima est enim uis uetustatis, & consuetudinis. atque in ipso equo, cuius modo mentionem feci, si nulla res impediat, nemo est, qui non eo, quo consueuit, libentius utatur, quam intrectato, & nouo. nec modo in hoc, quod est animal, sed in ijs etiam, quae sunt inanimata, consuetudo ualet; cum locis etiam ipsis montuosis delectemur, & siluestribus, in quibus diutius commorati sumus. Sed maximum est in amicitia, superiorem parem esse inferiori. saepe enim excellentiae quaedam sunt: qualis erat Scipionis in nostro, ut ita dicam, grege. numquam se ille Philo, numquam Rupilio, numquam Mummio anteposuit, numquam inferioris ordinis amicis. Quinctum uero Maximum fratrem, egregium uirum, omnino sibi nequaquam parem, quod is anteibat aetate, tamquam superiorem colebat; suosq. omnes per se esse posse ampliores uolebat. quod faciendum, imitandumq. est omnibus; ut, si quam praestantiam uirtutis, ingenij, fortunae consecuti sunt, impartiant eam suis, communicentq. cum proxmis: ut, si parentibus nati sunt humilibus, si propinquos habeant imbecilliores uel animo, uel fortuna, eorum augeant opes, eisq. honori sint, & dignitati: ut in fabulis, qui aliquandiu, propter ignorantiam stirpis, & generis, in famulatu fuerint, cum cogniti sunt, & aut deorum, aut regum filij inuenti, retinent tamen caritatem in pastores, quos patres suos multos annos esse duxerunt. quod quidem est multo profecto magis in ueris patribus, certisq. faciendum. fructus enim ingenij, & uirtutis, omnisq. praestantiae tū maxime capitur, cum in proximum quemque confertur.

EXPLANATIO

NEGLIGENDA *est fama:* ¶ propter amicum: non est infamia suscipienda, quam hominum odium sequitur. nam sic plus tibi noceres, quam amico prodesses. MEDIOCRE *telum* ¶ inde, Ingens telum, Necessitas. BENEVOLENTIAM *ciuium*; ¶ quam beneficijs conciliari, ait lib. II. de Off. uel saltem benefica uoluntate. BLANDITIIS, *& assent.* ¶ quibus populares populi auram captabant. Videndus Plutarchus in libello de discrimine Adulatoris, & Amici. *Et assentationibus*: sic tres mei. Et assentando, reliqui. AD *Scipionem* ¶ pro, apud; uel, coram. Ad Sulpicium: Quod ad te delatum diceret sese contra dignitatem tuam. QVASI *signa quaedam, & notas,* ¶ nam Virgilius generosi precoris signa enumerat. Euripides autem, Bonum uirum ab improbo nullo signo internosci, queritur.

Ο τῳ τὸν ἐσθλὸν δεί κακοῦ διειδέναι.
Ουδεὶς χαρακτὴρ ἐμπέφυκε σώματι.

MAGNA *paenuria:* ¶ ergo non temere fidendum. SANE ¶ castigantis hoc esse, alij notant. III. de Leg. Quae res cum sapientissime, modestissimeq. constituta esset a maioribus, nihil habui; sane non multum, quod putarem nouandum in Legibus. EXPERIENDVM *autem est in ipsa amicitia*: ¶ non in ipsa amicitia, sed ante, experiri amicum nos debere, Plutarchus scribit in libello de discrimine Adulatoris, & Amici. & Theophrastus apud Plutarchum περὶ φιλαδελφίας, ait, non oportere amantem iudicare, sed iudicantem amare. Vide & Isocratem in Paraenetico, apud quem probādae amicitiae regulae quaedam sunt. Quod est & apud Xenophontem sub Socratis persona. EST *igitur prudentis, sustinere, ut cursum, sic impetum beneuolentiae, quo utamur, quasi aquis tentatis, sic in amicitijs &c.* ¶ hic libri ueteres ita dissentiunt, ut probabilia tamen afferant. Alij enim habent, Cursum, & (ita nouem mei) ut est in uulgata lectione: in qua uerbum, Cursum, referri potest ad cursum nauis, cum aquarum sequatur mentio. Alij, Cursum nauis, (& ita sex mei) quod aptam sententiam habet. Nisi si Nauis glossema fuit ad Cursum. Alij, & (ita duo mei) Equi cursum. Quod si probatur infra legi poterit, Equis tentatis: ut ipsa sibi translatio congruat. Docti uiri libros esse testantur, in quibus pro, Cursum, Currum; & infra, Equis temperatis, legatur. Quae mihi sane lectio admodum arridet. Nec tamen a uulgata discedo: cum ita proprie dicatur, Sustinere cursum, ideest nauis; ut, Sustinere currum. ita uero tentantur aquae, ut equi temperantur; uel, ut alijs placet, tentantur. Vnus

meus,

Landesbibliothek Oldenburg

meus, Cursum nauis, uel aquae. Male: sed unde tamen eliciatur glossemata esse, Nauis, uel Aquae. Septem, Equis temperatis. Nouem, Aquis tempestatis. Vnus, Equis tempestatis. Vnus, Aquis tempestantibus. *Aquis tentatis:* ut in transitu fluminis. De Leg. lib. II. Nec enim ullum hoc frigidius flumen attigi, cum ad multa accesserim, ut uix pede tentare possim. AMICITIIS, § Amicitia, quinque. ALIQVA *parte* § Sex, Aliqua ex parte. PERICLITATIS *moribus amicorum.* § probatis, periculo facto. SI *uero* § Sin uero, octo. Siri uero, unus: male. Sint uero, unus: male. EXCVSARI *se arbitrantur*, § Se, abest ab uno. Duo, Excusatum iri arbitr. in quorum uno emendatum, Obscur. Quattuor, Obscuratum in arb. Vnus, Obscuratum iri arb. Vnus, Obscuritari arb. & supra, Obscrutari. Vnus, Obscurari se arb. Duo, Obscrutari se arb. Quattuor, Obscurari arb. Vnus, Excrutari arb. Vnus, Obscurari peccatum arb. QVIA *non sine magna caussa sit neglecta amicitia.* § Amicitia, suspicor abundare. IN *honoribus, req. publica uersantur.* § In honoribus reipub. uers. quinque. Reiq. pub. unus. (HAEC *ut omittam*) § Dimittam, duo. Obmittam, unus. NON *est facile inuentus*, § Inuentu, duo. Recte. Sic Crispus lib. III. hist. apud Carisium lib. II. Non tu scis, si quas aedes ignis carpit *acriter*, haud facile sunt defensu, quin & comburantur proximae? AMICVS *certus in re incerta cernitur.* § tres mei, In re certa. Plautus Amicum in re dubia nosci dicit. *In re incerta:* in periculo. PLEROSQVE *conuincunt;* § in uno uetere, Pleros, esse, alij notarunt. IN *bonis rebus* § suis. CONTEMNVNT; § quod est leuitatis. IN *malis.* § amicorum. DESERVNT. § amicos. qui fidem cum fortuna mutant. IN *amicitia quaerimus*, § In amicitiam quaerimus, unus. SIMPLICEM § qui tamen prudens sit. COMMVNEM, § κοινὸν, τοὺς φίλους, Isocrates: Communem amicis: qui facilis sit. CONSENTIENTEM, § nam consensum praecipue requirit amicitia. Graecis, ὁμόνοια, καὶ συμφωνία. ELIGI *par est.* § si sit facultas, & optio detur. ADDENDVM *eodem est*, § Addendum in eodem est, tres. VT *ne* § Vt nec, duo. Vt non, unus. DELECTETVR *amicus*, § Amicus, abest a sex. ILLATIS. § Oblatis, omnes mei. APERTE *enim uel odisse &c.* § Horatius sat. 4. lib. I.

--absentem qui rodit amicum,
Qui non defendit, alio culpante: solutos
Qui captat risus hominum, famamq. dicacis:
Fingere qui non uisa potest, commissa tacere
Qui nequit: hic niger est, hunc tu, Romane, caueto.

MAGIS *ingenuum est*, § Ingenui, omnes mei. (QVAM *fronte occultare sententiam*) *deinde* § Nouem, Quam fronte occultare sententiam. iam deinde. REPELLERE, § Depellere, unus, & alias. male. TRISTITIA *autem, & in omni re seueritas absit. habet illa quidem grauitatem:* § Absit, non est in undecim, in quorum duobus additum. SED *amicitia remissior esse debet*, § Sed in amicitia, duo. Hoc, & cetera, quae sequuntur, referuntur non ad Seueritatem, ut alij putant, sed ad Amicitiam. *Remissior:* non rigida, aut intenta, sed laxo magis uinculo colligata. NVM *quando amici noui, digni amicitia, ueteribus sint anteponendi.* § inde adagium, Nouos parans amicos, ueterum ne obliuiscere. EQVIS *uetulis teneros anteponere solemus.* § Virg. Georg. III. INDIGNA *homine dubitatio.* § Indigna est homine dubitatio, duo. Indigna dubitatio homine haec est, duo. Indigna dubitatio homine est, tres. Indigna dubitatio haec est, quinque. Indigna est haec dubitatio in homine, unus. Indigna dubitatio homine, quattuor. ESSE *debent*, § Debent esse, nouem. Debet esse, duo. Deberet esse, duo. Dicunt esse, unus. SICVT *aliarum rerum*, § Sicut belluarum aliarum, unus. & supra, Rerum. SATIETATES. § Societates, tres. Satietas, quinque. Societas, unus. *Satietas:* odium. quo modo interpretatur Donatus in Terentium. VETERRIMAE, *suauissimae.* § omnes mei, Veterrima, suauissima. VT *amicitiae munus expletum sit.* § ut amicitia perficiatur, certoq. constet, neque de fide mutua dubitetur. NOVITATES § amicitiarum: nouae amicitiae: noui amici. IN *herbis* § Ouidius in epist. Helenes ad Paridem:

Sed nimium properas, & adhuc tua messis in herba est.

MAXIMA *uis uetustatis, & consuetudinis.* § id Ouidius de amore uenereo praecepit, 2. de Arte:

Fac tibi consuescat: nil assuetudine maius.

ATQVE *in ipso equo*, § Atqui, quattuor. Quia ut in ipso equo, unus. Vt in ipso equo, sex. Quo in ipso equo, tres. Quod in ipso equo, duo. Qui in ipso equo, unus. Quando ipso equo, unus. & supra, Vt in ipso equo. QVI *non eo*, § Qui non illo, unus. INTRACTATO, § sic sexdecim. duo, Intacto. NEC, *uero in hoc tantum, quod est animal*, § sic quinque mei. Tantum, non est in quinque. Tantum in hoc, unus. Nec uero in hoc solo, &c. tres. Nec uero in eo, quod &c. unus. Nec modo in hoc, quod &c. tres. INANIMA, § Inanimata, sexdecim. In amicitia, duo: male. CVM *locis ipsis delectemur montuosis etiam, & silu.* § sic sex. Locis in ipsis, tres. In locis ipsis, quinque. Quin, pro, Cum, tres. Cum in locis montuosis delectemur, unus. Sic Homerus:

--οὐδέ τι εἶη
Ἧς πατρίδος γαίης γλυκερώτερον ἄλλο ἰδέσθαι.

Neque enim patrio solo dulcius quidquam nouimus.

SCIPIONIS § sic omnes mei. Alias, Scipioni. IN *nostro, ut ita dicam, grege.* § Ter. Adelph.

At hic hercule de grege illo est.

NVMQVAM *se ille Philo*, § Ille, non est in uno. RVPILIO, § sic recte legendum. contra omnes ueteres libros; ex historiae testimonio. Amici enim Laelij & Rupilius, & Rutilius fuere: quorum nominum similitudo peperit errorem: sed Rupilius, eius aequalis; Rutilius, adolescens. De Rutilio, infra. De Rupilio

pilio autem,eodem loco,& ep.16.lib.IV.ad Att. Q. VERO *Maximum*, ¶ eiusdem Paulli filium,sed a Q.Fabio Max.adoptatum. QVOD *is anteibat aetate*, ¶ Quia,unus. PER *se esse posse ampliores uolebat*. ¶ Posse,non est in uno.Per se posse ampl.uol.unus. Pre se esse ampliores,uol.unus. Post se esse posse ampl.uol.unus.Per se posse, esseq. ampl.uol.scriptum esse in uetere libro,notatum uideo. NATI *sunt* ¶ Sint,duo.Sint nati,quinque.Sunt,deest in uno. VT *in fabulis*, ¶ sic quindecim mei,recte. Vnus, Vt in fabulis uideri potest. Vnus,ut in fabulis dicitur.Vnus,Vt in fabulis de illis audiuimus. IGNORANTIAM ¶ Ignorationem,quattuor.quo modo legitur in Nonio,Famulatus. AVT *deorum,aut regum filij* ¶ ut Telephus,Herculis,& Auges; Aegysthus,Thyestis,& Pelopiae filij :alter a cerua, alter a capra nutritus, a pastoribus inuenti. ut Romulus,& Remus a Faustulo educati, ut Cyrum, Regem Medorum, expositum ab Astyage, pastor Mithridates aluit. ut Semiramis,diu ab auibus alita, a pastoribus sublata, regia coniuro facta fuit. PATRES *suos* ¶ sic unus.unus,Patres sibi. A sexdecim abest,& Suos,& Sibi. CERTISQ. ¶ Ceterisque,duo. FRVCTVS *enim ingenij,& uirtutis,omnisq. praestantiae tum maximus capitur,cum in proximum quemque confertur*. ¶ sic sexdecim. Duo, Tum permaximus. Alias, Carpitur. Fructus autem uirtutis est caritas.

CICERO

VT *igitur ii, qui sunt in amicitiae,coniunctionisq. necessitudine superiores, exaequare se cum inferioribus debent:sic inferiores dolere non debent, se a suis amicis aut ingenio,aut fortuna,aut dignitate superari.quorum plerique aut queruntur semper aliquid,aut etiam exprobrant, eoq. magis, si aliquid habere se putant,quod officiose,aut amice,& cum labore aliquo suo factum queãt dicere. odiosum sane genus hominum,officia exprobrantium: quae meminisse debet is, in quem collata sunt; non commemorare, qui contulit. quamobrem, ut ii, qui superiores sunt, submittere se debent in amicitia; sic quodam modo inferiores extollere. sunt enim quidam, qui molestas amicitias faciunt, cum ipsi se contemni putant. quod non fere contingit,nisi iis,qui etiam contemnendos se arbitrantur:qui hac opinione non modo uerbis,sed etiam opere, leuandi sunt. tantum autem cuique tribuendum est, primum, quantum ipse efficere possis; deinde etiam,quantum ille,quem diligas, atque adiuues,possit sustinere. non enim tu possis, quantumuis licet excellas, omnes tuos ad honores amplissimos perducere: ut Scipio P. Rupilium potuit consulem efficere,fratrem eius Lucium non potuit. quod si etiam possis quiduis deferre ad alterum; uidẽdum est tamen, quid ille possit sustinere. Omnino amicitiae, corroboratis iam,confirmatisq. & ingenijs,& aetatibus, iudicandae sunt; nec, si qui,ineunte aetate, uenandi, aut pilae studiosi fuerint,eos habere necessarios oportet,quos tum eodem studio praeditos dilexerunt. isto enim modo nutrices, & paedagogi iure uetustatis plurimum beneuolentiae postulabunt:quae negligendi quidem non sunt; sed alio quodam modo colendi. aliter enim amicitiae stabiles permanere non possunt. aispares enim mores disparia studia sequuntur. quorum dissimilitudo dissociat amicitias. nec ob aliam causam ullam boni improbis, improbi bonis amici esse non possunt,nisi quod tanta est inter eos,quanta maxima potest esse,morum,studiorumq. distantia. Recte etiam praecipi potest in amicitijs, ne quis intemperata quadam beneuolentia, quod persaepe fit, impediat magnas utilitates amicorum: nec enim (ut ad fabulas redeam) Troiam Neoptolemus capere potuisset, si Lycomedem, apud quem erat educatus, multis cum lacrymis iter suum impedientem,audire uoluisset: & saepe incidũt magnae res, ut discedendum sit ab amicis: quas qui impedire uult, quod desiderium non facile ferat, & infirmus est, molliq. natura, &, ob eam ipsam causam, in amicitia parum iustus. Atque in omni re, considerandum est, & quid postules ab amico,& quid patiare a te impetrari. Est etiam quasi quaedam calamitas in amicitijs dimittendis nonnumquam necessaria. iam enim a sapientum familiaritatibus ad uulgares amicitias oratio nostra delabitur. erumpunt saepe uitia amicorum tum in ipsos amicos, tum in alienos: quorum tamen ad amicos redundet infamia.tales igitur amicitiae sunt remissione usus eleuandae,&, ut Catonem dicere audiui, dissuendae magis,quam discindendae sunt; nisi quaedam admodum intolerabilis iniuria exarserit; ut neque rectum, neque honestum sit,neque fieri possit, ut non statim alienatio, disiunctioq. facienda sit. sin autem morum, aut studiorum cõmutatio quaedam, ut fieri solet,facta erit, aut in reip. partibus dissensio intercesserit: (loquor enim, ut paullo ante dixi, non de sapientum, sed de communibus amicitijs) cauendum erit,ne non solum amicitiae depositae,sed inimicitiae etiam susceptae uideantur. nihil enim turpius, quam cum eo bellum gerere, quicum familiariter uixeris. ab amicitia Q. Pompeij meo nomine se remouerat, ut scitis, Scipio: propter dissensionem autem, quae erat in rep. alienatus est a collega nostro Metello.utrumque egit grauiter, auctoritate,& offensione animi non acerba. quamobrem primum danda opera est, ne qua amicorum dissidia fiant: sin tale aliquid euenerit, ut exstinctae potius amicitiae,quam oppressae uideantur. Cauendum uero est, ne etiam in graues inimicitias conuertant se amicitiae:e quibus iurgia, maledicta, contumeliae gignuntur: quae tamen si tolerabiles erunt,ferendae sunt: & hic honos ueteri amicitiae tribuendus est,ut is in culpa sit,qui faciat,non qui patiatur iniuriam.*

EXPLANATIO

SIC *inferiores non dolere,se &c.* ¶ sic decemseptem. quorum unus supra addit,Debent. Vnus,Sic inferiores non debẽ,se &c. Hoc autem est inuidorum: qui alienis rebus marcescunt opimis. A *suis amicis* ¶ Amicis,non est in decemseptem. QVERVNTVR ¶ Querunt,unus. Queruli autem homines amici-

Landesbibliothek Oldenburg

tiae idonei non sunt. Prouerbium Graecum: Οἱ φιλομεμφεῖς εἰς φιλίην οὐκ ἐυφυεῖς. SI *aliquid habere se put.* ℈ Si se habere put. decemseptem. OFFICIOSE, ℈ Officiosissime, unus. Offensiose, Lambinus. ET *amice*, ℈ sic omnes mei. Alias, Aut amice. FACTVM ℈ Facto, unus. male. ODIOSVM *genus hominum, officia exprobrantium*: ℈ uide Senecam, lib. II. de Beneficijs. Commemoratio etiam, exprobrationis uim habet. Sosia apud Terentium. QVAE *meminisse debet is, in quem collata sunt, non commemorare, qui contulit*. ℈ Prouerbium Graecum:

χάριν λαοῦν μέμνησο: δοὺς δ' ἐπιλάθου.

QVI *etiam contemnendos se arbitrantur*: ℈ nihil arroganter de se sentientes. QVANTVM *ipse efficere possis*; ℈ Sic omnes mei: uno excepto, in quo, Potest. Lambinus, Possit. NON *enim tu possis, quantumuis* ℈ Non enim tu possis, uel quantumuis, tres. Quamuis, duo. unus, Quantumquamuis. EXCELLAS, ℈ sic omnes mei. Alii notant esse in quibusdam ueteribus, Excelleas. EFFICERE, *fratrem eius &c.* ℈ Efficere, sed fratrem eius &c. unus. male. *Fratrem eius*: Tusc. IV. & Pli. lib. VII. cap. *36*. *Eius*: pro, Suum. ut Liuius lib. XXXIII. T. Iuuentium, & C. Labeonem, eius fratrem, ideſt, C. Atinii Labeonis, supra nominati. Sic & in antiquis inscriptionibus.

L . MAELIVS . L . L . TARNITAS
VASCVLARIVS
SIBI . ET . DVRDENAE . P . L
CYTHERIDI
ET . L . MAELIO . L . F . ANI
FLACCO
FILIO . EIVS
SCR . AED . CVR . ET . S C R
ET . LIBERTIS
ET . LIBERTABVSQ . SVIS

Et:

D . M
T . FLAVIVS . VITALIS
FEC . SIBI . ET . POSTERIS Q . EIVS
LIB . LIBERTABVSQVE
QVORVM NOMINA . I . S . S .
POSTERISQ . EORVM
MERCVRIALI . HILARI
CINNAMO . SATVRNINI
CRESCENTI . SER . RESTITVTAE
FORTVNAT . FESTAE
COETONIDI . ANCILLAE . I

ET *ingenijs*, ℈ Et, abest a nouem meis. EODEM *studio*, ℈ sic decemseptem. recte. Male alias, Eorum. A duobus abest. male. NVTRICES, ℈ sic Aeneas pius in Nutricem, lib. VII. Aen. PAEDAGOGI ℈ serui. uide Valerium lib. VI. cap. I. Sic in Aristotelem Alexander primum, postea refriguit amor. SED *alio quodam modo*. ℈ hoc placet, ut est in nouem meis. duo supra habent, Diligendi. unus, Amandi. reliqui, Colendi. Vt facile apparcat, omnia esse glossemata. *Alio quodam modo*: qui multo minore culpa negligantur, quam ueteres amici. ALITER *enim amicitiae stabiles* ℈ Enim, non est in tredecim. *Aliter*: si uetustatis ratio potius habeatur, quam morem. NE *quis intemperata quadam beneuolentia*, ℈ Ne intemperata quaedam beneuolentia, duo. NEOPTOLEMVS ℈ immo Achilles. Ciceronis igitur hoc est μνημονικὸν ἁμάρτημα. Homerus ιλ. τ. Hyginus cap. XCVI. Plinius lib. XXXV. cap. XI. DESIDERIVM *non facile ferat*; ℈ absentiam. PARVM *iustus*. ℈ Parum est iustus, unus. *Parum iustus*: quod plus delectationi suae tribuit, quam aut utilitati, aut officio amici. EST *etiam* ℈ Est enim, tres. REMISSIONE *usus eleuandae*, ℈ Ita crebro usurpatur hoc uerbum a Cicerone, & ab alijs, ut in dubium eius uenire significatio non possit. est enim, minuere, & extenuare. Vt infra: Caussas suspicionum, offensionumq. tum euitare, tum eleuare, tum ferre, sapientis est. Tueor igitur uulgatam lectionem, dissentiens ab iis, qui mutant; cum eam praesertim undecim ueterum librorum auctoritas fulciat, Vnus, Leuandae. Duo, Eluendae. Vnus, Eludendae. Vnus, Elidendae. Vnus, Eluendae, & supra, Eleuandae. Vnus, Eluente. DISCIDENDAE; ℈ sic omnes mei. Discutiundae, esse in uno uetere, notat Langius. COMMVTATIO *quaedam* ℈ non tan-

ta,

ta, neque tanti momenti, ut odium mereatur. LOQVOR *enim*, ℈ Loquor enim iam, tredecim. NIHIL *enim turpius*, ℈ addunt, Est, tredecim. COLLEGA *nostro Metello*. ℈ Macedonico: Collega autem Scipionis, & Laelii in auguratu. Vide Plinium lib. VII, cap. 43. GRAVITER, *auctoritate*, ℈ Gravi auctoritate. unus. *Grauiter*: ratione in consilium adhibita. EXSTINCTAE, *oppressae* ℈ uide Nonium. CAVENDVM *uero est*, ℈ Vero, abest a nouem. Vnus, Cauendum uero, ne &c. MALEDICTA, *contumeliae* ℈ Maledicta, & contumeliae, quattuor. Maledicta contumeliarum, unus. IN *culpa* ℈ in uitio.

CICERO

OMNINO *omnium horum uitiorum, atque incommodorum una cautio est, atque una prouisio, ut ne nimis cito diligere incipiamus, ne ue indignos. digni autem sunt amicitia, quibus in ipsis inest caussa, cur diligantur. rarum istud genus: & quidem omnia praeclara rara, nec quidquam difficilius, quam reperire, quod sit omni ex parte in suo genere perfectum. sed plerique neque in rebus humanis quidquam bonum norunt, nisi quod fructuosum sit; & amicos, tamquam pecudes, eos potissimum diligunt, ex quibus sperant se maximum fructum esse capturos: itaque pulcherrima illa, & maxime naturali carent amicitia, per se, & propter se, expetenda. nec ipsi sibi exemplo sunt, haec cuius amicitiae qualis, & quãta sit. ipse enim se quisque diligit, non ut aliquam a se ipso mercedem exigat caritatis suae, sed quod per se sibi quisque carus est. quod nisi idem in amicitiam transferatur, uerus amicus numquam reperietur. est enim is amicus quidem, qui est tamquam alter idem. quod si hoc apparet in bestiis, uolucribus, agrestibus, natantibus, cicuribus, seris, primum, ut se ipsae diligant; (id enim pariter cum omni animante nascitur) deinde, ut requirant, atque appetant, ad quas se applicent eiusdem generis animantes; idq. faciũt cum desiderio, & cum quadam similitudine amoris humani: quanto id magis in homine fit natura? qui & se ipse diligit; & alterum acquirit, cuius animum ita cum suo commisceat, ut efficiat paene unum ex duobus. Sed plerique peruerse, ne dicam impudenter, amicum habere talem uolunt, quales ipsi esse non possunt: quaeq. ipsi non tribuunt amicis, haec ab ijs desiderant. par est autem, primum, ipsum esse uirum bonum; tum, alterum similem sui quaerere. in talibus ea, quam iamdudum tractamus, stabilitas amicitiae confirmari potest; cum homines, beneuolentia coniuncti, primum cupiditatibus ijs, quibus ceteri seruiunt, imperabunt; deinde aequitate, iustitiaq. gaudebunt; omniaq. alter pro altero suscipiet; neque quidquam umquam, nisi honestum, & rectum, alter ab altero postulabit; neque solum colent se inter se, ac diligent, sed etiã uerebuntur. nam maximum ornamentum amicitiae tollit, qui ex ea tollit uerecundiam. itaque in ijs perniciosus est error, qui existimant libidinum, peccatorumq. omniũ patere in amicitia licentiam. uirtutum enim amicitia ad iutrix a natura data est, non uitiorum comes: ut, quoniam solitaria non posset uirtus ad ea, quae summa sunt, peruenire; coniuncta, & consociata cum altera, perueniret. quae si quos inter societas aut est, aut fuit, aut futura est; eorum est habẽdus ad summum naturae bonum optimus, beatissimusq. comitatus. haec est, inquam, societas, in qua omnia insunt, quae putant homines expetenda, honestas, gloria, tranquillitas animi, atque iucunditas; ut, cum haec adsint, beata uita sit, & sine his esse non possit. quod cum optimum, maximumq. sit; si uolumus adipisci, uirtuti opera danda est: sine qua neque amicitiam, neque ullã rem expetendam consequi possumus. ea uero neglecta, qui se amicos habere arbitrantur, tum se denique errasse sentiunt, cum eos grauis aliquis casus experiri cogit. Quo circa, (dicendum est enim saepius) cum iudicaueris, diligere oportet; non, cum dilexeris, iudicare. sed, cum multis in rebus negligentia plectimur, tum maxime in amicis & deligendis, & colendis. praeposteris enim utimur cõsilijs & acta agimus: quod uetamur ueteri prouerbio. nã, implicati ultro & citro uel usu diuturno, uel etiam officijs, repente in medio cursu amicitias, exorta aliqua offensione, dirumpimus. quo etiam magis uituperanda est rei maxime necessariae tanta incuria. una est enim amicitia in rebus humanis, de cuius utilitate omnes uno ore cõsentiunt. quamquam a multis ipsa uirtus contemnitur, & uenditatio quaedam, atque ostentatio esse dicitur: multi diuitias despiciunt; quos, paruo contentos, tenuis uictus, cultusq. delectat: honores uero, quorum cupiditate quidam inflammantur, quam multi ita contemnunt, ut nihil inanius, nihil esse leuius existiment? itemq. cetera, quae quibusdam admirabilia uidentur, permulti sunt, qui pro nihilo putent. de amicitia omnes ad unum idem sentiunt, & ij, qui ad remp. se contulerunt; & ij, qui rerum cognitione, doctrinaq. delectantur; & ij, qui suum negotium gerunt otiosi; postremo ij, qui se totos tradiderunt uoluptatibus; sine amicitia uitam esse nullam; si modo uelint ali qua ex parte liberaliter uiuere. serpit enim nescio quo modo per omnium uitam amicitia; nec ullam aetatis degendae rationem patitur esse expertem sui.*

EXPLANATIO

OMNINO *omnium horum uitiorum*, ℈ Omnium, abest a quattuor meis. CAVTIO ℈ Ter. And Puerum ne resciscat mihi esse ab illa, cautio est. PROVISIO: ℈ Q. Curt. lib. x. Seditione prouisa. VT *ne* ℈ Ter. Eun. Itaque, ut ne id uideam misera, huc effugi foras. *Vt ne nimis cito*: Isocrates: Βραδέως μὲν φίλος γίνου, γιγνόμενος δὲ πειρῶ διαμένειν. ὁμοίως γὰρ αἰσχρὸν μηδένα φίλον ἔχειν, ϗ πολλοὺς ἑταίρους μεταλάττειν. INCIPIANT, ℈ sic tredecim. quinque, Incipias. Alias, Incipiamus. NEVE *indignos*. ℈ Neue non dignos, unus meus. RARVM *istud genus*: ℈ Rarum id genus, unus. reliqui decemseptem, Rarum genus. OMNI *ex parte in suo genere perfectum*. ℈ non uideo, cur assentiar iis, qui auferunt illud, In

Landesbibliothek Oldenburg

ſuo genere, ex ingenio, cum & legatur in omnibus antiquis libris, & ſententia obſcuritatis, aut uitii nihil habeat. Eſt enim diuerſarum rerum perfectio. propterea dixit eleganter, In ſuo genere. ut ſingularia omnia notaret, ac diſtingueret. Horatius, Nihil eſt ab omni parte beatum. QVID QVAM *bonum*, § Boni, decem. NATVRALI § ſic omnes mei. Naturabili, alii ſcriptum eſſe dicunt in quibuſdam ueteribus. A *ſe ipſo* § Ipſe, ſeptem. EST *enim is quidem tamquam alter idem*. § ſic tredecim. unus, Eſt enim is amicus quidem, qui eſt tamq. unus, Eſt enim uerus comicus is quidem tamq. unus, Eſt enim is, qui eſt amicus tamq. duo, Eſt enim uerus amicus, qui eſt alter idem. Alias, Eſt enim is amicus quidem, qui eſt tamq. § AGRESTIBVS, *natantibus, cicuribus*, § ſic nouem. Natantibus, agreſtibus, cicur. quattuor. Natantibus, non eſt in duobus. Agreſtioribus, natantibus quibus feris, & cicuribus, unus. Cucuris, pro Cicuribus, unus. Agreſtibus, notantibus, ſuibus, cicuribus unus, & alias. AD *quas* § Ad quos, duo. CVM *quadam ſimilitudine* § Cum, abeſt a quattuor. FIT *natura*? § non opinione, non ex inopia, aut neceſsitate, aut ſpe commodorum. ANQVIRIT § ſic legendum. Antea, Acquirit, quo modo in duodecim. Adquirit, duo. Acquirat, unus. Acquiritur, unus. Inquirat, unus. Quod corruptum eſt ex Anquirit. CVIVS *animum ita cum ſuo commiſceat*, § quocum conſilia communicat. PERVERSE § uitium in amicitia. TRACTAMVS, § Tractauimus, quinque. Tractabamus, duo. COLENT *ſe inter ſe* § Colent inter ſe, tredecim. Sic alibi: Pueri noſtri ament inter ſe, ac diſcunt. AC *diligent*, § Sic omnes mei. uno excepto, in quo, At. ex quo alii libri, Atque. CONIVNCTA, *& conſociata* § Coniuncta, & ſociata, ſeptem. Et conſatiata, unus. Et cum ſociatata, unus. Et conſonata, unus, Mendoſe. QVAE *ſi quos inter &c.* § reſpexit ad uerbum, Conſociata. Q ~, unus. Alii ſcribunt eſſe in uetere, Quare, pro Quae. VT, *cum haec adſint*, § Et, pro, Vt, tredecim. EXPERIRI *cogit*. § fidem eorum, quos ſibi amicos eſſe, falſo putabant. (DICENDVM *eſt enim ſaepius* § ſic quinque. Etiam, pro, Enim, nouem. Et, unus. Dicendum eſt ſaepius, unus. Dicendum & cum ſaepius, unus. DILIGERE *oportet*, § Diligere oportere, unus. ACTA *agimus*: Ter. Phorm. Actum, aiunt, ne agas. QVOD *uetamur* § Quae, duo. IMPLICATI § Impliciti, unus. VLTRO *& citro* § Vltro, citroq. duo. Vltroq. citroq. unus. Vltroq. citro, unus. VSV *diuturno*, § Diurno, unus. Diurno, duo. Diurno, unus, & ſup. add. Tu. Diuino, duo. DIRVMPIMVS. § Diſrumpimus, tres. Dirupimus, unus. REI *maxime neceſſariae tanta incuria*. § magna eſt hoc in loco (quod alii ſcribūt: nam mei quindecim faciunt cum impreſſa lectione, duo, Rei tam max. nec. tanta inc.) antiquorum librorum uarietas. nec tamen ſatis apparet, quos ſequi debeas. Nam, quocumque modo legas: Rei maxime neceſſariae tanta incuria. uel: Rei maximae, tam neceſſariae tanta incuria. uel: Rei tam maxime neceſſariae tanta incuria: recte legi puto. Primum eſt apertum. Alterum non obſcurum: & interdum coniungit Cicero rem maximam, maximeq. neceſſariam. plus eſt enim, neceſſarium quiddam eſſe, quam maximum. ut in epiſtola ad Curionem: Non dubitaui id a te per litteras petere, quod mihi animum eſſet maximum, maximeq. neceſſarium. Poſtremum uideri poteſt durius, coniuncta particula Tam cum aduerbio Maxime. ſed hoc ipſo uereor, ne reiectum ſine cauſſa ſit, ignoratione antiquitatis. Mihi enim diſplicere non poteſt, cum in illud Plauto in Aulularia non diſſimile intueor:

Quam ad probos propinquitate proxume te adiunxeris,
Tam optimum eſt.

Et in illud Ter. Heaut. act. 5. ſc. 2.

Adoleſcens, quam minima in ſpe ſitus erit,
Tam facillime patris pacem in leges conficiet ſuas.

Et eiuſdem, Adelph. act. 3. ſc. 5.

Quam uos facillime agitis, quam eſtis maxume
Potentes, dites, fortunati, nobiles,
Tam maxume uos aequo animo aequa noſcere
Oportet, ſi uos uoltis perhiberi probos.

Et Varronis, de re ruſt. Quam pauciſſimos reliqueris, tam optimi in alendo fiunt. Et Salluſtii, in Iugurta: Itaque, quam quiſque peſsime fecit, tam maxime tutus eſt. Nec illa diuerſa, Catulli, & Velleii. Catulli, ad Ciceronem:

Tanto peſsimus omnium poeta,
Quanto tu optumus omnium patronus.

Velleii, lib. 11. de Mario: Quantum bello optimus, tantum pace peſsimus. Poſſem afferre multa de Graecis: ſed Latina ſufficiant. VTILITATE § non fine. nam alii alium ſtatuunt. NAMQVE *a multis* § Quamquam, pro, Namque, eſt in omnibus. IPSA *uirtus* § ord. praep. tres. VENDITATIO § Vendicatio, omnes. OSTENTATIO *eſſe dicitur*: § Oſtentatio conceditur, Langius. Eſſe, non eſt in uno meo. omnes, Dicitur, non Conceditur. MVLTI *diuitias deſpic.* § Multi etiam diu. deſp. duo. Multi diu. deſp. unus, & ſupr. add. Autem. NEGOTIVM *gerunt otioſi*; § quod attinet ad reſp. Sic omnes mei. VITAM *eſſe nullam*; § ſic tres. recte. undecim addunt, Sentiunt. tres, Dicunt. PER *omnium uitam* § Vitas, decem ſeptem.

CICE-

CICERO

QVIN *etiam, si quis ea asperitate est, & immanitate naturae, ut congressus, societatemq. hominum fugiat, atque oderit, qualem fuisse Athenis Timonem nescio quem accepimus; tamen is pati non possit, ut non acquirat aliquem, apud quē euomat uirus acerbitatis suae, atque hoc maxime iudicaretur, si quid tale posset cōtingere, ut aliquis nos deus ex hac hominum frequentia tolleret, & in solitudine ubiam collocaret, atque ibi suppeditans omnium rerum, quas natura desiderat, abundātiam, & copiam, hominis omnino adspiciendi potestatem eriperet: quis tam esset ferreus, qui eā uitam ferre posset? cuiq. non auferret fructum uoluptatum omnium solitudo? uerū igitur illud est, quod a Tarentino Archyta, ut opinor, dici solitum, nostros senes commemorare audiui, ab alijs senibus auditum; si quis caelum adscendisset, naturamq. mundi, & pulchritudinem siderum perspexisset, insuauem illā admirationem ei fore, quae iucundissima fuisset, nisi aliquem, cui narraret, habuisset. sic natura solitarium nihil amat; semperq. ad aliquod, tamquam adminiculum, annititur: quod in amicissimo quoque dulcissimum est. sed, cum tot signis eadem natura declaret, quid uelit, ac quaerat, quid desideret: obsurdescimus tamen nescio quo mō, nec ea, quae ab ea monemur, audimus. est enim uarius, et multiplex usus amicitiae; multaeq. causae suspicionum, offensionumq. dantur. quas tum euitare, tum eleuare, tum ferre, sapientis est. una illa subleuanda offensio est, ut & utilitas in amicitia, & fides retineatur. nam & monendi amici saepe sunt, & obiurgandi: & haec accipienda amice, cum beneuole fiunt. sed nescio quo modo uerū est, quod in Andria familiaris meus Terentius dixit:*

„ *Obsequium, amicos; ueritas, odium parit.*

molesta ueritas est; siquidem ex ea nascitur odiū, quod est uenenū amicitiae: sed obsequium multo molestius; quod, peccatis indulgens, praecipitem amicum ferri sinit. maxima autem culpa in eo est, qui & ueritatem aspernatur, & in fraudem obsequio impellitur. omnis igitur hac in re habenda ratio, & diligentia est, primum ut monitio acerbitate, deinde obiurgatio contumelia careat. in obsequio autem (quoniam Terentiano uerbo libenter utimur) comitas adsit; assentatio, uitiorum adiutrix, procul amouea tur, quae non modo amico, sed ne libero quidem digna est. aliter enim cum tyranno, alter cum amico uiuitur. cuius autem aures clausae ueritati sunt, ut ab amico uera audire nequeant; huius salus desperanda est. scitum est enim illud Catonis, multo melius de quibusdam acerbos inimicos mereri, quam eos amicos, qui dulces uideātur: illos uerum saepe dicere, hos numquam. atque illud absurdū est, quod ij, qui monentur, eam molestiam, quam debent capere, non capiunt; eam capiunt, qua debent carere. peccasse enim se, non anguntur; obiurgari, moleste ferunt: quod contra oportebat, delicto dolere, obiurgatione gaudere. Vt igitur, & monere, & moneri, proprium est uerae amicitiae; & alterum libere facere, non aspere; alterum patienter accipere, non repugnanter: sic habendum est, nullam in amicitijs pestem esse maiorem, quam adulationem, blanditias, assentationem. quamuis enim multis nominibus est hoc uitium notandum, leuium hominum, atque fallacium, ad uoluntatem loquentium omnia, nihil ad ueritatem. cum autem omnium rerum simulatio est uitiosa, (tollit enim iudicium ueri, idq. adulterat) tum amicitiae repugnat maxime. delet enim ueritatem, sine qua nomen amicitiae ualere non potest. nam, cum amicitiae uis sit in eo, ut unus quasi animus fiat ex pluribus: qui fieri poterit, si nec in uno quidem unus animus erit idem semper, sed uarius, cō mutabilis, multiplex? quid enim potest esse tam flexibile, tam deuium, quam animus eius, qui ad alterius non modo sensum, ac uoluntatem, sed etiam uultum, atque nutum, conuertitur?

Negat quis, nego; ait, aio: postremo imperaui egomet mihi,

Omnia assentari:

ut ait idē Terentius: sed ille sub Gnathonis persona: quod amici genus adhibere, omnino leuitatis est. multi autem Gnathonum similes cum sint, loco, fortuna, fama superiores, horum est assentatio molesta, cum ad uanitatem accessit auctoritas. secerni autem blandus amicus a uero, & internosci tam potest adhibita diligentia, quam omnia fucata, & simulata a sinceris, atque ueris.

EXPLANATIO

QVIN *etiam, si quis ea asperitate est, & immanitate naturae, ut congressus, societ. q. hom. fug.* § Quin etiā, si quis asperitatem eam, & immanitatem naturae congressus, ut societatem hom. fug. septem, quorum duo, Societates ut hom. unus, Si quis esset asper. & imm. Vnus, Inhum. Fortasse pro Congressus, Consecutus, legendum, si ueteres hosce libros sequamur in alijs. TIMONEM *nescio quem* § Timonem quendā, esse in uetere libro, ait Lambinus. De Timone Tusc. IV. Plu. in Alcibiade, & Antonio, & Sudas. & Lucianus. ANQVIRAT § Inquirat, unus. Quod factū est ex Anquirat. IVDICARETVR, § Diiudicaretur, duo. IN *solitudinem* § In solitudinem, tres. In sollicitudinem, unus. TARENTINO *Archyta*, § Pythagorico. de quo Laertius lib. IIX. Vide Plut. in Bione. AB *alijs senibus auditum*; § aequalis enim Platonis Archyta fuit, de Senectute. SI *quis caelum adscendisset*, § Si quis in caelum adsc. quindecim. Si quis ad caelum adsc, unus. NISI *aliquem, cui narraret, habuisset*. § Cui ea narr. unus. Non habuisset duo. TOT *signis* § argumentis euidentibus. *Ac quaerat*, § Aut quod requirat, unus. An quaerat, duo. Quid quaerat, quattuor. Acquirat, duo. Aut quaerat, duo. Aut requirat, unus. Desunt haec in quattuor. Anquirat, Labinus. MVLTAEQ. *causae susp. offensionumq.* § Multaeq. suspicionum causae, offensionumq. duo. ELEVARE, § pro minuere, extenuare. supra. SAPIENTIS *est*. § iuxta naturae praescriptum uiuentis. VTILITAS *in amicitia*, § Veritas, duo. ACCIPIENDA *amice*, § Accipienda sunt amice, nouem. *Accipienda amice*; ab eo, qui monetur, & obiurgatur. NESCIO *quo modo uerum est*, § Nescio quomodo

hoc

hoc uerum est,unus.Nescio quo modo id uerum sit,unus. Nescio quo modo uerum sit, unus. FAMILIARIS *meus* § adeo familiaris,ut a Laelio scriptae putentur, quae Terentij nomine comoediae circumferuntur,ad Att.lib.VII,ep.3. TERENTIVS § abest a quattuordecim,unus,T. MVLTO *molestius*; Multo molestius est,sex,in quorum uno additum,in uno deletum. PRAECIPITEM *ferri* § in periculum agi. MONITIO § Admonitio,quattuor. OBSEQVIO § uide Quinctil.lib.IIX.cap.3.de hoc uerbo. NEQVEANT; § Nequeat, tredecim. ILLVD *Catonis, multo melius &c.* § sic quinque. Illud Catonis,ut multa,Melius,duo .Illud Catonis,ut multa,Multo melius,duo. Illud Catonis ut multo melius, septem. QVA *debeat carere*, § sic quinque. Qua debeat uacare,quinque. Qua deberent uacare, quinque. QVOD *contra oportebat*, § similiter locutus in extremo de Senectute. OBIVRGATIONE *gaudere*. § Correctione,octo.Correptione,octo.Correctore,sed sup.add.Correctione, unus. ET *monere,& moneri*, § ἀγαθὴ παραίβασις ἔστιν ἑτέρου. NON *aspere,alterum &c.* § Non aspere,& alterum, unus. ADVLATIONEM, *blanditias*, § Blanditiam,octo.Blanditionem quattuor. Et blanditie, unus. QVAMVIS *enim multis nominibus* § sic undecim. Quam multis enim nom.unus.recte.Quamuis enim hoc multis nom.unus.Enim,non est in uno.Quamuis autem multis nom.unus. AD *uoluntatem* § Ad uoluptatem,sex. TVM *amicitiae repugnat maxime*. § Repugnat abest ab uno.Recte. SI *nec in uno quidem unus animus* § Si ne in uno quidem quoque unus an.quinque. Si nec in uno quoque unus an. tres. Si non in unoquoque animus erit unus,duo, Si non in uno quidem quoque unus an. duo. Si in uno quoque unus an.unus. VT *ait idem Terentius:* § Idem,abest ab uno.Eun.act.3. sc.2. LOCO, § dignitate. ad Terentiam, lib.XIV.ep.18.Videte,quid aliae faciant isto loco feminae.

CICERO

CONCIO, *quae ex imperitissimis constat, tamen iudicare solet,quid interfit inter popularem,idest assentatorem, & leuem ciuem; & inter constantem, seuerum, & grauem. Quibus blanditijs C. Papirius consul nuper influebat in aures concionis, cum ferret legem de tribunis pl.reficiendis? dissuasimus nos.sed nihil de me,de Scipione dicam libentius. quanta illi,dij immortales,fuit grauitas,quanta in oratione maiestas? ut facile ducem populi R. non comitem,diceres.sed affuistis;& est in manibus oratio.itaque lex popularis suffragijs populi repudiata est. Atque (ut ad me redeam) memimistis, Q. Maximo, fratre Scipionis,& L. Mancino cos. quam popularis lex de sacerdotijs C. Licinij Crassi uidebatur. cooptatio enim collegiorum ad populi beneficium transferebatur. atque is primum instituit in forum uersus agere cum populo.tamen illius uendibilem orationem religio deorum immortalium,nobis defendentibus,facile uincebat. atque id actum est praetore me,quinquennio ante, quam cōsul sum factus.itaque re magis,quam auctoritate, causa illa defensa est.quod si in senatu,idest in concione,in qua rebus fictis,& adumbratis loci plurimum est, tamen uerum uale.,si modo id patefactum,& illustratum est:quid in amicitia fieri oportet,quae tota ueritate perpenditur? in qua nisi,ut dicitur,apertum pectus uideas, tuumq. ostendas; nihil fidum,nihil exploratum habeas; ne amare quidem, aut amari possis,cum, id quam uere fiat, ignores. quamquam ista assentatio,quamuis perniciosa sit,nocere tamen nemini potest,nisi ei,qui eam recipit,atque ea delectatur. ita fit,ut is assentatoribus patefaciat aures suas maxime, qui ipse sibi assentetur,& se maxime ipse delectet.omnino est amans sui uirtus:optime enim se ipsa nouit;quamq. amabilis sit, intelligit. ego autem non de uirtute nunc loquor,sed de uirtutis opinione. uirtute enim ipsa non tā multi praediti esse,quam uideri,uolunt.hos delectat assentatio. his fictus ad eorum uoluntatem sermo cum adhibetur, orationem illam uanam testimonium esse laudū suarum putant. Nulla est igitur haec amicitia, cum alter uerum audire non uult,alter ad mentiēdum paratus est. nec parasitorum in comoedijs assentatio nobis faceta uideretur,nisi essent milites gloriosi.*

,, Magnas uero agere gratias Thais mihi?
satis erat respondere, Magnas; Ingentes, inquit.semper auget assentatio id,quod is, cuius ad uoluntatem dicitur,uult esse magnum. quamobrem, quamquam blanda ista uanitas apud eos ualet,qui ipsi illam alliciant,& inuitant:tamen etiam grauiores,constantioresq. admonendi sunt, ut animaduertant,ne callida assentatione capiantur. aperte enim adulanteni nemo non uidet,nisi qui admodum est excors; callidus ille,& occultus ne se insinuet, studiose cauēdum est. nec enim facillime agnoscitur,quippe qui aduersando saepe assentetur;&, litigare se simulans, blandiatur, atque ad extremum det manus, uincīq. se patiatur, ut is, qui illusus sit, plus uicisse uideatur. quid autem turpius,quam illudi? quod ne accidat, magis cauendum est: ut in Epicureo,

,, Hodie me ante omnes comicos stultos senes
,, Versaris,atque luseris lautissime:

haec enim in fabulis stultissima persona est, improuidorum,& credulorum senum.

EXPLANATIO

C.PAPIRIVS *consul* § abest, Consul,a decem meis.& recte abest.nam trib.pl.erat.epit.Liu.lib.IIX. QVANTA *illi,&c.* § Illi,abest a duobus.Illa,septem. QVANTA *oratione maiestas?* § sic omnes mei.Quantum in oratione maiestatis,esse in quibusdam,scripsit Lambinus. VIDEBATVR. § sic omnes mei.Iubebatur,alias.Lambinus,Ferebatur. COOPTATIO § Coaptatio,octo.Captatio,unus,addita sup.O.Captatio,tres.Coaptio,duo.Coactatio,duo.Cohactatio, unus. AD *populi beneficium transferebatur*, § ut populus sacerdotes crearet, cum ea potestas antea ipsorum sacerdotum fuisset. ATQVE *is &c.* §

is &c. ʒ hoc Plutarchus C. Graccho tribuit, in Gracchis. alteruter igitur errauit. VERSVS ʒ Versu, unus. Versibus, unus. TAMEN *illius uend. or.* ʒ Tum, duo. Tantum, unus. Venerabilem, duo. *Vendibilem:* plausibilem, popularem, quae laudetur in uulgus. NOBIS *defendentibus*, ʒ male alij, Deferentibus: contra ueteres omnes meos. Quasi ad augures, ad quos antiquandae legis potestas non pertinuit, sed ad populum, ad quem Laelius dissuasit eam legem. De hac oratione in Bruto. PRAETORE *me*, ʒ sic quattuor. Per me praetorem, duo. Per me PR. unus. Per me, decem: in quorum uno sup. add. Praetorem. CONSVL *sum factus*. ʒ Sim, nouem. Factus essem, duo. QVAM *auctoritate*, ʒ Quam summa auctoritate, quattuordecim. QVOD *si in scena*, ʒ sic decem. Scenis, duo. Scamna, tres. Scamna, duo. In istamna, unus. IDEST *in concione*, ʒ sic undecim. Vel in conc. tres. Idem in conc. unus. In, non est in uno. VT *dicitur, apertum pectus uideas*, ʒ sic duodecim. Vt dicitur, aut apertum pectus uid. quinque. quorum unus, Opertum. AVT *amari possis*, ʒ Possis, abest a sex meis. QVAMVIS *perniciosa* ʒ Quamuis, abest a quattuor. *Pernicios a:* nam iudicium corrumpit. RECIPIT, ʒ Recepit, quinque. NON *de uirtute nunc loquor*, ʒ sic duodecim. Nunc, non est in duobus. De uirtute nunc non loquor, unus. MAGNAS *&c.* ʒ Eun. act. 3. sc. 1. SEMPER *auget assentatio* ʒ sic unus. Assentator, reliqui. QVI *ipsi illam* ʒ Qui illi ipsam, quattuor. Qui ipsam illam, unus. Ipsi, abest a duobus. INSINVET, ʒ irrepat in sinum, penetraliaq amicitiae. FACILLIME ʒ Facile, duo. Faciliter, unus. PLVS *uicisse* ʒ ex contentione. unde maior uictoria. Illusisse, quinque. Lusisse, quinque. Vidisse, uel ualuisse, unus. *Plus uidisse:* sapientius iudicasse. Fam. lib. VII. Vidisse mihi multum uideris. VT *in Epicureo*, ʒ numquam credidi, nec legendo reperi, fabulae nomen fuisse, Epicureus. Vt in Epiclero, recte legendum putauit Pater. Epiclerus autē Caecilij fuit comoedia, teste Prisc. lib. VI. & X. Caecilij q. hos uersus esse, ait idem Cicero in Catone. Quod certe, quamquam dissentientibus antiquis libris, nostram coniecturam approbat. Nec tamē ignoro, Turpilii quoque comoediam hoc nomine fuisse, ut est apud Priscianum, & Nonium. Sed haec Caecilij esse, non Turpilij, locus in Catone iam citatus perspicue declarat. Vertit fortasse eam comoediam ex Menandro. nam Stobaeus eius exemplum adducit ex Epiclero. Vt in Epicurio, duo. Pacuino, quinque. Pacunio, unus. Pacuuii, unus. Pacuuio, unus. Mendose omnia. ME *hodie ante omn.* ʒ sic nouem. Vt in eo die ante omn. septem. Vno die ante omn. unus. COMICOS ʒ sic duo. Comitos, unus. Amicos, quinque. Coamicos, decem. ATQVE *luseris* ʒ sic unus. Atque ut disseris, unus. Atque ut luseritis, tres. Atque ut iusserit, duo. Atque iusseris, unus. Atque ut luxeris, unus. Atque ut uixeris, duo. Atque iusseris, unus. Vseris atque, unus. Atque illusseris, unus. Ac uiseris, unus. Atque ut illuseritis, unus. LAVTISSVME: ʒ Laudatissime, tres. Latissime, unus. Male. Lautissime, omnes.

CICERO

SED nescio quo pacto ab amicitijs perfectiorum hominum, idest sapientum, (de hac dico sapientia, quae uidetur in hominem cadere posse) ad leues amicitias deflu xit oratio. quamobrem ad illa prima redeamus; eaque ip sa concludamus aliquando. Virtus, inquam, C. Fanni, & tu, Q. Muci, & conciliat amicitias, & conseruat. in ea est enim conuenientia rerum, in ea constantia: quae cum se extulit, & ostendit lumen suum, & idem adspexit, agnouitq. in alio, ad id se admouet, uicissimq. accipit illud, quod in altero est. ex quo eorum exardescit siue amor, siue amicitia. utrumque enim dictum est ab amando: amare autem, nihil aliud est, nisi eum ipsum diligere, quem ames, nulla indigentia, nulla utilitate quaesita: quae tamen ipsa efflorescit ex amicitia, etiam si tu eam minus secutus sis. hac nos adolescentes benevolentia senes illos L. Paullum, M. Catonem, C. Gallum P. Nasicam, Ti. Gracchum, Scipionis nostri socerum, dileximus. haec etiam magis elucet inter aequales, ut inter me, & Scipionem, & L. Furium, P. Rupilium, Sp. Mummium: uicissim autē senes in adolescentium caritate acquiescimus, ut in uestra, & Q. Tuberonis: equidem etiam admodum adolescentis P. Rutilij, & A. Virginij familiaritate delector.

EXPLANATIO

DEFLVXIT *oratio*. ʒ Deflexit, duo. AD *illa prima red.; eaq. ipsa* ʒ Ad illam primam red.; eamq. ipsam, quindecim. quorum unus, Ipsamq. AGNOVITQ. ʒ Cognouitq. duo. Et agnouit, unus. L. PAVLLVM, ʒ patrem Scipionis. SP. *Mummium*; ʒ Lucij fratrem. de quo in Bruto, & ad Att. lib. XIII. VT *in uestra, & Q. Tuberonis:* ʒ unus, Vt ego in uestra, & Q. Tub. Vt in uestra, ut in Q. Tub. tres. Vt in uestra, atque in Q. Tub. unus. Vt in uestra, ut in Tub. duo. Vt in uestra, & in Q. Tub. octo. Vt in uestra, ut Q. Tub. unus. Vt in uestra, & ubi Q. Tub. unus. EQVIDEM *etiam admodum* ʒ sic quinque. Et quidem etiam adm. nouem. Et quidem adm. duo. Equidem & adm. unus. P. RVTILII, ʒ ad Att. lib. IV. ep. 16. ET *A. Virginij* ʒ Et, abest ab octo. Et, A, abest a duobus.

CICE-

Landesbibliothek Oldenburg

CICERO

QVONIAMQ. *ita ratio comparata est uitae, naturaeq. nostrae, ut alia aetas oriatur ex alia: maxime quidem optandum est, ut cum aequalibus possis, qui huscum tamquam e carceribus emissus sis, ijsdem ad calcem, ut dicitur, peruenire: sed, quoniam res humanae fragiles, caducaeq. sunt, semper aliqui acquirendi sunt, quos diligamus, & a quibus diligamur. caritate enim, benevolentiaq. sublata, omnis est e uita sublata iucunditas. mihi quidem Scipio, quamquam est subito ereptus, uiuit tamen, semperq. uiuet. uirtutem enim amaui illius uiri; quae exstincta non est; nec mihi soli uersatur ante oculos, qui illam semper in manibus habui; sed etiã posteris erit clara, & insignis. nemo umquam animo, aut spe maiora suscipiet, qui sibi non illius memoriam, atque imaginem proponendam putet. Equidem ex omnibus rebus, quas mihi aut fortuna, aut natura tribuit, nihil habeo, quod cum amicitia Scipionis possim comparare. in hac mihi de rep. consensus, in hac rerum priuatarum consilium, in eadem requies plena oblectationis fuit. numquam illum, ne minima quidem re, offendi, quod quidem senserim: nihil audiui ex eo ipse, quod nollem. una domus erat, idem uictus, isq. communis. neque solum militia, sed etiam peregrinationes, rusticationesq. communes. nam, quid ego de studijs dicam cognoscendi semper aliquid, atque discendi? in quibus, remoti ab oculis populi, omne otium, tempusque contriuimus. quarum rerum recordatio, & memoria, si una cum illo occidisset, desiderium comunctissimi uiri, atque amantissimi, ferre nullo modo possem: sed nec illa exstincta sunt, aluntur q. potius, & augentur, cogitatione, et memoria, &, si plane illis orbatus essem, magnum tamen afferret mihi aetas ipsa solatium. diutius enim iam in hoc desiderio esse non possum: omnia autem breuia tolerabilia esse debent, etiam si magna sunt. Haec habui, de amicitia quae dicerem. uos autem hortor, ut ita uirtutem locetis, sine qua amicitia esse non potest, ut, ea excepta, nihil amicitia praestabilius esse putetis.*

EXPLANATIO

VT *alia aetas oriatur ex alia*: ℈ Ex alia, absunt ab omnibus meis. *Ex alia*: natura suppeditat nobis, unde semper amicos parare possimus ex quacumque aetate: cum ueteres saepe morte eripiantur; ut cũ iis ad eundem uitae exitum peruenire nequeamus. IISDEM ℈ Cum iisdem, quindecim. ACQVIRENDI *sunt*, ℈ Exquirendi, duo. Adquirendi, quattuor. Requirendi, unus. Aquirendi, unus. Anquirendi, legendum. ANTE *oculos*, ℈ praesens. nam cara ob oculos uersantur. SVSCIPIET, ℈ conabitur. NATVRA ℈ a qua sunt animi quoque bona. IN *hac mihi &c.* ℈ perfectae amicitiae descriptio. NE *minima quidem re*, ℈ Nec, quattuor. NIHIL *enim audiui*, ℈ Enim, non est in septem. & recte NVLLO *modo* ℈ quando illa cum ipso mihi essent prorsus erepta. ATQVE *discendi?* ℈ quod homini a natura insitum, scribit Off. 1. MEMORIA; ℈ Memoria mea, quattuordecim. Memoria mei, unus. AFFERRET ℈ Affert, nouem. Offert, unus. PRAESTABILIVS *esse putetis*. ℈ Esse, abest a sex meis.

NOBILISSIMO . IVVENI

IACOBO . CRITONIO SCOTO

CVM nihil in te sit summissum, & populare, (mi Iacobe Critoni) quin omnia tam ampla, excelsa, atq. admiranda, ut elapsi temporis uiris illustribus, ac sapientissimis gloriam, futuris uero etiam spem tua amplitudo auferat, nostro autem saeculo singulare afferat ornamentum: cumq. non minus opiniones tibi, quam uita sint admirabiles: sententias illas, quae Paradoxa uocantur, quae non sane probantur in uulgus philosophorum, in Stoicorum scholis natas, nudas admodum, & squalidas, nunc uero M. Tullii Ciceronis eloquentia exornatas, & auctoritate, meis Commentariis illustratas nomini tuo dicare uolui: cui ista maxime conueniunt. non tantum, ut amoris erga te mei indicium praebeam, qui nisi iam antea tibi ex tantis constitit argumentis, numquam ex ullo patebit officio, quam ut animi grati pro Carminibus, quae in tuo ad urbem Venetam appulsu mihi dedisti. Nunc uero etiam laetor, toti Italiae, & Orbi fortasse terrarum uniuerso perspectum esse iudicium de te meum, & ea, quae, cum huc uenisses, scriptis commendaui. quae tibi ipsi, ac nonnullis acerrimis censoribus, aspera, atq. iniucunda uidebantur. nam, licet tum amorem malui ostendere, quam prudentiam, nunc ambo cum amicis tuis, tum inimicis, si qui amplius tam feri, atq. inhumani reperiuntur, manifesta sunt, postquam tua uirtus tam clarum sui splendorem diffudit. ego enim iunctam inuidiae, ac multorum inimicitiis eximiam quandam, atque immortalem gloriam sum consecutus. nam, quid illustrius, quid honestius, quid uero etiam gloriosius ad nomen meum accedere potuit, quam ut a me prolata παραδοξότατα primum, tum ἐγκωμιαστικὰ uiderentur, nunc uero ἱστορικώτατα ab omnibus habeantur. cum multi homines sui iudicii leuitatem, infirmitatemque, cum essent stultitia obcaecati, mei uero constantiam, ueritatemq. perspiciant. poteram enim (ἔσπεται νὸν μοι μοῦσα) Illustriss. Critoniam, & Serenissimam Stuardam, quibus oriundus es, familias extollere. Sed, quid Reges tui maiores, (licet ea laus Scotorum Regibus merito tribui possit, quod inter omnes Europae Reges uetustissimi Christiani sint) quos numquam Romani imperio suo subegere; cum Caesar, propter tumultus excitatos, & res in Gallia fluctuantes, exercitum a Regni expugnatione reuocaret: Quid, inquam, isti, tuis uirtutibus, animiq. dotibus amplius solidae laudis afferunt? Quid Critonii, qui cum Scotorum militiae Imperatores summi plerumque essent, Anglos e Galliae Regno, & Scotiae finibus toties, ac tanta uirtute eiecerunt? Quid Robertus Critonius, pater tuus, Fifensis in Scotia, & Stormondiensis, Elioki, & Clunaei, tot opidorum, tot praesidiorum dominus, qui longo tempore inter omnes Regni proceres aerumnosissimae simul, & beatissimae Reginae, quae apud Anglos (pro dolor) iam captiua est, & Christianae religionis acerrimus exstitit propugnator, praesertim qui copias ad proelium, quod Langsydium uocant, duxisset; quid ille tibi splendoris ueri affert? Non tantum illi fortasse debes, quod te genuerit, quod maximos huius tempestatis uiros, Buchananum, Heppurnium, Robertonium, & Rhetorfortem praeceptores tibi dederit, quod tam amplas pecunias fortunasq. in te erudiendo insumpserit, & omnes uires animi, atque ingenii in educando profuderit, quantum quod ob intestinas seditiones, & proelia domestica, contra te susceitata, quae cum patre gessisti, Regno discedere, & Regem relinquere, coegit. Sed laudem, quae a maioribus ad nos deriuatur,

ne laudem quidem esse, sapientissimus ille uir Vlixes existimauit. Neque te uero multum commendo, quod specie, & corporis uiribus polleas. fateor tamen aliquid esse in his, quod non tam a fortuna, quantum ab animo pendet, immortalitatis memoria prosequendum: quod scilicet Regno, patria, domoq. ob Catholicae fidei ardorem tam longe abes, nec ullum ex his aerumnis dolorem, sed incredibilem animo sentias uoluptatem: neque Regis in consobrinum tuum Iacobum Stuardum clementia, cui cum Morauiae Principatu suam consobrinam uxorem dedit: neque communis cum Rege educatio permouent, immo ne mouent quidem. putas enim, maiores quasdam opes, & firmiora, quam quae amisisti, praesidia esse quaerenda. In corporis uero bonis id habes, quod effigies oris, atque sermonis animi nobilissimi filia sit. Sed belli studia in ipsis ephebis inire, eadem animo, atque amore prosequi, & cum litteris, & Philosophia, tamquam alter Brutus, coniungere, nemini umquam ab initio humani generis obtigit. Magna sunt ista profecto, & inaudita: mediocria tamen, si cetera spectemus. quod scilicet decem linguarum, multorum idiomatum, omnium disciplinarum cognitionem ante uigesimum primum aetatis annum sis adeptus. & digladiandi, saltandi, omnium gymnasticarum exercitationum, & equitandi studia tanta cum alacritate ingenii, animiq. humanitate, mansuetudine, & facilitate coniunxeris, ut nihil te admirabilius, nihil etiam amabilius reperiri possit. Sed non innumerabiles uitae tuae transactae laudes; non mirificam illam coram Serenissimo Principe, ac Illustrissimis Venetae Reip. proceribus actionem; non subtilissimas tuas de Theologia, Philosophia, & rebus Mathematicis disputationes in plerisque maximorum hominum consessibus recensebo; non tantorum hominum ad te videndum concursum, vt olim Platoni a Sicilia reuertenti, relicto Olympico spectaculo, tota Athenienssium celebritas occurrisse fertur; cum te omnes signo rubeae Rosae, quod tibi natura circa dextrum lumen impressit, tamquam unicam, & raram in terris auem homines cognoscerent. Quae enim gentes tam ferae sunt, quae, te cum adspexerint, non maximum cepisse fructum putent? Sed, his praetermissis, nunc propria narrabo: quae scilicet in Patauina Academia fecisti, tum quae in hac Vrbe, totius Orbis nobilissima; cuius amplitudinem, & augustissimam maiestatem inter omnes alias ciuitates te accipere, fouere, atque amplecti decuit; te uero etiam, humani generis miraculum, admirandam Vrbem incolere, amare, & omnibus aliis anteponere. Nam, postquam aduersa valetudine iam quattuor menses laborasses, priusquam in integrum pristinae sanitatis statum redires, amicorum consilio ad Patauinam Academiam, tamquam ad Sapientiae Officinam, profectus es, ubi Idibus Martii in diem sequentem, suscepto consilio omnes omnium disciplinarum professores in aedibus Clarissimi uiri Iacobi Aloisii Cornelii, eius auctoritate, & precibus, ut conuocarentur, petiisti. cum autem maximus doctissimorum hominum coetus, & omnes ex insperato paene studiosi, & nobiles Gymnasii iuuenes una conuenissent, statim in primi ingressus uestibulo elegantissimo carmine Patauinas laudes (nam ea tibi proposita erat ad dicendum materia) ex tempore decantasti: deinde cum celeberrimis illis doctoribus multa ex uariis disciplinis tam acute exagitasti, tam docte pertractasti, erroresq. Aristotelis, ac interpretum tam solide refutasti, tanta denique cum maximis uiris modestia egisti, ut omnes in uirtutis admirationem, & morum suauitatis amorem simul allexeris. Neque id silentio praetereundum est, quod ex tempore etiam, post sex horarum dere litteraria colloquia, & disputationes, cum oblata tibi esset Ignorationem laudandi occasio, tam ornate de ea re dixisti, ut illi ipsi, qui intererant, potius somnia fouere, quam rem ueram, & praesentem uidere se putasse mihi postea affirmarint. Alium postea diem indixisti in aedibus Illustrissimi Patauini Episcopi, non ut altius ingenii tui specimē praeberes, quod profecto frustra fecisses, sed ut eorum, qui primis disputationibus non interfuerant, obnixit precibus satisfaceres. uariae res huic proposito obstaculo fuere. ad secundum certamen uentum non est. sed plerique cum primis Europae uiris sermones habiti sunt. nonnumquam hominum exspectationes, licet propter facta tam illustria de te maximas, plerumq. etiam & te ipsum superasse dictus es. ex quibus actis cum illico surrexisset magna fama, obtrectatores aliqui, quibus ex aliorum bene gestis, & rebus secundis inuidentia esse solet, homuli, nescio quid dicam, tuae uirturi aliquid derogare frustra tentauerunt. ostendentes in obscuro odio apertas inimicitias, &, in quo nihil nocere poterant,

rant, summam uoluntatem nocendi. Tum tu, ut istas obtrectationes maleuolentissimas pusillorum, maleuolorumq. prosterneres, atque obtereres, duo haec Theoremata in hac Vrbe edidisti;

Vt ijs, qui (virtute, veraq. animi nobilitate alijs praelucentes) bene de Virtutis Amatoribus sentire consueuerunt, gratias agat immortales, IACOBVS. CRITONIVS. SCOTVS, *profligatisque &) perditis hominibus omnem in posterum iactandi occasionem auferat: errores Aristotelis paene innumerabiles, &) omnium Latinorum Philosophorum, siue cum de ipsius mente disputant, siue cum res Theologicas attingunt, & nonnullorum quoque Matheseos professorum somnia refutabit, & ad obiecta respondebit.*

Liberam ad haec in omnibus disciplinis, siue illae publice doceri soleant, siue sapientissimis tantum hominibus peruiae sint, arguendi occasionem dat. responsurus, siue Logicis, & consuetis responsionibus, siue per Secretam Numerorum rationem, aut figuras Mathematicas, siue per aliquod ex centum carminum generibus: ex proponentium arbitrio.

In DD. Ioannis, & Paulli aede sacra, in ipso Sanctissimo Pentecostes die, post Meridiem,

EXORDIVM. SVMET

& per triduum indefessus sustinuisti; &, quamdiu tua auctoritas tibi defendenda fuit, sic acriter, & uehementer proeliatus es, ut clamor, concursusq. insolitus ad studia tua lenienda tanta cum laude fieret, ut nihil umquam magnificentius ab hominibus auditum sit. Tu uero me non solum auctorem consiliorum, sed spectatorem pugnarum mirificarum habuisti. Nunc, quoniam laudis semper auidissimus fui, & praeter ceteros φιλοχρίτους ab omnibus habeor, multorumq. odia pro tua caussa susceпi, cura obsecro, & effice, ut facis, ut, quia ueram uirtutem cognoui, ab omnibus amer, amari, & laudari possim, & ut maior in ea mihi in dies spes resideat. Meas igitur in Ciceronis Paradoxa lucubrationes, hoc ipso, quia in Paradoxa sunt, sub tuo nomine prodire uolui, quod ueteribus gratiam, nouis fauorem conciliare solet. Tu autem has nostras uigilias, & Stoicorum opiniones simul (quoad ueritas patitur) tuebere. id enim tibi admodum erit facile. iam enim paene omnes homines aut gratiam, aut eloquentiam, aut tantarum rerum, ne dicam omnium, scientiam suspiciunt. Viue nostri memor, & uale.

Venetiis, XIV. Kal. Iun. ∞ D XXCI.

Landesbibliothek Oldenburg

M · TVLLII · CICERONIS PARADOXA SEX AD · M · BRVTVM

CICERO

ANIMADVERTI, Brute, saepe Catonem, auunculum tuum, cum in senatu sententiã diceret, locos graues ex philosophia tractare, abhorrentes ab hoc usu forensi, & publico; sed dicendo consequi tamen, ut illa etiam populo probabilia uiderentur. quod co maius est illi, quam aut tibi, aut nobis; quia nos ea philoso phia plus utimur, quae peperit dicendi copiam, & in qua dicuntur ea, quae non multum discrepant ab opinione po pulari; Cato autem, perfectus, mea sententia, Stoicus, & ea sentit, quae non sane probantur in uulgus; et in ea hae resi est, quae nullum sequitur florem orationis, neque dila tat argumentum, sed minutis interrogatiunculis, quasi punctis, quod proposuit, efficit. sed nihil est tam incredibile, quod non dicendo fiat probabile; nihil tam horridum, tam incultum, quod non splendescat oratione, & tamquam excolatur. quod cum ita putarem, feci etiam audacius, quam ille ipse, de quo loquor. Cato enim dumtaxat de magnitudine animi, de continentia, de morte, de omn laude uirtutis, de diis immortalibus, de caritate patriae Stoice solet, oratoriis ornamentis adhibitis, dicere. ego ue ro tibi illa ipsa, quae uix in gymnasiis, & in otio Stoici probant, ludẽs conieci in communes locos. quae quia sunt admirabilia, contraq. opinionem omnium, ab ipsis etiam Παράδοξα appellantur: tentare uolui, posſent ne proferri in lucem, id est in forum, & ita dici, ut probarentur; an a lia quaedam esset erudita, alia popularis oratio. eoq. scripsi libentius, quod mihi ista, Παράδοξα quae appellãtur, maxime uidentur esse Socratica, longeq. uerissima. Accipies igitur hoc parum opusculum, lucubratum his iam contractioribus noctibus: quoniam illud maiorum uigiliarum munus in tuo nomine apparuit. & degustabis genus hoc exercitationum mearum, quibus uti consueui, cũ ea, quae dicuntur in scholis θετικὰ, ad nostrum hoc oratoriũ transfero dicendi genus. hoc tamen opus in apertum ut re feras, nihil postulo. non enim est tale, ut in arce poni possit, quasi illa Minerua Phidiae: tale tamen est, ut ex eadem officina exisse uideatur.

ARGVMENTVM

VETERVM Stoicorum sapientia in eo posita erat, (ut Plutarchus in libello aduersus Stoicos testatur) ut nouum aliquid, inauditum, & admirabile in uulgus proferrent, quod ipsi tamquam peculiare sibi uindicabant. Quorum princeps fuit Xenocrates. Sed istorum opinio de anima admodum futilis fuit. nam eam omnes ante Socratem, cum circulos aliquos confecisset, deficere, ac ueluti conteri affirmabant. Sic idem Xenocrates, & Zeno, illius sectae principes primum elementa, & id quod est secundum naturam, putabant esse summum bonum: Deum dicebant esse mentem corpus habentem, cui insit tamquam materiei admistus. diuersam tamen, licet non multo, Socrates, recentiorum Academicorum facile primus, ab hac phi

Landesbibliothek Oldenburg

losophandi rationem iniuit. nam, cum multi sua tempestate sophistae (quod nomen primum ueris sapientibus, deinde uanis sui ostentatoribus tributum erat) Graeciam totam peragrarent, pecuniam a iuuenibus magnam erogantes, qui stulta scientiae persuasione obtumescebant, eorum Socrates fastum comprimens, (sed eo fortasse modo, quo Platonis sedem conscendens prae indignatione Cynicus ille philosophus fastum suum conculcabat) interrogabat semper, & ueritatem, tamquam Pirastes, (quo nomine Interrogantem Aristoteles XI I. Topicorum appellat) sedulo indagabat, nihil ex sua opinione dicere uisus, ut auram popularem facilius consectaretur. nam magni interest in disputando, ambiguos uideri, ancipites, & in neutram propositae quaestionis partem uergentes. Sic optimos Olympici certaminis iudices Elaeos fore aiebant, si nemo Elaeus certaret. nam nostrarum opinionum, ut aliarum rerum, amor nos plerumque caecos facit. Sed, quid est, per Deum, mi Iacobe Critoni, quod Socratis disputandi modum in sophistas lacessis, aut, si non lacessis, sane non satis approbare uideris? Sane me fateor non hoc abs te plane intellexisse. num quia in bonos uiros, qui iuuentutem uenali scientia exacuebant, dicere nimium seuere solitus erat? an quia nihil proprium, cum alios reprehenderet, umquam dicebat? ad aliorum inuenta refutanda, quam ad sua statuenda, paratior. Profecto, ut mihi uidetur, eius, & aliorum omnium Stoicorum philosophia etiam reprehensione penitus non uacat. nam, Aristotelem in Physicis secutus, neque sensui solo fidentes, neque omnem illi fidem adimentes, sed a sensu incipientes, & ad altiora proficiscentes, approbo. Sed Stoici omnem sensibus fidem derogabant. Quid enim magis ridiculum audiri potest, quam quod de homine duplici, & bicorpore, dicebant? in unoquoque nostrum duo corpora, quorum unum, alterabile; alterum, quod alterari nequeat: unum, quod crescat; alterum uero, quod excretionis sit expers; ponentes. Sic enim Pentheus in Euripidis Bacchylide insaniens dicebat: Ego me duos iam uidere Soles puto, duplicesq. Thebas. Ait, Puto. nam sensus illius hercle delusus erat uana quadam specie. Horum praeterea de uniuerso, de elementis, de habitibus, & affectionibus animi, de tempore, contacto, infinito, incremento, & alijs plerisque rebus, opiniones, quamuis absurdae sint, tamen eae, quae ad mores spectant, nisi tantum ijs rigoris inesset, (quo nomine a D. Hieronymo taxantur) perpulchrae essent: neque uero id negari potest, quantum ad exercitationem ingenij, & animorum conducant. & eas iccirco noster Cicero, potius, quam quod ueras esse existimaret, pertractauit. Nam, ut Theodoretus putat, in eo genere quoque animos exercitandi admodum recentiores Academiam pollebant: cuiuscunque quaestionis probabilis alteram se posse ex tempore partem sustentare, aut refutare profitentes. quibus praeterea, potius quam Peripateticis, quod magis rigidus est philosophandi modus, adhaesisse Ciceronem crediderim. neque enim satis eum intelligunt, qui putant, ipsum maiorem ingenij subtilitatem, & mentis acumen in Platone, quam in Aristotele, fuisse, existimasse. Nam, cum ait, Aristotelem omnes alios, praeter Platonem, uincere, id ita intelligendum est, quod Aristoteles Platonem non longo, ut ceteros, interuallo superauerit, cũ tamen aliquo modo euicerit. Sic, benigne Lector, a Peripateticis exacta sapientia, a Stoicis, & recentioribus Academicis (praesertim cum de moribus tractant) sumenda est illa, quam Logici uocant, sollertia, & perspicacitas.

EXPLANATIO

PARADOXA ʒ Acad. quaest. IV. uocat Admirabilia: Quinctilianus lib. IX. Inopinata. AD *M. Brutum*. ʒ cuius uitam Plutarchus litteris mandauit. Fam. lib. II. Brutum a me amari intellígis. quid est cauſſae, cur mihi non in optatis ſit, complecti hominem florentem aetate, opibus, hominibus, ingenio, liberis, propinquis, affinibus, amicis: collegam meum praeſertim, & in ipſa collegij laude, & ſcientia ſtudioſum mei? Et lib. IX. Semper amaui M. Brutum propter eius ſummum ingenium, ſuauiſsimos mores, ſingularem probitatem, atque conſtantiam. Eius nomine inſcripta a Cicerone oratorum catalogus libri de finibus bonorum & malorum; & de nat. deorum. & Tuſculanae quaeſtiones, & epiſtolarum libri. Brutus autem Ciceroni librum dedit de Virtute. cuius de Finibus mentionem facit. ANIMADVERTI, ʒ Animaduorti, quattuor mei. CATONEM, ʒ fratrem Seruiliae, Bruti matris: qui poſtea cum ſe Vticae occidiſſet, Vticenſis eſt appellatus. nunc autem uiuere uidetur, cum haec Cicero ſcribit. SENTENTIAM *diceret*, ʒ qualis eius oratio contra coniuratos, apud Salluſtium. Vide Plutarchum. MAIVS ʒ grauius, difficilius. DISCREPANT ʒ Diſcrepent, duo. PHILOSOPHIA ʒ Academica. NON *ſane* ʒ ſic quattuor. quattuor, Non plane. decem, Non recte. IN *uulgus*; ʒ In uulgo, tres. NVLLVM *ſequitur florem orationis*, ʒ Stoicos eloquentiae non dediſſe operam, ſcribit Quinctilianus lib. X. & XII. Florens orationis genus uocat in Oratore. SED *minutis interrogatiunculis*, ʒ Sed, abeſt a quinque. in quorum tribus additum. QVASI *punctis*, ʒ metaphora a Geometris, qui Puncta σημεῖα dicunt, partes, ex quibus lineae conficiuntur minutiſsimae. II. de Oratore, Puncta argumentorum occulere, dixit. QVOD *propoſuit*, ʒ propoſitionem. NON *fiat probabile*: ʒ non ueriſimile uideatur. SPLENDESCAT ʒ Exſplendeſcat, unus. QVOD *cum ita putarem*, ʒ Ita, abeſt a duobus. in quorum uno add. DE *magnitudine animi*, ʒ quae cernitur in humanarum rerum deſpicientia, & in unius uirtutis admiratione. DE *continentia*, ʒ De conſtantia, unus. *De continentia*: ne propter uoluptatem, aut utilitatem, iuſtitia, & modeſtia relinquatur. DE *morte*, ʒ non eſſe forti uiro metuendam, ſed fortiter, propter honeſtum, oppetendam. DE *omni laude uirtutis*, ʒ uirtutem ſolum ſummum bonum eſſe, nec aliud quidquam laudandum. DE *dijs immortalibus*, ʒ eorum prouidentia mundum regi, & omnibus conſuli. DE *caritate patriae* ʒ omnibus commodis, etiam uitae, anteponendam. STOICE ʒ quod attinet ad opiniones, uerum adhibitis oratorijs ornamentis, dicendo conſequitur, ut illa etiam populo probabilia uideantur. ORATORIIS *ornamentis adhibitis*, ʒ non dubito, quin haec uerba uacent omni mendo. Sed, quoniam dubitare uideo homines eruditos, & addere negationem, Nullis, (quae eſt & in ſex meis) non faciam, ſi modo conſequi potero, ut quiſquam, auctoritate commotus, in errore uerſetur. Catoni non modo Cicero & alibi, & hoc ipſo in loco, ſed Salluſtius, & Plutarchus, & alij eloquentiam tribuunt, qua quidem in ſenatu ita diſputabat de magnitudine animi, de continentia, de morte, alijſq. rebus, quas probare pauci ſolent, ut idipſum, quod ipſe ſentiebat, populo etiam probabile uideretur. In quo tanto maiorem eloquentiae gloriam obtinebat, quanto difficilius eſt, multitudini perſuadere, quae Stoici probant, ut, de patriae ſalute, uel cum omni periculo, tuenda, de criminibus acerrime uindicandis, de uirtute denique ipſa rebus omnibus praeferenda. Cicero autem maius quiddam ſuſcipit, cum non illa, quae ſplendorem ab oratione poſſunt accipere, quae peregregie Cicero in ſenatu, e Stoicorum ſententia, tractabat, ſed illa ipſa probaturum ſe eſſe, aut certe conaturum ut probet, quae Stoici ipſi in ſuis gymnaſiis non facile probant. Haec eſt huius loci ſententia, magna cum Catonis laude expreſſa, aliquanto tamen maiore Ciceronis. quamquam ipſe, cum dicat, Tentare uolui, arrogantiae culpam uitat. EGO *uero tibi &c.* ʒ ſic nouem. A nouem abeſt, Tibi. QVAE *uix ingymn.* ʒ quo maior eſt mea laus, quam Catonis. ille enim ornat ea, quae ornari facile poſſunt: ego autem probanda, laudandaq. ſuſcepi, quae Stoici ipſi, nedum ceteri philoſophi, uix in gymnaſiis diſputantes probant. OPINIONEM *omnium*, ʒ Hominum, duodecim. TENTARE *uolui*, ʒ ſic decemſeptem. unus, Et tentare uolui. Alias, Ac tentare uolui. IN *lucem, ideſt in forum*, ʒ Et in forum, duo. Vel in forum, ſex. A tribus abſunt, Ideſt in forum. EOQ. *ſcripſi libentius*, ʒ Eoq. hos locos ſcripſi libentius, quattuordecim. Locos ſcripſi libentius, tres. Eoq. hos locos ſcripſi lubentius, unus. QVAE *appellant*, ʒ ſic duo. SOCRATICA, ʒ non modo Stoica. HIS *iam contractioribus noctibus*: ʒ aeſtiuis. QVONIAM ʒ Quando, quattuor. MAIORVM *uigiliarum munus* ʒ de Finibus, & de nat. deorum. EXERCITATIONVM *mearum*, ʒ Mearum, abeſt a duobus. in quorum uno add. Θετικὰ, ʒ Quinctil. lib. X. cap. 5. In hoc optime facient infinitae quaeſtiones, quas uocari θέσεις diximus, quibus Cicero iam princeps in rep. exerceri ſolebat. Cicero ad Att. lib. IX. Sed tamen, ne me totum aegritudini dedam, ſumpſi mihi tamquam θέσεις, quae & politicae ſunt, & temporum horum, ut & abducam animum a querellis, & in eo ipſo, de quo agitur, exercear. Θετικὰ: poſitiones. in Laelio. Tuſc. I. & IV. IN *apertum ut referas*, ʒ Proferas, unus. Deferas, unus. IN *arce* ʒ In arcem, quinque. *In arce*: Athenienſi. ILLA *Minerua Phidiae*: ʒ Illa Mineruae, (ſine, Phidiae,) unus. Illa, abeſt ab uno. *Minerua Phidiae*: ex aere. Plin. lib. XXXIV. cap. 8. nam aliam non ita laudatam fecerat ex ebore. Plinius ibidem, & lib. XXXVI. cap. 5. Vide Plut. in Pericle, Thucydidem lib. II. Pauſaniam, & Cic. in Tuſc. quaeſt. & Ariſt. de Mundo. TALE *tamen eſt*, ʒ Sed tale tamen eſt, quinque. Sed tamen tale eſt, tres. Sed tamen, ut ex, quinque. Sed tantum, ut ex, unus. EXISSE *appareat*. ʒ ſic omnes mei.

Landesbibliothek Oldenburg

PARADOXON. I.

ὅτι μόνον ἀγαθὸν, τὸ καλόν: quod honestum sit, id solum bonum esse.

VEREOR, ne cui uestrum, ex Stoicorum hominum disputationibus, non ex meo sensu, deprompta haec uideatur oratio: dicam tamen, quod sentio; & dicam breuius, quam res tanta dici possit. Numquam mehercule ego neque pecunias istorum, neque tecta magnifica, neque opes, neque imperia, neque eas, quibus maxime adstricti sunt, uoluptates in bonis rebus esse numerandas duxi; quippe cum uiderem, homines rebus his circumfluentes, ea tamen desiderare maxime, quibus abundarent. neque enim umquam expletur, nec satiatur cupiditatis sitis: neque ea solum, quae habent, libidine augendi cruciantur, sed etiam amittendi metu. in quo equidem continentissimorum hominum maiorum nostrorum saepe requiro prudentiam, qui haec imbecilla, & commutabilia pecuniae membra, solo uerbo bona putauerunt appellanda, cum re, ac factis longe aliter iudicassent. potest enim bonum cuiquam malo esse? aut potest quisquam in abundantia bonorum ipse esse non bonus? atqui ista omnia talia uidemus, ut etiam improbi habeant, & obsint probis. Quamobrem, licet irrideat, si quis uult: plus apud me tamen uera ratio ualebit, quam uulgi opinio. neque ego umquam illum bona perdidisse dicam, si quis pecus, aut supellectilem amiserit. necnon saepe laudabo sapientem illum, Biantem, ut opinor, qui numeratur inter septem: cuius cum patriam Prienem cepisset hostis; ceteriq. ita fugerent, ut multa de suis rebus secum asportarent; cum esset admonitus a quodam, ut idem ipse faceret, ego uero, inquit, facio: nam omnia mea mecum porto. Ille haec ludibria fortunae ne sua quidem putauit, quae nos appellamus etiam bona. quid est igitur, quaeret aliquis, bonum? si quid recte sit, & honeste, & cum uirtute, id bene fieri uere dicitur; &, quod rectum, & honestum, & cum uirtute est, id solum opinor bonum. sed haec uideri possunt obscuriora, cum sine appositione exemplorum lentius disputantur: uita, atque factis illustranda sunt summorum uirorum haec, quae uerbis subtilius, quam satis est, disputari uidentur. Quaero enim a uobis, num ullam cogitationem habuisse uideantur ij, qui hanc rempublicam praeclare fundatam nobis relinquerunt, aut auri, atque argenti ad auaritiam, aut amoenitatum ad delectationem, aut supellectilis ad delicias, aut epularum ad uoluptates. ponite ante oculos unumquemque regum. uultis, incipiam a Romulo? uultis, post liberam ciuitatem, ab ijs ipsis, qui liberauerunt eam? Quibus tandem Romulus gradibus ascendit in caelum? ijs ne, quae isti bona appellant; an rebus gestis, atque uirtutibus? Quid autem Numa Pompilius? minus ne gratas dijs immortalibus capides, ac fictiles uenulas fuisse, quam filicatas aliorum pateras, arbitramur? omitto reliquos. sunt enim omnes pares inter se, praeter Superbum. Brutum uero si quis roget, quid egerit in patria liberanda; si quis reliquos item, eiusdem consilij socios, quid spectarint, quid secuti sint: nunquis exsistat, cui uoluptas, cui diuitiae, cui denique, praeter officium fortis, & magni uiri, quidquam aliud propositum fuisse uideatur? Quae res ad necem Porsenae Q. Mucium impulit, sine ulla spe salutis suae? quae uis Horatium Coclitem contra omnes hostium copias tenuit in ponte solum? quae patrem Decium, quae filium deuouit, ac immisit in armatas hostium copias? quid continentia C. Fabricij? quid tenuitas uictus M' Curij sequebatur? quid duo propugnacula belli Punici Cn. & P. Scipiones, qui Carthaginensium aduentum corporibus suis intercludendum putauerunt? quid Africanus maior? quid minor? quid inter horum aetates interiectus Cato? quid innumerabiles alij? nam domesticis exemplis abundamus. an putamus quemquam horum cogitasse quidquam in uita sibi expetendum, nisi quod laudabile esse, & praeclarum uideretur? ueniant igitur irrisores huius orationis, ac sententiae; & iam uel ipsi iudicent, utrum se horum alicuius, qui marmoreis tectis, ebore, & auro fulgentibus, qui signis, qui tabulis, qui caelato auro, & argento, qui Corinthijs operibus abundant; an C. Fabricij, qui nihil eorum habuit, nihil habere uoluit, similes esse malint. Atque haec quidem, quae modo huc, modo illuc transferuntur, facile adduci solent, ut in rebus bonis esse negent: illud tamen arte tenent, accurateq. defendunt, uoluptatem esse summum bonum. quae quidem mihi uox pecudum uidetur esse, non hominum. tu, cum tibi siue deus, siue mater, ut ita dicam, rerum omnium natura dederit animum, quo nihil est praestantius, neque diuinius; sic te ipse abijcies, atque prosternes, ut nihil interte, & quadrupedem aliquem putes interesse? quidquam ne bonum est, quod non eum, qui possidet, meliorem faciat? ut enim quisque est maxime boni particeps, ita & laudabilis maxime: neque est ullum bonum, de quo non is, qui id habeat, possit honeste gloriari. quid autem est horum in uoluptate? meliorem ne efficit, aut laudabiliorem uirum? an quisquam in potiundis uoluptatibus gloriase se, & praedicatione, effert? Atqui, si uoluptas, quae plurimorum patrocinijs defenditur, in rebus bonis habenda non est; eaque, quo est maior, eo magis mentem ex sua sede, & statu dimouet: profecto nihil est aliud bene, et beate uiuere, nisi honeste, & recte uiuere.

PRIMVM, *sex opinionum admirabilium, quae in hoc libello a Cicerone nostro, comprobantur, est,* ὅτι μόνον ἀγαθὸν, τὸ καλόν: *quod solum bonum, honestum. & hic status est quaestionis, haec primae disputationis summa. Sed Ciceronis argumentandi modum, qui iuniores fortasse dialecticos latet, quod cum dicendi flore coniunctus sit, hoc pacto in ratiocinationem redigemos. Solum id, quo adepto, mens nostra acquiescit, nil amplius desiderans, est*

bonum;

bonum. solum uero honestum est tale. ergo solum honestum est bonum. Sic, sumpta eadem propositione, a contrario, Nullis opibus, diuitijs, tectis magnificis, aut huiusmodi, mens explctur. ergo non sunt bona.

ὅτι μόνον ἀγαθὸν, τὸ καλὸν: § Graecis utitur inscriptionibus, quod declamationum themata sint haec, a Graecis sumpta. Ex *Stoicorum hominum* § sic quindecim. Vnus, Ex Socraticorum hominum: Vnus, Exacticorum hominum. Vnus, Exoticorum hominum. Exoticum autem est, quidquid peregrinum est. Nonius, ex Plauto. Placet, Stoicorum. Non enim de Graecorum omnium, idest peregrinorum hominum, disputationibus licet accipere: quod alij arbitrantur. sed hoc disputat Cicero e Stoicorum dumtaxat sententia. atque etia m illa ipsa tantum, quae nec Stoicis ipsis probare facillimum est. quod supra dixit. QVAM *res tanta dici possit.* § Quam res tanta poscit, alij legunt. Tanta res, nouem. Potest, quinque. PECVNIAS § M. Crassi. ISTORVM, § cum contemptu dictum. TECTA *magnifica*, § L. Luculli. Alibi Insanas uillarum substructiones dicit. OPES, *imperia*, § Cn. Pompeij. ADSTRICTI *sunt*, § Stricti, unus: male. Alias, Affecti. IN *bonis rebus esse numerandas duxi:* § In bonis rebus, aut expetendis, esse num. duxi, quindecim: a quorum septem abest Numerandas. In bonis rebus, aut in exp. esse num. duxi, unus. In bonis rebus, aut appetendis esse num. produxi, unus. In bonis rebus, aut petendis, desiderandis esse duxi, unus. QVIPPE *cum uiderem, homines rebus his circumfl.* § Quippe cum uiderentur, duo. Homines, abest a duobus. EA *tamen desiderare* § Tantum, pro Tamen, duo. Ea tamen, non legitur in uno. Inde Amicitia confertur Hydropisi. Horatius:

Crescit indulgens sibi dirus hydrops,
Nec sitim pellit, nisi causa morbi
Fugerit uenis, & aquosus albo
Corpore languor.

NEQVE *enim umquam expletur, nec satiatur cupiditatis sitis:* § Aristoteles lib. II. Polit. cap. 6. Ἔτι δὲ ἡ πονηρία ἀνθρώπων, ἄπληστον. καὶ τὸ πρῶτον μὲν ἱκανὲν διαβολῶμεν. ὅταν δ' ἤδη οὕτ' ἡ πάτριον, ἀεὶ δέοντας τοῦ πλείονος, ἕως εἰς ἄπειρον ἔλθωσιν. ἄπειρον γὰρ ἡ ἐπιθυμίας φύσις. NEQVE *ea solum, quae habent*, § Neque solum ea, quae hab. sex. Nec ea solum, quae hab. sex. SAEPE *requiro*, § Semper, octo. HAEC *imb.* § sic omnes. IMBECILLA, § Imbecillia, quattuor. PECVNIAE *membra solo uerbo bona putauerunt appellanda*, § Bona non recte dicuntur, quae fortuna tribuit. D. Aug. in serm. v. in Euang. sec. Matth. Ipsae ergo diuitiae bonae sunt: sed ista omnia bona, quae commemorauit, a bonis, & malis haberi possunt; &, cum bonae sint, bonos tamen facere non possunt. Solo, abest a septem. in quorum uno add. IVDICAVISSENT. § Iudicassent, octo. Alii legunt, *Indicauissent:* ostendissent, demonstrassent. ATQVI *ista omnia* § sic tredecim. tres Atque i. o. unus, Aut qui i. o. unus, An i. o. ETIAM *improbi* § Vt improbi, sex. *Etiam improbi:* Dues enim aut iniquus est, aut iniqui heres. D. Hieronymus. OBSINT *probis.* § Obsint bonis, octo. Vnus, Absint a bonis. (idest, ut boni non habeant.) QVAMOBREM, *licet irrideat, si quis uult*: § Licet, abest a quattuor. in quorum uno add. Alii scribunt esse in quibusdam, Quamlibet irrideat, &c. Quod tamen non probant. PLVS *apud me tamen uera ratio* § Tamen, abest ab uno. *Vera ratio*: Oratio, duo. ILLVM *bona perdidisse* § Illum, abest a duodecim. BIANTEM, § cuius multa apophthegmata leguntur apud Plutarchum, Laertium, Stobaeum. INTER *septem:* § In septem, unus. PRIENEM § Ioniae urbem, Thebarum coloniam. Laertius. ab Aegypto, Nelei filio, conditam, & postea a Philota Thebano coloniam eo eductam, atque ab eo etiam Cadmen dictam. Strabo. qui ait, cum prius maritima esset, alluuione limi, continenti iunctam, ad stadia CCL. & ab Helice originem traxisse. Hanc Ardys, Gygis, v. Lydorum Regis, filius expugnauit. Herodotus. Scribit Laertius, eam ab Aliatte, Ardyis filio, IIX. Lydorum rege, bellis, cum hic Bias floreret, afflictam. Thucydides eam bello Euboico esse afflictam dicit. SECVM *asportarent;* § Secum, abest a quattuordecim. in quorum uno add. OMNIA *mea mecum porto.* § uirtutem, & sapientiam, quae homini non nisi cum uita eripi possunt. uide Valerium Maximum. LVDIBRIA *fortunae* § ludit enim fortuna, diuitijs nunc tribuendis, nunc eripiendis. De Officiis: Diuitiae, nobilitates, honores, magistratus, imperia, & quae sunt his contraria, in casu posita, temporibus gubernantur.

Ouidius:

Nempe dat, & quodcumque libet fortuna, rapitque:
Irus & est subito, qui modo Croesus erat.

Horatius:

Si fortuna uolet, fies de rhetore consul;
Si uolet haec eadem, fies de consule rhetor.

Et alius:

Ludit in humanis diuina potentia rebus.

VERE *dicitur*; § Vere, abest ab uno. Et recte dicitur, Lambinus impressit. ET, *quod rectum*, § Et, abest ab octo. OBSCVRIORA, § Obscura, unus. Odiosiora, esse in quibusdam libris, alij scribunt. CVM *sine appositione exemplorum Lentius disputantur*: § Positione, unus. Oppositione, unus. Sine app. exempl. absunt a decem. in quorum duobus add. in uno deletum. SVBTILIVS, § more Stoicorum.

QVAM

QVAM *satis est*, § Est, abest ab uno. Male alij legunt, Quam factis. NVM *ullam cogitationem* § Illam, tredecim. Male. *Vllam:* Non modo non maximam, ut plerique; aut aliquam, ut non pauci; sed nec ullam prorsus. ATQVE *argenti* § Aut, quindecim. Et, tres. AMOENITATVM § quarum complura sunt genera. Amoenitatis, quinque. Amoenitates, unus. AD *uoluptates.* § sic omnes mei. Alij legunt, Aut uoluptatis. LIBERAM *ciuitatem*, § sic omnes mei. Male alij, Liberatam. LIBERAVERVNT *eam?* § Eam, abest a sex. ROMVLVS § Ennius, apud Cic. Tusc. I.

Romulus in caelo cum dijs agit aeuum.

ADSCENDIT *in caelum?* § quia, subito exstinctus, non apparuit, adscendisse in caelum creditus est. QVID *autem Numa* § Autem, abest ab omnibus. recte. POMPILIVS? § abest ab uno. *Quid Numa Pompilius?*: quia uerbum subauditur, uereor, ne quis temere locum mutarit; cum in quibusdam libris impressum hoc modo legatur: Quid? a Numa Pompilio minus ne gratas &c. Quod mihi quidem, pace dixerim doctorum hominum, haud satis probatur. Subaudiri & hoc uidetur posse, & alia consimilia: Quid Numa Pompilius? uidetur ne uobis, aut uidere cuiquam potest, deorum beneuolentiam ideo non esse consecutum, quia non filicatis pateris, ut luxuriosa posteritas, uerum fictilibus urnulis, & capidibus in sacrificando uteretur. Nec dubito, quin huius generis exempla inter legendum alia occurrant. CAPIDES, *ac fictiles urnulas*, § Capedines, omnes mei. Atque, duo. Capedinesq. ac f. urn. unus. Vasis genus, a Numa sacris adhibitum. III. de nat. de. Docebo meliora me didicisse de colendis dijs immortalibus, iure pontificio, & more maiorum, capedunculis, quas Numa nobis reliquit. &c. Vide Varronem lib. IV. & IIX. de ling. Lat. Festus autem, Capis, poculi genus, a Capiendo dictum. *Vrnulas:* Vrnas, septem. Lambinus, Hirnulas. FILICATAS § Delicatas, omnes. Deliacas, quidam legunt. *Filicatas:* a Filice herba, cuius imago in poculis, & pateris caelari solita fuerit: quae Felix, & Felicula Catoni. BRVTVM *uero* § Lucium, non Marcum. Valerius Max. lib. v. cap. de pietate erga Patriam. Vero, abest a sexdecim. *Si quis* § sic omnes. EIVSDEM *consilij socios*, § Sp. Lucretium, P. Valerium Tricipitinum, Collatinum, & alios. De Romulo, Numa, Superbo, Liuius lib. 2. Dionys. lib. v. Plut. in Valerio Poplicola. QVID *spectarint*, § Quid expectauerint, nouem. Quid Exspectarint, duo. Quid exspetiuerint, quattuor. Quid exspectauerunt, unus. Quid expotauerint, unus. Quid computauerunt, unus. male. QVID *secuti sint:* § Consecuti, quattuor. Alij notant esse in q. l. Assecuti. NVM *quis exsistat, cui* § Num quis ex ijs, cui, unus. Exsistet, quattuordecim. Exsistit, duo. Existimet, mendose, unus. Q. MVCIVM § Valerius lib. III. cap. de Patientia. HORATIVM *Coclitem* § Valerius lib. III. cap. de Fortitudine. QVAE *patrem Decium, quae filium* § Liuius lib. IIX. Valerius lib. v. cap. 6. Quae uis patr. Dec. quae fil. sexdecim. DEVOVIT, § Deuotauit, octo. AC *immisit* § Immisitque, quattuor. Et immisit, quattuor. Misitque, unus. CONTINENTIA *C. Fabricij?* § Plut. in Pyrrho, Valer. lib. IV. cap. de Paupertate, Agell. lib. I. cap. 4. Plin. lib. XXXIII. cap. 12. TENVITAS *uictus M' Curij* § Valerius lib. IV. cap. de Paupertate, Plin. lib. XIIX. cap. 3. & lib. XIX. cap. 5. Columella lib. I. in Praef. & cap. 3. Plutarchus in Apophthegm. DVO *propugnacula belli Punici Cn. & P. Scipiones*, § Virg. VI.

Scipiades duo fulmina belli.

Et Silius Italicus:

Belligeri Mauortia pectora fratres.

Vide Liuium lib. XXI. XXII. XXIII. CORPORIBVS *suis interclud.* § uide, quam eleganter eamdem rem expresit in Catone Maiore. DOMESTICIS *exemplis abundamus.* § nam nulla resp. bonis exemplis ditior fuit. Liuius in Praefatione. AN *putamus quemquam horum cogitasse quidquam in uita sibi exp.* § Putamus nos quidquam illos cogitasse in uita s. e. quattuor. Putas ne illos in uita quidquam s. cogitasse exp. quinque. An putamus nos illos cogitasse quidquam in uita s. e. tres. Putamus nos illos quidquam in uita s. e. unus. Putas ne non illos cogitasse, quidquam in uita s. e. unus. Putamus ne illos cogitasse quidquam in uita s. e. duo. An cogitasse aliquid in uita s. e. & additum, Putamus, post, An, unus. An cogitasse sibi in uita quidquam exp. & additum, Putamus illos, unus. EXPETENDVM, *nisi quod* § Expetendum esse, nisi quod, nouem. LAVDABILE *esse*, § Esse, abest ab uno. sed additum postea, Esset. quomodo est & in sexdecim alijs. VENIANT *igitur irrisores* § Veniant isti igitur irrisores, undecim. Veniant istius igitur irrisores, duo. VEL *ipsi iudicent*, § Ipsi, abest a duobus. CORINTHIIS *operibus* § ex aere Corinthio post ipsam Corinthum a L. Mummio euersam. Sic sex. duodecim, Opibus. Aes Corinthium Virg. Georg. II. Ephyrea aera appellat. ATQVE *haec quidem*, § alias, Atque hi quidem. quo modo unus meus. Atque hoc quidem, unus. Atque haec hi quidem, unus. Atque ad haec quidam, unus. MODO *huc, modo illuc* § τὰ ἀδιάφορα. VOLVPTATEM *esse summum bonum*, § quod senserat Epicurus. MATER, § aliquando nouerca. INTER *te, & quadrup.* § sic nouem. Inter te, atque quadr. septem. Inter te, inter quadr. duo. QVADRVPEDEM *aliquem* § Aliquem, abest a sex. Aliquando, unus. Aliquid, duo. Aliquam, tres. Male. *Quadrupedem:* uoluptas homini cum brutis communis est. QVIDQVAM *ne bonum est*, § An quidquam bonum est, unus. Sunt, qui legant, Quidnam ne bonum est. QVI *possidet*, § Qui id possidet, decem. FACIAT? § Facit, quindecim. GLORIANDO *se*, § Sic decemseptem. Gloria, unus. ET § sic omnes mei. Etiam, Fuluij liber. PRAEDICATIONE *extollit?* § Et praedicatione effert, quattuordecim. Et praedicando effert, duo. Effert in praedicationem, unus. Et in praedicationem extollit, unus. QVO *est maior*, § uoluptas quo maior, eo turpior. STATV § Statione, unus. DIMOVET: § sic quindecim. Demouet, unus. Mouet, duo.

PARA-

PARADOXON. II.

ὅτι αὐτάρκης ἡ ἀρετὴ πρὸς εὐδαιμονίαν:
in quo uirtus sit, ei nihil deesse ad beate uiuendum.

NEC uero ego M. Regulum aerumnosum, nec infelicem, nec miserum umquam putaui. non enim magnitudo animi eius cruciabatur a Poenis, non grauitas, non fides, non constantia, non ulla uirtus, non denique animus ipse; qui, tot uirtutum praesidio munitus, tantoq. comitatu circumsaeptus, cum corpus eius caperetur, capi certe ipse non potuit. Caium uero Marium uidimus qui mihi secundis in rebus unus ex fortunatis hominibus, in aduersis unus ex summis uiris uidebatur: quo beatius esse mortali nihil potest. Nescis, insane, nescis, quantas uires uirtus habeat. nomen tātum uirtutis usurpas; quid ipsa ualeat, ignoras. nemo potest non beatissimus esse, qui est totus aptus ex sese, quiq. in se uno sua ponit omnia. cuius autem spes omnis, & ratio, & cogitatio pendet ex fortuna; huic nihil potest esse certi, nihilque, quod exploratum habeat permansurum sibi ne unum quidem diem. eum tu hominem terreto, si quem eris nactus istiusmodi, mortis, aut exsulij minis. mihi uero quidquid acciderit in tam ingrata ciuitate, ne recusanti quidem euenerit, non modo repugnanti. quid enim ego laboraui, aut quid egi, aut in quo euigilauerūt curae, & cogitationes meae; siquidem nihil peperi tale, nihil consecutus sum, ut in eo statu essem, quem neque fortunae temeritas, neque inimicorum labefactaret iniuria? Mortem ne mihi minitaris, ut omnino ab hominibus, an exsulium, ut ab improbis demigrandum sit? mors terribilis est ijs, quorum cum uita omnia exstinguuntur; non ijs, quorum laus emori non potest: Exsulium autem terribile illis, quibus quasi circumscriptus est habitandi locus; non ijs, qui omnem orbem terrarum unam urbem esse ducunt. te miseriae, te aerumnae premunt omnes, qui te beatum, qui te florentem putas: tuae libidines te torquent: tu dies, noctesq. cruciaris; cui nec satis est, quod est; & id ipsum, quod habes, ne non diuturnum sit futurum, times: te conscientiae stimulant maleficiorum tuorum: te metus exanimant iudiciorum, atque legum: quocumque adspexisti, ut furiae, sic tuae tibi occurrunt iniuriae, quae te respirare non sinūt. Quamobrem, ut improbo, & stulto, & inerti nemini bene esse potest: sic bonus uir, & fortis, & sapiens miser esse nemo potest. nec uero, cuius uirtus, moresq. laudandi sunt, eius non laudanda uita est: neque porro fugienda uita, quae laudanda est. esset autem fugiēda, si esset misera. Quamobrem, quidquid est laudabile, idem & beatum, & florens, & expetendum uideri debet.

NOMINIS *uirtutis definitionem pro medio termino accipit, sed quae ex sese omnia facere, & in seipso ponere omnia potest. nam ea est uirtutis propria, & maxime lata significatio, ut Aristoteles in* 11 *Rhetoricorum notat, omnem alicuius rei in suo genere excellentiam denotare; ut equi, bene incedere; canis, currere; &c. Sic igitur conficienda est totum robur, ac fundamentum huius disputationis complectens ratiocinatio. Nemo potest non beatissimus esse, qui in seipso, & ex se facit omnia. Nemo uirtute praeditus potest non esse talis. Ergo, Nemo uirtute praeditus potest non esse beatissimus. Nunc Logici obstupescunt, Ciceronem necessario, & ex omnibus negantibus concludere. Mirantur quidem: & merito: cum caussas ignorent. Sic contrarium de eo, qui non tam uirtute, quam fortuna delectatur, concludit. De fortunae uero, & uirtutis ad inuicem comparatione uide plura apud Plutarchum in commentariolo, quem de uirtutis, & fortunae Romanorum inter se collatione scribit; qui soliti erant Virtutem placida effigie, nonnihil in uultu roboris habentem, ob gloriae studium, & uictoriae desiderium, pingere; Fortunam quoque feroci gestu, & adspectu spem arrogantem praeseferenti, uirtutem post se relinquentem. At nostrum est, praetermisso Fortunae, quam non agnoscimus, nomine, de Dei, & nostra uoluntate in uitae nostrae actionibus loqui.*

NEC *uero* } ex abrupto, exordio prorsus dissimulato. MAGNITVDO *animi* } lib. III. de Fin. in extremo. Laert. μεγαλοψυχία. TOT *uirtutum praesidio munitus*, } Munitus, abest a quattuor. in quorum duobus add. TANTOQ. *comitatu saeptus*, } sic septē Tantoq. comitatu uirtutum saeptus, nouem. Saeptus, non est in uno. Tantoq. conatu, comitatuq. uirtutum saeptus duo. CAPERETVR, *capi* } sic omnes mei. NON *potuit*. } cum esset munitus, ac saeptus tot uirtutum praesidio, tantoq. comitatu. C. *Marium* } Plutarchus & Valerius, & Cicero in Pisonem, & post red. ad Quir. QVI *mihi secundis in rebus* } Mihi, deletum est in uno meo. FORTVNATIS } Fortissimis, unus. FORTVNATIS *hominibus, in aduersis &c.* } Fortunatis, ominibus in adu. &c. unus. IN *aduersis* } quas constantissime pertulit.

pertulit. Ex *summis uiris* ¶ Recte, Vir, in perferendis aduersis. Cicero in Bruto: Vidi Mitylenis uirum & uidi plane uirum. Esse ¶ ideſt, contingere. Insane, ¶ ad Antonium hoc refertur, in quem tota oratione inuehit. Cvivs *autem spes omnis* ¶ Cui uero spes omnis, tres. Cui spes omnis, undecim. Cuius spes omnis, tres. Cui q̄ spes omnis, unus. male. Permansvrvm ¶ incerta, & instabilia Fortunae bona. Sibi *diem unum*. ¶ sic unus. Sibi unum diem, octo. Sibi ne unum quidem diem, quattuor. Vnum diem sibi, tres. Sibi quidem diem, duo. Evm ¶ qui a fortuna pendet. Mortis, ¶ ut Reguli. Exsvlii ¶ ut Marij. Non *modo repugnanti*. ¶ pro, Nedum. sic & locutus & in epistola ad Lentulum, Fam. lib. I. Vbi uide Patris Commentarium. Sic est & in duobus meis, & in uno doctissimi uiri, Caroli Sigonij. Avt *in quo* ¶ Aut, abest a tribus. Evigilaverunt, ¶ sic duo. Euigilarunt, octo. Vigilauere, unus. tres, Elaborauerunt. tres, Vigilauerunt. unus, Elaborauere. Ab *hominibus* ¶ Ab omnibus, sex. Mors *terribilis est ijs, &c.* ¶ Turpis mors fortiuiro non potest accidere, neque immatura consulari, neque misera sapienti. In Catil. IV. Exsvlivm *autem terribile illis*, ¶ Exsulij enim nomen calamitatis est, non turpitudinis. pro domo. Terribile, abest a decem. in quorum uno add. Tvae *libidines te torquent*: ¶ Te tuae libidines torquent, quinque. Tu libidines torques: unus. male. Et *id ipsum, quod habes, ne non diuturnum* ¶ Quod habes, absunt a decem. Te *conscientiae stimulant* ¶ Te conscientiae tuae stim. tres. Vt *furiae*, ¶ Cic. Sex. Roscio: Nolite putare, quemadmodum in fabulis saepenumero uidetis, eos, qui aliquid impie, scelerateq. commiserint, agitari, & perterreri furiarum taedis ardentibus: sua quemque fraus, & suus terror maxime uexat: suum quemque scelus agitat, amentiaq. afficit: suae malae cogitationes, conscientiaeq. animi terrent. hae sunt impijs assiduae, domesticaeq. furiae, quae dies noctesq. parentum poenas a conscleratissimis filijs repetant. Et de Leg. I. & in orat. in Pisonem. Vide Adag. Conscientia, mille testes. Alludit ad Orestis fabulam, a poetis descriptam, quem fingunt occursu furiarum exagitari, ardentes faces quatientium: unde exclamet.

Α, ἄ, μή μοι τὴν δᾷδα προφέρε.

Et Virg. IV. Aen.

Aut Agamemnonius scenis agitatus Orestes.

Et III. Aen.

Et scelerum furijs agitatus Orestes.

Qvae *te respirare non sinunt*. ¶ Suspirare, omnes. Quae suspirare ten. s. unus. Improbo, ¶ ubi non sit felicitas. Nemini *bene esse potest*: ¶ sic quindecim. Nemini felicitas esse potest, unus. Nemini bonum esse potest, duo. Bonvs *uir*, ¶ ubi non sit miseria. Eivs *non laudanda uita est*: ¶ Eius, non est in uno. Eiusdem, esse in quibusdam, alij notarunt. Videri *debet*. ¶ sic nouem. Decet, sex. Licet, unus. Solet, unus. Dicet, unus: male.

PARADOXON. III.

ὅτι ἴσα τὰ ἁμαρτήματα:
quod aequalia peccata.

Nec *enim peccata rerum euentu, sed uitijs hominum, metienda sunt. in quo peccatur, id potest aliud alio maius esse, aut minus: ipsum quidem illud, peccare; quoquo te uerteris, unum est. Auri nauem euertat gubernator, an paleae, in re aliquantum, in gubernatoris inscitia nihil interest. lapsa est libido in muliere ignota: dolor ad pauciores pertinet, quam si petulans fuisset in aliqua generosa, ac nobili uirgine; peccauit uero nihilo minus: siquidem est, peccare, tamquam transire lineas: quod cum feceris, culpa commissa est: quam longe progrediare, cum semel transieris, ad augendam transeundi culpam nihil pertinet. peccare certe licet nemini. quod autem non licet, id hoc uno tenetur, si arguitur non licere. id si nec maius, nec minus umquam fieri potest: (quoniam in eo est peccatum, si non licuit; quod semper unum, & idem est) quae ex eo peccata nascantur, aequalia sint oportet. quod si uirtutes pares sunt inter se: paria esse etiam uitia, necesse est. atqui pares esse uirtutes, nec bono uiro meliorem, nec temperante temperantiorem, nec forti fortiorem, nec sapiente sapientiorem posse fieri, facile potest perspici. An uirum bonum dices, qui depositum nullo teste, cum lucrari impune posset, auri pondo decem reddiderit, si idem in decem millibus non idem fecerit? aut temperantem, qui se in aliqua libidine cōtinuerit, in aliqua effuderit? una uirtus est consentiens cum ratione, & perpetua cōstātia. nihil huic addi potest, quo magis uirtus sit; nihil demi, ut uirtutis nomen relinquatur. etenim, si bene facta, recte facta sunt, & nihil recto rectius: certe nec bono quidem melius quidquam inueniri potest. sequitur igitur, ut etiam uitia sint paria: siquidem prauitates animi recte uitia dicuntur. atqui, quoniam pares uirtutes sunt: recte etiam facta, quando a uirtutibus proficiscuntur, paria esse debent: itemq. peccata, quoniam ex uitijs manant, sint aequalia, necesse est. A philosophis, inquis, ista sumis. metuebam, ne, a lenonibus, diceres. Socrates disputabat isto modo. bene hercule narras. nam, istum doctum, & sapientem uirum fuisse, memoriae traditum est. sed tamen quaero ex te, (quā do uerbis inter nos contendimus, non pugnis) utrum potius de bonis est quaerendum, quid baiuli, atque operarij, an quid homines doctissimi senserint; praesertim cum hac sententia non modo uerior, sed ne utilior quidem hominum uitae reperiri ulla possit. quae uis enim, quae magis arceat homines ab improbitate omni, quam si senserint, nullum in delictis esse discrimen? aeque peccare se, si priuatis, ac si magistratibus manus inferant? quamcumque in domum stuprum intulerint, eandem esse labem libidinis? Nihil ne igitur interest, (nam hoc dicet aliquis) patrem quis necet, an seruum? Nudā ista si ponas; iudicari,*

cari, qualia sint, non facile possunt. patrem uita priuare, si per se scelus est; Saguntini, qui parentes suos liberos emori, quam seruos uiuere, maluerunt, parricidae fuerunt. ergo & parenti nonnumquam adimi uita sine scelere potest; & seruo saepe sine iniuria non potest. caussa igitur haec, non natura, distinguit: quae quando alteri accessit, id fit propensius: si utrique adiuncta sit, paria fiant, necesse est. illud tamen interest, quòd in seruo necando, si adsit iniuria, semel peccatur; in patris uita uiolanda, multa peccantur: uiolatur is, qui procreauit; is, qui aluit; is, qui erudiuit; is, qui in sede, ac domo, atque in rep. collocauit. multitudine peccatorum praestat, eoq. poena maiore dignus est. sed nos in uita, non quae cuique peccato poena, sed quantum cuique liceat, spectare debemus. quidquid non oportet, scelus esse, quidquid non licet, nefas putare debemus, etiam ne in minimis rebus? etiam: siquidem rerum modum fingere non possumus, animorum tenere possumus. histrio si paullo se mouit extra numerum, aut si uersus pronunciatus est syllaba una breuior, aut longior, exsibillatur, & exploditur, in uita, quae omni gestu moderatior, omni uersu aptior esse debet ut in syllaba, te peccare dices? poetam non audio in nugis: in uitae societate audiam ciuem, digitis peccata dimentientem, sua? quae si uisa sint breuiora, leuiora qui possunt uideri? cum, quidquid peccatur, perturbatione peccetur rationis, atque ordinis; perturbata autem ratione semel, & ordine, nihil possit addi, quo magis peccari posse uideatur.

HAEC sententia omnium maxime probari nequit, nostraeq. fidei aduersatur. sed recensenda est Ciceronis ratiocinatio, Non ex rerum euentu, sed ex uitijs hominum metienda sunt peccata, uitia uero, licèt id, in quo peccatur, maius plerumque, aut minus sit, simul aequalia. ergo & peccata. cuius si assumptionem, aut minorem negauerimus, numquam pro illo quispiam probabit.

στίλα τὰ ἁμαρτήματα. } addunt Lambinus, καὶ τὰ κατορθώματα; Langius, καὶ τὰ ὀρθώματα. Persius sat. 5.

--digitum exere, peccas.
Et quid tam paruum est? Sed nullo ture litabis.

NEC *enim peccata &c.* } praeponuntur haec uerba in meis undecim libris, eaq. confirmantur doctorum uirorum iudicio: Parua, inquit, est, ut magna culpa. Mihi nõ constat, scripta ne sint a Cicerone, an ab aliquo, cui hoc initium Paradoxi, ut abruptum, non placeret: Nec enim peccata rerum euentu: cum non intelligeret, ex inscriptione Graeca apte pendere. Si quis tamen ea recipiat, non pugnabo. modo sciat, in quinque alijs meis, separatim esse scripta, & in quattuor quidem ex quinque, miniatulis litteris. Quod magis glossam olet. Vide Plut. de uirt. mor. Hor. Ser. lib. 1. tab. 2. Pers. sat. 5. QVOQVO *uerteris*, } sic omnes mei. Absolute dictum. VNVM *est*. } peccatur enim semper ex inscitia, uel ex incontinentia. *Vnum*: genere: sed species diuersas continet. ALIQVANTVM, } Aliquantulum, quindecim. INSCITIA } sic decemseptem. unus, Inscia. Lambinus, Inscientia. LAPSA *est libido* } sic quattuordecim. unus, Lapsa est eius libido. unus, Lapsa est illius libido. duo, Lapsa est ipsius libido. PECCAVIT *uero* } Peccatur, unus. Peccatum, octo. TRANSIRE *lineas*: } sic omnes mei. *Lineas*: Modum.

Horatius, Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos ultra citraq. nequit consistere rectum,

CVM *semel transieris, ad &c.* } Transieris hunc, ad &c. octo. Hic, duo. ID *hoc uno ten.* } Id, non est in uno. In, unus. ID *si nec maius*, } sic omnes mei: uno excepto, in quo, in margine add. Quidem: Id si quidem nec maius. TEMPERANTE *temperantiorem*, } Temperato, quattuordecim. Temperatiorem, decemocto. POTEST *perspici*. } Potest percipi, septem. quorum duo, ord. praep. unus, prius, Persici, postea emendatum, Percipi. AN *uirum bonum dices, &c.* } semel enim qui peccat, uir bonus, non est, quacumque in re peccet. NON *idem fecerit*? } Idem, abest a decem. TEMPERANTEM } Temperatum, duodecim. VIRTVTIS *nomen*. } perfectae. NEC *bono quidem* } Ne, duo. QVANDO } Quoniam, quindecim. INQVIS, } Inquit, duodecim. Inquid, duo. Inquit aliquis, unus. NE, *a lenonibus, diceres*. } Ne, a Lenonibus, ista diceres, quinque. in quorum uno add. QVANDO *uerbis &c.* } contendamus, licet. non enim pugnis inter nos, sed uerbis res agitur. VTRVM *potius de bonis* } Vtrum bonis, octo. Vtrum de bonis, septem. Vtrum potius bonis, tres. QVAE *uis enim*, } Quae uis enim est, sexdecim. MAGISTRATIBVS } Magnis reatibus, duo. INFERANT? } Afferant, quattuordecim. Afferantur, unus. Inferantur, unus. QVAMCVMQ. } Et quamcumq. tres. NVDA } remota a circumstantijs. NON *facile possunt*. } Possum, tredecim. Possem, duo. SAGVNTINI, } ab Hãnibale obsessi. Liuius lib. xxi. Polybius lib. iii. Val. lib. vi. cap. 6. Silius lib. ii. Cic. in Philipp. Inde Prou. Saguntina fames. PARRICIDAE } Patricidae, septem. CVM *utro accessit*, } pro, Vtrouis. Ita locutus lib. iii. de Off. Quae quando uni accesit, unus. Quae quoniam ultro accesit, nouem. Quae q2 ultro accesisset, unus. Quae quando ultro accesit, quattuor. Quae ipsum ultro accesit, unus. Quae quia ultro sponte accesit, unus. VTRIQVE *adiuncta* } Vtroque, nouem. Vtraque, duo. Vterque, unus. Vtramque, unus, Vtrobique, tres. Coniuncta decem. SI *adsit iniuria*, } Si id fiat ini. unus. Si id fit ini. sex. Si

Landesbibliothek Oldenburg

fit ini. unus. Si adsint iniuriae, unus. Is, *qui in sede, ac domo, atque in rep.* ⸗ Is, qui in domo, ac sede, & in rep. quattuor. Is, qui in domo, ac sede, ac in rep. duo. Is, qui in sede, ac domo, ac rep. duo, Is, qui in domo, ac sede, atque in rep. duo. Is, qui in sede, ac in domo, atque in rep. duo. Is, qui in domo, in sede, atque in rep. unus. Is, qui in domo, in sede, atque in rep. unus. PRAESTAT, ⸗ Peccatur, octo. Peccat, unus. Peccauit, unus. EOQ. ⸗ Ergo, unus. ANIMORVM *tenere possumus.* ⸗ Animorum modum ten. poss. omnes mei. PAVLLO ⸗ Paullum, octo. Pannum, unus. Paullulum, septem. MOVIT ⸗ Moueat, septem. Mouet, duo. Mouerit, unus. Mouet, unus, & sup. A. Remoueat, unus. SI *uersus pronunciatus est &c.* ⸗ cum tamen in uersu peccatum sit poetae, non histrionis. sed, quia histrio pronunciat absente poeta, ei plausus datur. AVT *longior,* ⸗ Vel longior, unus. Breuiori, & longiori, esse in quibusdam libris, notatum uideo. IN *uita tu, quae omni gestu mod. Omni uersu aptior esse debet, ut in syll. te peccasse dices.* ⸗ In uita tu, qui o. g. m, o. u. a. c. debes, ut in s. t. p. d. quattuordecim. in quorum uno, In uita tu itaque o. g. &c. *Gestu: Versu:* histrionis uitium in gestu, poetae in uersu. sed poeta non prodibat in scenam, dabat uero poema suum agendum histrioni. propterea solus histrio nominatur: qui & gestum agebat seruato numero, & poetae uersus pronunciabat. POETAM *non audio* ⸗ Se excusantem. non fero, si peccat. MODERATIOR, ⸗ Modulatior, quidam legunt. contra omnes mei libri. DIGITIS *peccata dimetientem sua,* ⸗ Dimetitur digitis peccata, qua ratione leuiora uideri possint, si uisa sint breuiora. *Digitis:* Alludit, quod Poetae carminis pedes digitis metiri soleant.

Horatius in Arte:

Legitimumq. sonum digitis callemus, & arte.

PARADOXON · IV ·

ὅτι πάντες οἱ μωροὶ μαίνονται:
quod omnes stulti insaniunt.

EGO uero te non stultum, ut saepe; non improbum, ut semper, sed dementem, & insanum, rebus addicam necessarijs. Sapientis animus magnitudine consilij, tolerantia rerum humanarum, contemptione fortunae, uirtutibus denique omnibus, ut moenibus, saeptus, uincetur, & expugnabitur? qui nec ciuitate quidem pelli potest. quae est enim ciuitas? omnis ne conuentus ferorum, & immanium? omnis ne etiam fugitiuorum, ac latronum, congregata unum in locum multitudo? certe negabis. non igitur erat illa tum ciuitas, cum leges in ea nihil ualebant; cum iudicia iacebant; cum mos patrius occiderat; cum, ferro pulsis magistratibus, senatus nomen in rep. non erat. praedonum ille concursus, & te duce latrocinium in foro constitutum, & reliquiae coniurationis, a Catilinae furijs ad tuum scelus, furoremq. conuersae, non ciuitas, erat. itaque pulsus ego ciuitate nō sum, quae tum nulla erat: accersitus in ciuitatem sum, cum esset in rep. consul, qui tum nullus fuerat; esset senatus, qui tum occiderat; esset consensus populi liberi; cum esset iuris, & aequitatis, quae uincula sunt ciuitatis, repetita memoria. At uidē, quam ista tui latrocinij tela contempserim. iactam, & immissam, a te nefariam in me iniuriam semper duxi; peruenisse ad me numquam putaui. nisi forte, cum parietes disturbabas, aut cum tectis sceleratas faces inferebas, tunc meorum aliquid ruere, aut deflagrare, arbitrabare. nihil neque meum est, neque cuiusquam, quod auferri, quod eripi, quod amitti, potest. si mihi eripuisses diuinam animi mei constantiam, meas curas, uigilias, consilia, quibus resp. inuicta stat; si huius aeterni beneficij immortalem memoriam deleuisses; multo etiam magis, si illam mentem, unde haec consilia manarunt, mihi eripuisses: tum ego accepisse me confiterer iniuriam: sed si haec non feceris, nec facere potuisti, reditum mihi gloriosum tua dedit iniuria, non exitum calamitosum. ergo ego semper ciuis eram, & tum maxime, cum meam salutem senatus exteris nationibus, ut ciuis optimi, commendabat: ut ne nunc quidem es ciuis. nisi forte idem hostis, & ciuis esse potes. an tu ciuem ab hoste natura, ac loco, non animo, factisque, distinguis? caedem in foro fecisti; armatis latronibus templa tenuisti; priuatorum domos, aedesq. sacras incendisti. cur hostis Spartacus, si tu ciuis? potes autem esse tu ciuis, propter quem aliquando ciuitas non fuit? Et me exsulem, tuo nomine, appellas? cum omnes meo discessu exsulasse remp. putent. numquam ne, homo amentissime, te circumspicies? numquam ne, quid facias, considerabis, nec quid loquare? nescis, exsilium scelerum esse poenam, meum illud iter, ob praeclarissimas res, a me ante gestas, esse susceptum? omnes scelerati, atque impij, quorum tu te ducem esse profiteris, quos leges exsilio affici uolunt, exsules sunt, etiam si solum non mutarunt. an, cum omnes leges te exsulem esse iubeant, non eris tu exsul? non appellatur inimicus, qui cum telo fuerit? ante senatum tua sica deprehensa est: qui hominem occiderit? tu plurimos occidisti: qui incendium fecerit? aedes Nympharum manu tua deflagrarunt: qui templa deorum occupauerit? in foro etiam castra posuisti. Sed, quid ego communes leges profero, quibus omnibus es exsul? familiarissimus tuus de te priuilegium tulit, ut, si in opertum Bonae deae accessisses, exsulares. at, te id fecisse, etiam gloriari soles. Quomodo igitur, tot legibus eiectus in exsilium, nomen exsulis non perhorrescis? Romae sum, inquis: & tu quidem in operto fuisti. non igitur, ubi quisque erit, eius loci ius tenebit; si ibi eum legibus esse non oportebit.

SIC Ciceronis uagam argumentandi rationem colligo. Quicunque non saepit animum magnitudine consilij, rerum aduersarum tolerantia, & fortunae contemptione, insanus est. Omnis stultus est huiusmodi. ergo omnis stultus est insanus. Nota duos pulchros

stultitiae

stultitiae effectus, quos ita animaduertit, quod si in praepotentum animis reperitur, eos exitus desiderio in concitatum furorem impellit, si in humilium uero, & plebeiorum mentibus stultitia imbecillitati coniuncta sit, uanis eos in somnijs exagitat, quoniam uires desunt.

ὅτι πάντες ἠλιθιοῦμαί γοντα. ¶ ἄφρονες, Diog. Laert. Cic. Tusc. III. ex Alcibiade altero Platonis. Ego *uero* ¶ propositione aspera, & uehementi, irrumpit in hanc causſam sine exordio. Te ¶ Clodi. nam in eum inuehitur. Dementem, ¶ *&* in. ¶ Dementem iudico, & ins. unus. Et, non est in duobus. Rebvs *addicam necessarijs*. ¶ Rebus, pro Causis, posuit. Addicam, autem, quia parum usitatum uerbum est, in qua significatione hic a Cicerone usurpatur, propterea multos errores, magnamque opinionum uarietatem insciti a peperit. Quod si, Addicam, dictum esse patuisset, pro Probabo, profecto sibi a ueteribus libris, qui plerique (8.) habeat, Addicam, discedendum non putassent. Huius autem uerbi uim Festus ostendit, his uerbis: Addicere, est proprie idem dicere, & approbare dicendo. alias, Addicere, damnare est. Alij, Euincam, quod non reijcio: sed ueteres libri dissentiunt. alij habent, Vincam; alii, Aduincam; pro quo quidem reponebat, Conuincam. Mei, unus, Adducam. Dicam, duo. Ad uictum, unus. Abdicam, unus. Additam, unus. Additiam, tres. Compellam, addicam, unus. Lambinus, Rationibus aduincam. Nec *ciu. quidem* ¶ Neque, unus. Qvae *est enim ciuitas?* ¶ Ciuitas est eorum, qui legibus obtemperant. Cic. off. II. & de Somn. Scip. Ciuitates dicuntur, concilia, & coetus hominum iure sociati. Plato de Leg. VI. Non *igitur* ¶ Non enim, duo. Non ergo, unus. Abest a tribus. in quorum uno add. Cvm *leges in ea nihil ualebant*; ¶ imaginem ostendit illius temporis, cum a Clodio tribuno pl. eiectus est. Ivdicia *iacebant*; ¶ sublata uetere illa magistra pudoris, & modestiae seueritate Censoria. in Pisonem. Praedonvm *ille concursus*, ¶ in Pisonem: Delectus seruorum habebatur ab eo, qui nihil sibi umquam nec facere, nec pati turpe esse dixit. Arma in templo Castoris, o proditor templorum omnium, ui dente te, constituebantur, ab eo latrone, cui templum illud fuit, te consule arx ciuium proditorum, recepta culum ueterum Catilinae militum, castellum forensis latrocinii, bustum legum omnium, ac religionum. Non *ciuitas erat*. ¶ Num ciuitas erat? duo. Qvae *tum nulla erat*: ¶ Tum, abest ab omnibus. Cvm *esset in rep. consul*, ¶ P. Lentulus, auctor, & princeps in reuocando Cicerone. Vt pro, Cum, quindecim. Male. Occiderat; ¶ quod nihil eius ualeret auctoritas. Consensvs *populi liberi*; ¶ Liberi, abest ab uno. Liber, sexdeci &. Lib? unus. Populi Romani, unus. Cvm *esset uris*, ¶ Cum, abest a sexdecim Vt, pro, Cum, unus. Vincvla *ciuitatis*, ¶ pro Caecina, Ius ciuile dicit Vincula non modo iudiciorum, sed etiam uitae, societatesq. communis. Repetita *memoria*. ¶ sic mei. Alias, Recepta. At *uides* ¶ Ac, duo. Ad, unus. Alios, Tu uide. Iactem, ¶ Illatam, quidam legendum putant. Factam, duo mei. Latam, alias. Pervenisse *tamen* ¶ Tamen, non est in quattuordecim. Peruenisse eam ad me, unus. Tamen, add. sup. ante, Peruenisse, in uno. Parietes *disturbabas*, ¶ euersa enim domus Ciceronis est in Palatio, de quo queritur saepe in Orationibus. Aliqvid *ruere, aut deflagrare arb*. ¶ Aliquid ruri, aut in urbe, defl. arb. unus. Aliquid aut rure, aut in urbe defl. arb. tres. quorum unus, Rure, aut urbe. Aliquid aut ruere, aut defl. arb. nouem. in quorum uno add. Aut. Al. ruere, atque defl. arb. duo. Deflagrari, unus. *Deflagrare*: absolute. Vt infra: Aedes Nympharum tua manu deflagrauit. Deflagrari, unus. male. Nihil *neque meum est*, ¶ sic nouem. Nihil nec meum est, tres. Nihil enim meum est tres. Nihil meum est, duo. Nihil eque meum est, unus. Neqve *cuiusquam*, ¶ Nec quinque. Cuiquam, in uetere libro esse, alii uolunt. Si *mihi eripuisses* ¶ sic decemseptem. Si mihi hoc erip. unus. Alias, Si mihi hoc erip. Qvibvs *resp. inuicta stat*; ¶ Quibus resp. te inuitissimo stat, Langius. Quibus resp. stat, sexdecim mei. Recte. Stare enim, firmitudinem quandam habet. Quo modo, Critoni, usurpasti in iis uersibus, quos ad me in tuo ad urbem Venetam appulsu superiore anno scripsisti, cum in extremo Venetas laudes recensores.

Placuit autem eos hoc loco describere, ne homines eorum desiderio teneantur.

Dum procul à Patria, Hadriaci prope litora Ponti,
Consedi, medijs celsam miratus in undis
Stare Vrbem, sacui obtinguntcui iura Tridentis,
Et Pelagi imperium constans, aeternaq. sceptra:
Saepe meos animo casus meditabar iniquos,
Saepe humectabam guttis stillantibus ora,
Cum mihi sese offert Diua ueneranda figura
Naias, Eridani quondam prope cognita ripas,
Naias, una quidem doctis gratissima Musis.
Principio rebur simulacrum, aut uana uidere
Somnia, (nulla fides oculis) cum protinus illa
His me ultro aggreditur dictis: Non te tua fallunt
Lumina: nec nostri uana est, quam cernis, imago.
Nam mandata fero Musarum, & iussa facesso

Landesbibliothek Oldenburg

Palladio armisonae, quibus una est cura salutis
Certa tuae: nec te per tanta pericula uectum
Vrbem in praeclaram tumido sub pectore curas
Fas premere est: meliora iubent sperare, monentque.
Non haec ista tibi tantum infortunia nota
Contingunt: ne cede malis: neu te sine uinci.
Cernis enim, ut late terras Saturnus in omnes
Acer agit pestem, quae fibris caeca sub ipsis.
Conditur, atque alias magno iam turbine clades,
Haud secus, ac Phoebi iuratos Aulide Graios
Quando Agamemnonio tetigit pro crimine dextra.
Hic natos uitae exsortes, ast ille parentem
Grandaeuum deflet, uel matris triste pheretrum,
Proq. uiro coniux, aut uir pro coniuge luget.
Ast alios uolucris fortunae incommoda tangunt,
Reges, indomitas gentes, populosq. rebelles,
Aut urbes domini terrarum, atque oppida cernunt,
Erepta. hic auri fuluum sibi pondus ademptum:
Morborumq. cohors alios immissa fatigat:
Namque in Hyperboreis tabes quae coeperat oris
Materiem inueniens primum, dehinc uiribus illa
Sensim fota suis, Europam irrepsit in omnem:
Non secus, ac lentus flatu succenditur ignis,
Paullatimq. alimenta trahit, mox flamma per auras
Illa crepat, seseq. inuoluit lumine fluo
Fumida, Vulcanum late per inania iactans.
Primum exorta quidem flauos infausta Britannos,
Germanos tum caeruleos, Gallosq. feroces,
Hinc etiam atra lues calidos infecit Iberos,
Fertilis Italiae dehinc altas fusa per urbes
Inualuit. sensere omnes, (miserabile dictu)
Aut pauci euasere mali exitiale uenenum.
Torquet adhuc primo pueros in limine uitae,
Inualidosq. senes extremo in limite uitae.
Et iuuenes rapido firmissima pectora bello,
Disiicit: infractae languent ad praelia uires.
Vna etiam matres petit, intonsasq. puellas,
Parcere nec formae, nec parcere sueta iuuentae:
Necnon armenta in campis errantia cernas,
Quae uix aegra caput fessa ceruice retentant,
Horribilesq. feras, picturatasq. uolucres
Languere, ut Lasso demissa papauera collo.
Nam circumfusus cunctis animantibus aether
Concepit nocuos gremio, densosq. uapores.
Vtq. aliquas leges, aeternaq. foedera rebus
Imposuit Natura parens, sine nomine multa
Sic in principijs latitant, discrimina rerum &
Mille mouent. nam, ni Veneris placidissimus ignis
Sedaret uarios infausti luminis ignes,
Discuteretq. potens radiis contraria Phoebus,
Mille malis rueret saeuis obnoxius orbis:
Namque intemperiem ostendit modo marcidus aer,
Saepeq. mutatus, praesens occasio morbi est.
O genus humanum, quantos te audacia fecit
Iapeti proles, species perferre malorum,
Cum noua supplicia, & poenas immisit acerbas
Iuppiter omnipotens subductum infensus ob ignem
Curribus aetheriis, perfectaq. corpora Limo?
Quisque deos, & fata uocat crudelia: culpae
Nemo suae iustum capit imo in corde dolorem.
At placanda foret diuum inclementia ture,
Et precibus: sic mortales, sic uiuere dignum est.
Dixerat, & pressis tacuit formosa labellis.

Tum

Tum me luminibus tacitis intenta pererrat,
Vt responsa petens. Trepidanti ego pectore tandem
Verba coacta dedi: Fateor me, candida Nais,
Promeritum quaecumque fero: nec turpis egestas,
Infandum ue scelus serui mea pectora uexat.
At me quis miserum magna cognoscit in Vrbe,
Aut quis ad aequoreas flentem solatur arenas?
Cumq. sinum irroro lacrumis, uerba irrita uentis
Trado, nec quisquam est, gemitus qui sentiat imos.
Colludunt uitreo auricomae sub gurgite Nymphae,
Assiduoq. nouos Glaucus meditatur amores.
Alma latet Doris, latet & Panopeia uirgo,
Quas Siren blando mulcet sub gurgite cantu
Nec me Carpathijs uates in fluctibus audit
Caerulus, & uariis assuetus ludere formis,
Ac sese in rerum miracula uertere cuncta.
Sed nec equos bipedes tangunt tam parua furentes,
Quae siccis oculis turpes in gurgite Phocas
Depasci humanos pauitantes dentibus artus,
Cernunt Scylla uorax, aut nauifragum Scylacaeum,
Cum rapiunt fractas sinuosa sub aequora puppes.
Numina nil nostros miserantur torua labores.
Ergo preces scopulis, monstrisq. natantibus ultro
Fundimus. heu nimium surdent immania saxa.
At uos, assuetae nostras audire querelas,
O Nymphae, ad sacros latices quae dulcia rura
Incolitis, gelidumq. nemus, placidosq. recessus,
Cur me numinibus disiungunt aequora uestris?
Cur non uirgineas patiuntur cernere Musas?
Poenarum exhaustum satis est. heu parcite, fata,
Tuq. graues, o diua, meos miserare labores.
Illa autem roseo rursus sic ore locuta est:
Ipsa tibi expediam casus, si scire cupido est,
Auxiliumq. feram certum modo rebus egenis.
Non te diuini, diuisq. parentibus orti,
Aldi fama latet, totum diffusa per orbem?
Hunc Asiae gentes norunt, & Cantaber atrox,
Decolor atque Indus, uel qui colit incola terras
Extremas penitus, siue auro insignis Orion,
Siue hyades pluuiae, seu septem aduersa Trioni
Sidera clara caput semper sublime coronant.
Huic (pharetra tantum insignis) crinitus Apollo
Se Tritoniaca confessus arundine uictum,
Atque lyra cedit, nec se negat esse secundum,
Formosae natus Maiae: neque docta Minerua
Dedignata parem est: tantum nitet aurea uirtus.
Hunc pete. namque regens filo uestigia caeca
Diriget ille tuos optato in tramite gressus:
Inde uiam pandet. sequere hunc quaecumque iubentem
Sic te Diua monet, saeuum quae Gorgona gestat.
Quae plerumque tuis praesens erit optima uotis.
Namque hic contemptis tandem dominatur Athenis;
Nec te tam longe disiungunt aequora Musis,
Immo haec indigenae ueniunt ad litora Musae,
Necnon & Drymo, Lygeaque, Cymodoceque,
Nymphaq. Iunonis pulcherrima Deiopeia,
Quaeq. illas superant, atque Oceanitides ambas.
Haec eadem Hadriacae fulgent ad litora Nymphae,
Doctae Palladias Veneri coniungere curas.
Ipsa etiam, spretis Cnidoque, Paphoque, Cytheraque,
Aurea collucens Venetas Venus incolit arces.
Praeterea summo coram te Principe ducet,
Quem tibi Diua dedit comitem, sacrumq. Senatum

Adſpicies, di uoſq. omnes longo ordine Patres.
Non ita Tantalides Regum cingente corona
Argolica ſolio enituit ſublimis ab alto,
Atque orbis dominos inter, patreſq. Latinos,
Auguſtus Caeſar, qualem fulgere uidebis
Grandaeuum, atque annis, & maieſtate uerendum,
Eximios inter proceres, gentemq. rogatam,
Patrem Vrbis Venetae. diuumq. ut Iuppiter ipſe
Conſilio in magno tectum omnipatentis Olympi
Concutit, ac terras humiles, Erebumq. ſonantem,
Apparens caelo, ac terris, Ereboq. tremendus;
Dijq. etiam fulgent reliqui ſplendore perenni:
Sic Patri aetherio modo Principis aemula uirtus,
Semideumq., deis praedatur ſidera, & altum
Religione polum, hinc terras ditione, opibuſque,
Et bello quatit, ac ſaeuum pietate Acheronta.
DONEC nocturnis Dictyma inuecta quadrigis
Cum Phoebo alterno luſtrabit lumine terras,
Pulchraq. per tacitum labentur ſidera mundum,
Stabunt res Venetae, & praeclarae gloria gentis,
Aeternum poſitis tutiſsima fundamentis.
Dixerat, & leuibus uix aequora tingere plantis
Viſa, petit binis propius de cornibus unum,
Quo pater Eridanus uiolentibus influit undis
In mare purpureum, & uitreo caput abdidit amne.

Manet autem me φιλαυτία, cuius maximam eſſe uim, ſentio, ut Oden etiam, quam ad me ſcripſiſti, hoc loco inſeram. Ea autem haec eſt.

Intermiſſa diu Chelys,
Nec Lydiis cecini carmina tibijs,
Nec molles cithara modos,
Carmen perpetuo flebile perſonans.
Sed nunc mente feror noua,
Per ſacrumq. trahit Melpomene nemus
Lauro tempora Delphico
Cinctum Pierius me rapit, & chorus
Phoebo, qua tumidus ſequor,
Te clarum recinens, Alde, in Apollinis
Arte, & conſpicuum, tuae
Laudes laetitiam, dulceq. gaudium,
Solamenq. dabunt mihi,
Et mentem eripient triſtibus e malis,
Syren carminibus truces
Seu mulcet pelagi praecipitis minas
Cantu, uel fide Lesbia,
Dum lenit uirides Nereidum choros,
Et Thetis cupide ſonos
Dulces ſub uitreo gurgite concipit.
Sic laudes quoties tuos
Pulſis experior corde moleſtijs,
Non ſuſpiria ab intimo
Ducam corde dolens, ut ſoleo, mimis,
Sed Phoebus facilis meae
Erranti inijciens frena licentiae
Permittet pede candido
Errare, & gelidos uiſere liberum
Nympharum latices ſinet.
Tunc ipſe ex adytis rite Heliconijs
Metrum grandius eloquar,
Candoremq. canam ſemper amabilem.

MENTEM,

MENTEM, ℈ quam se accepisse a dijs immortalibus, dicit Catil. III. MIHI *eripuisses:* ℈ absunt a uetere meo. Mihi, deest in uno. CIVIS *eram*, ℈ sic unus. Ero, duo. Fui, adde in uno. Eram, abest a quattuordecim. EXTERIS *nationibus*, ℈ Plut. & ipse in orat. post red. in sen. Eas autem ciuitates, quae ipsum fouerant, senatus ornauit laudibus. VT *ciuis optimi*, ℈ Vt, add. in uno cum prius non esset. COMMENDABAT. ℈ hoc & in oratione pro Sextio. NATVRA, *ac loco*, ℈ Ac, non est in duobus. An, septem. Et, duo. NON *animo*, ℈ An animo, unus. CAEDEM *in foro feciſti:* ℈ haec omnia manifeste in Clodium conijciuntur. TEMPLA *tenuisti*; ℈ Castoris, & Pollucis. in Pisonem. AEDES *sacras incendisti*. ℈ templum Nympharum. pro Sextio, & pro domo. HOSTIS *Spartacus*, ℈ uide Plut. in Crasso. POTES *autem esse tu ciuis*, ℈ Potest autem esse ciuis, unus. Potes autem esse ciuis, quattuor. Putas autem te ciuem esse, quattuor. ME *exsulem, tuo nomine*, ℈ Exsulem, abest ab undecim in quorum duobus add. *Tuo nomine:* quod in te potius, quam in me, conuenit. quod infra probatur argumentis. NEC *quid loquare?* ℈ Nec etiam quid loq. unus, addito sup. Etiam. Vel quid loquare, octo. Quid loquare, unus. Quidue loquaris, duo. SOLVM *non mutarunt*. ℈ ideſt, uerterunt. ANTE *senatum tua sica deprehensa est:* ℈ collocauit enim cum sica Clodius seruum suum in uestibulo Curiae, qui Cn. Pompeium occideret. uide Pedianum in orationem pro Milone. AEDES *Nympharum manu tua deflagrauit:* ℈ sic quinque. Deflagrarunt, octo. Deflagrauerunt, duo. Deflagrasti, tres. TEMPLA *deorum occup.* ℈ Deorum, recte abest ab octo. in quorum uno add. IN *foro etiam* ℈ Etiam, abest a quattuordecim. in quorum uno add. FAMILIARISSIMVS *tuus* ℈ Sic sexdecim mei. unus, Familiarissimus ciuis de te. unus, Familiarissimus nimium ciuis de te. Addunt alij, Cornificius: historia parum diligenter inspecta. nam de Clodij incestu mentionem quidem fecit in senatu Cornificius, rogationem tamē, ideſt priuilegium in Clodium, ipsius familiarissimus tulit M. Piso consul. Totam hanc rem Cicero patefacit ep. XI. lib. I. ad Att. his uerbis: Credo te audisse, cum apud Caesarem pro populo fieret, uenisse eo mulieбri uestitu uirum, idq. sacrificium cum uirgines instaurassent, mentionem a Q. Cornificio in senatu factam. is fuit princeps; ne tu forte aliquem nostrum putes. Et infra: In hac caussa Piso, amicitia P. Clodij ductus, operam dat, ut ea rogatio, quam ipse fert, & fert ex S. C. & de religione, antiquetur. Quod autem, Cornificius, esse in plerisque ueteribus libris iidem dicant, incidisse constat eos in libros parum emendatos, nam nostri quidem Cornificii nomen non habent. PRIVILEGIVM *tulit*, ℈ sic omnes mei. IN *opertum* ℈ sic omnes mei. BONAE *deae* ℈ Graecis Γύναικεία, Phryges, Midae regis matrem fuisse dicunt. Romani nympham Δρυάδα, Fauni coniugem. Graeci, aliquam ex Liberi matribus, τὴν ἔρρηταν, quam nominare nefas sit. FECISSE, ℈ de quo Plut. in Caes. & Cicerone, & Cicero ipse de haruſp. resp. & in Pisonem. & ad Att. lib. I. ep. 7. & seq. IN *operto* ℈ Bonae deae: quod proxime dixit. Sic unus meus. In Ponto, quidam legunt, In portu, reliqui omnes mei. NON *igitur*, ℈ Num igitur, quattuor mei. in quorum uno pater is erat, Dum. SI *ibi eum legibus esse non oportebit*. ℈ Sit decem. Si ibi cum legibus esse non oportebit, duo. Si eum legibus non oportebit esse, unus. Si cum ibi legibus esse non oportebit, tres. Si eum sibi legibus esse non oportebit, unus. Si id eum legibus esse non oportebit, unus. Alias, Apparebit.

PARADOXON · V ·

ὅτι οἱ σοφοὶ ἐλεύθεροι, καὶ οἱ μωροὶ δοῦλοι:
quod sapientes, liberi; & stulti, serui.

LAVDETVR *uero hic imperator, aut etiam appelletur, aut hoc nomine dignus putetur: quo modo? aut cui tandem hic libero imperabit, qui non potest cupiditatibus suis imperare? refrenet prius libidines, spernat uoluptates, iracundiam teneat, coerceat auaritiam, cetera animi labes repellat: tum incipiat alijs imperare, cū ipse improbissimis dominis, dedecori, ac turpitudini, parere desierit: dum quidem his obediet, non modo imperator, sed liber habendus omnino non erit. praeclare enim est hoc usurpatum a doctissimis; quorum auctoritate non uterer, si mihi apud aliquos agrestes haec habenda esset oratio: cum uero apud prudentissimos loquar, quibus haec inaudita non sunt; cur ego simulem me, si quid in his studijs operae posuerim, perdidisse? dictum est igitur ab eruditissimis uiris; nisi sapientem, liberum esse neminem. quid est enim libertas? potestas uiuendi, ut uelis. quis igitur uiuit, ut uult, nisi profecto, qui recta sequitur; qui gaudet officio; cui uiuendi uia considerata, atque prouisa est; qui legibus quidem, non propter metum, paret, sed eas sequitur, atque colit, quia id salutare maxime esse iudicat; qui nihil dicit, nihil facit, nihil cogitat denique, nisi libenter, ac libere; cuius omnia consilia, resq. omnes, quas gerit, ab ipso proficiscuntur, eodemq. referuntur; nec est ulla res, quae plus apud eum polleat, quam ipsius uoluntas, atque iudicium? cui quidem etiam, quae uim habere maximam dicitur, fortuna ipsa cedit: quae, sicut sapiens poeta dixit, suis ea cuique fingitur moribus. soli igitur hoc contingit sapienti, ut nihil faciat inuitus, nihil dolens, nihil coactus. quod etsi, ita esse, pluribus uerbis disserendum est: illud tamen breui conficiendum est, nisi qui ita sit affectus, esse liberum neminem. Igitur omnes improbi serui: nec hoc tam re est, quam dictu, inopinatum, atque mirabile. non enim ita dicunt eos esse seruos, ut mancipia, quae sunt dominorum facta, nexu, aut aliquo iure ciuili: sed, si seruitus sit, sicut est, obedientia fracti animi, & abiecti, & arbitrio carentis suo: quis neget, omnes leues, omnes cupidos, omnes denique improbos esse seruos? An ille mihi liber uideatur, cui mulier imperat? cui leges imponit, praescribit, iubet, uetat, quod uidetur? qui nihil imperanti negare potest, nihil audet? poscit, dandum est; uocat, ueniendum; eijcit, abeūdum; minatur, extimescendum. ego uero istum non modo seruum, sed nequissimum seruum, etiam si in amplissima familia*

milia natus sit, appellandum puto. atque, ut in magna familia stultorum, sunt alii lautiores, ut sibi uidentur, serui, sed tamen serui, atrienses, ac topiarij, stultitiae suae; quos signa, quos tabulae, quos caelatum argentum, quos Corinthia opera, quos aedificia magnifica nimio opere delectant. At sumus, inquiunt, ciuitatis principes. uos uero nec seruorum quidem uestrorum principes estis. sed, ut in familia, qui tractant ista, qui tergunt, qui ungunt, qui uerrunt, qui spargunt, non honestissimum locum seruitutis tenent: sic in ciuitate, qui se istarum rerum cupiditatibus dediderunt, ipsius ciuitatis locum paene infimum tenent. Magna, inquis, bella gessi: magnis imperijs, & prouincijs praefui. gere igitur animum laude dignum. Actaeonis tabula te stupidum detinet, aut signum aliquod Polycleti. omitto, unde sustuleris, & quo modo habeas. intuentem te, admirantem, clamores tollentem cum uideo, seruum te esse ineptiarum omnium iudico. Non ne igitur sunt illa festiua? sunt: nam nos quoque oculos eruditos habemus: sed, obsecro te, ita uenusta habeantur ista, non ut uincula uirorum sint, sed ut oblectamenta puerorum. quid enim censes? si L. Mummius aliquem istorum uideret matellionem Corinthium cupidissime tractantem, cum ipse totam Corinthum contempsisset, utrum illum ciuem excellentem, an atriensem seruum diligentem. putaret? reuiuiscat Man. Curius, aut eorum aliquis, quorum in uilla, ac domo nihil splendidum, nihil ornatum fuit, praetor ipsos, & uideat aliquem, summis populi beneficijs usum, barbatulos mululos exceptantem de piscina, & pertractantem, & murenarum copia gloriantem. non ne hunc hominem ita seruum iudicet, ut ne in familia quidem dignum maiore aliquo negotio putet? An eorum seruitus dubia est, qui cupiditate peculij nullam condicionem recusant durissimae seruitutis? hereditatis spes quid iniquitatis in seruiendo non suscipit? quem nutum locupletis orbi senis non obseruat? loquitur ad uoluntatem. quidquid nunciatum sit, facit, assentatur, assidet, miratur. quid horum est liberi? quid denique non serui inertis? Quid iam illa cupiditas, quae uidetur esse liberior, honoris, imperij, prouinciarum? quam dura est domina, quam imperiosa, quam uehemens? Cethego homini non probatissimo, seruire coegit eos, qui sibi esse amplissimi uidebantur, mittere munera, noctu uenire domum ad eum, precari, denique supplicare. quae seruitus est, si haec libertas existimari potest? Quid? cum cupiditatum dominatus excessit, & alius est dominus exortus, ex conscientia peccatorum, timor; quam est illa misera quam dura seruitus? adolescentibus paullo loquacioribus est seruiendum: omnes, qui aliquid scire uidentur, tamquam domini, timentur: iudex uero quantum habet dominatum? quo timore nocentes afficit? an non est omnis metus seruitus? quid ualet igitur illa, eloquentissimi uiri, L. Crassi copiosa magis. quam sapiens oratio? Eripite nos ex seruitute. quae est ista seruitus tam claro homini tamq. nobili? omnis enim animi debilitati, & humilis, & fracti timiditas, seruitus est. Nolite sinere nos cuiquam seruire. in libertatem uindicari uult? minime: quid enim adiungit? nisi uobis uniuersis. Dominum mutare. non liber esse. uult. Quibus & possumus, & debemus. nos uero, si quidem animo excelso, & alto, & uirtutibus exaggerato sumus, nec debemus, nec possumus. tu posse te dicito; quandoquidem potes: debere ne dixeris: quoniam nihil quisquam debet, nisi quod est turpe nõ reddere. Sed haec hactenus. Ille uideat, quo modo imperator esse possit, cum, cum ne liberum quidem esse. ratio, & ueritas ipsa conuincat.

ITA in argumentationis formam redige, quae a Cicerone, in huius Paradoxi confirmatione dicuntur. Quicumque animi libidinibus non obtemperat, liber est; qui uero paret, seruus. Sapiens autem animi libidinibus non obtemperat, & stultus paret. Ergo sapiens liber est, stultus uero seruus. Et hoc est, quod Homerus (quem citat ad hanc rem in Ciuitate Dei Augustinus) ait, seruos dimidiam habere animam, quia animum minus liberum habent. Idem quoque primo Politicon Arist. de Barbaris dicit, eos natura seruos appellans. Non seruitutem modo, sed tyrannidem Plato appellat, cum mens, irae, aut cupiditati inseruit, iustum imperium, cum ratio, & mens animi perturbationibus imperat.

HIC *imperator*, ℈ contra L. Lucullum, qui de Mithridate, & Tigrane triumphauit. NOMINE ℈ sic omnes mei. Alias, Cognomine. QVO *modo? aut aui*, ℈ Quo modo autem? aut aui septem. REFRENET *prius libidines*, ℈ sic tres recte. Primum, tredecim. Primo, unus. Abest ab uno. IRACVNDIAM *teneat*, ℈ Finiat, unus. Terreat, vnus. Contemnat, vnus. Temperet, esse in quib. lib. notatum uideo. COERCEAT *auaritiam*, ℈ sic omnes mei. Arceat, in quib. lib. esse notatum uideo. CETERAS ℈ Et ceteras, decem. in quorum uno add. IMPROBISSIMIS *dominis*, *Dedecori, ac turpitudini*, ℈ de Senectute, Libidinem ueneream, agrestem dominum dixit. NON *modo imperator*, ℈ Non modo non imp. duo. Male. NON *modo imperator*: ℈ pro, Non modo non imperator sic Graeci, Οὐχ ὅπως, Μὴ ὅτι, Μὴ ὅτιγε, Μὴ ὅτι δή, Μὴ τι, Μήτιδή, Μήτί γε, Μήτί γε δή. SED *liber habendus omnino non erit*. ℈ Sed omn. lib. hab. non erit, quattuordecim. Sed liber omnino non erit, unus. Sed liber habendus modo non erit, unus. PRAECLARE *enim est*, ℈ sic omnes mei. Etiam, pro Enim alias. QVORVM *auctoritate*, ℈ Quorum ego auct. omnes. in quorum uno add. in marg. PRVDENTISSIMOS, ℈ sic omnes mei. Alias, doctissimos. EGO *stimulem me*, ℈ sic omnes mei. Me simulem, nouem. QVID *est enim libertas? potestas &c.* ℈ Q. c. c. lib. nisi potestas, septem. VT *uelis*, ℈ ut uelle debeas, ut ratio praescribit. VT *uult*, ℈ non ut libido, suadet, sed, ut ratio dictitat. nam Voluntas,

tas, ait Tusc. IV. est quae, quid cum ratione desiderat, βούλησις. NISI *profecto*, ζ Profecto, abest a quindecim. QVI *legibus quidem non propter metum*, ζ sic undecim. tres, Qui nec legibus quidem pr. met. unus, Qui legibus non pr. met. *Metum*; magistratuum, & suppliciorum. ATQVE *colit*, ζ Eas & colit, unus, Et superaddito. Et colit, nouem. Ac colit, unus. QVIA *id salutare maxime* ζ Id quod sal. max. octo. Quod id sal. max. tres. Id quod est max. sal. unus. NISI *libenter*, ζ non muneribus corruptus, non gratia uictus, aut odio. Hecuba apud Eurip,

φεῦ φεῦ,
οὐκ ἐσὶ θνητῶν, ὅς τις ἐς' ἐλεύθερος.
ἢ χρημάτων γὰρ δοῦλός ἐσιν, ἢ τυχῆς:
ἢ πλῆθος αὐτὸν πόλεως, ἢ νόμων γραφαὶ
ἔργουσι χρῆσθαι μὴ κατὰ γνώμην τροπὸις.

APVD *eum* ζ sic omnes mei. Langius ord. praep. SICVT *Sapiens poeta dixit. Suis ea cuique fingitur moribus*. ζ Pulcherrima sententia, quam & Nepos in Attici uita sic expressit: Sui cuique mores fortunam, fingunt. Quod fortasse a Plauto sumptum, qui in Trin. ait:

Sapiens ipse fingit fortunam sibi.

Haec ideo dixi, ne quis de mutatione cogitaret, ob uarietatem ueterum librorum. Qui, si multos habeas, nullus est tam emendatus, tamq. apertus locus, in quo non dissentiant. Cum delectu igitur obseruandi. Mei, octo, Suis quisque fungitur moribus. duo, Suis ea quique fungitur moribus. duo, Suis enim quisque fungitur moribus. unus, Suis ea forte fungitur moribus. unus, Suis ea cuique fungitur moribus: & deletum, Iacuitque, & add. Quisque. unus, Suis ea cuique fungitur moribus. unus, Quis cuique fruitur moribus. unus, Suis enim quisque utitur moribus. unus, Suis quisque fingitur moribus. SOLI *igitur hoc contingit sap.* ζ Hoc, abest a duobus. ILLVD *tamen breui confitendum est*, ζ Illud tamen breui confitendum est, nouem. quorum quinque, Breue. Illud tamen, & breue confitendum est, octo. quorum quattuor add. Et, ante Conf. In uno desunt omnia. IGITVR *omnes improbi serui: nec hoc tamen re est, quom &c.* ζ sic quatuor. octo, Serui igitur omnes improbi: nec hoc tam re est, q. duo, Serui ergo omnes improbi. hoc nō tam re est, q. unus, Omnes improbi serui, ne tam re est, q. unus, Serui igitur omnes improbi, nec tam hoc in re est, q. unus, Omnes improbi serui uòm. hoc tam est re, q. unus, Quis igitur omnes improbos seruire, nec hoc tam re, Est, qui legendum putat: Igitur omnes improbi serui. serui ne? hoc non tam re est, q. uel: Serui: seruire hoc tam re est, q. d. miserabile. DICTV, ζ Dictum, tres. Dicto, alias. MIRABILE. ζ sic omnes mei. DICVNT ζ Stoici. SERVOS, ζ seruitus, duplex; corporis, & animi. MANCIPIA, ζ Cic. Fam. lib. VII. ep. 30. NEXV, ζ sic sexdecim mei. duo, Aere. SI *seruitus sit, sicut est, oboedientia* ζ sic octo. suorum unus, Est, pro Sit. Si seruitus est oboed. unus. Si seruitus sit est, ut oboed. tres. Si seruitus eis sit, sicut est oboed. unus. add. sup. Sit, & Est. Si seruitus sit, est oboed. unus. Si seruitus sit qua. oboed. unus. Si seruitus est sint oboed. unus. Si seruitus est ut oboed. unus. Si seruitus sit ab oboed. unus. ARBITRIO *Carentis suo*; ζ qui non recta sequitur, nec officio gaudet. LEVES, ζ quorum appetitus impetrat menti. CVPIDOS, ζ non tantum pecuniae, sed aliarum quoque rerum. IMPROBOS ζ uirtutis expertes, uitiis quibuscumque praeditos, φαύλους. CVI *mulier impetrat*? ζ Vxorius, uos; Graeci, Γυναικρατούμενος. NIHIL *audet*? ζ Nihil negare audet? octo. Nihil recusare audet? decem. POSCIT, ζ sic decemseptem. recte unus. Si poscit, sic uoc. male. *Eijcit: minatur:* sic omnes mei. Vide Ter. Eun act. I. sc. I.

Quid igitur faciam? non eam? ne nunc quidem,
Cum accersor ultro? an potius ita me comparem,
Non perpeti meretricum contumelias?
Exclusit, reuocat. redeam? non, si me obsecret.

ATQVE, *ut in magna familia &c.* ζ hunc locum egregie restituit excellenti uir ingenio, Obertus Giphanius; & in eo sibi opem tulisse ueterum librum testatur: cuius ego fidei non minus, quam iudicio, doctrinaeq. tribuo. Nam certe pro glossemata ab imperitis inculcata totam sententiam perturbabant. Ex meis, pro Magna, unus habet Maxime; unus nihil habet; post Familia, decemseptem add. Stultorum; unus, Seruorum. Alij sunt, sexdecim. Octo, Sed tamen sunt serui atrienses actu pari stultitiae suae, q. duo, Sed t. seruia trienses sunt, ac copiarum stultitiae suae, q. unus, Sed t. serui a. sunt, atque pari stultitiae suae, q. unus, Sed t. serui a. actu pari stultitiae suae illic, q. unus, Sed nec t. serui a. sunt, atque pari stultitiae suae, q. unus, Sed t. serui a. sunt actu stultitiae pari suae, q. unus, Sed t. serui a, ac actu sui stultitiae suae, q. unus, Sed t. serui a, occupari stultitiae suae, q. unus, Sed t. serui a, ac pari actu copiarum stultitiae suae, q. unus, Sed t. serui sunt, & si atrienses, actu pari stultitiae suae, q. AT *sumus, inquiunt, ciuitatis principes, uos uero* ζ si septem Ex summis, inquiunt, principibus ciuitatis nati sumus. &c. sex. quorum quattuor At, pro Et; & non habeantur, Nati. Ex summis, inq. ciuitatibus principes sumus, duo. E summis, inq. principibus ciuitatis sumus, duo. E summis, inq. principium ciuitatis sumus, unus. VOS *uero ne seruorum quidem uestrorum pr.* ζ sic duo. Conseruorum, decem. Nec, quattuor. Nec, & Eorum, pro Vestrorum, unus. Nec conseruorum principes, unus. TERGVNT, ζ Tergent, tres. DEDIDERVNT, ζ sic sex. Dederunt, quattuor. Dedere, unus. Crediderunt, duo. Dederint, unus. Dedicarunt, unus. Dedidēu, unus. Dediderunt, (Dij sup. add.) unus. Deterunt, unus. Declinet, unus. IPSIVS *ciuitatis* ζ Ipsius seruitutis, tres. fortasse non male. TENENT. ζ Obtinent, duo. Tenent paene infimum, duo. Paene tenent infimum, MAGNA, *inquis*, ζ

Sed magna, inq. alias. contra omnes mei. Inquit, duo. Inquid, unus. GERE *igitur animum laude dignum.* § de Off. lib. I.

Vos etenim, iuuenes, animum geritis muliebrem,
Illa uirago uiri.

ACTAEONIS *tabula* § Echionis, legerem. de quo Plinius lib. xxxv. cap. 7. & 10. Cicero quoque in Bruto eum tum Apollo coniungit. male enim apud eum legebatur, Aetionis. Ex meis, quattuor, Actionis; septem, Actoris; unus, Aethionis; unus, Ethionis; duo, Actho'is; unus, Acti oĩs; unus, Acto nis, & Actionis add. in margine; unus, Achionis, prius, sed add. Actoris. POLYCLETI. § duo Polycleti. Plin. lib. xxxiv. cap. 4. OBLECTAMENTA *puerorum*. § Puppae, Satyrico. MATELLIONEM *Corinthium* § Varro de ling. Lat. lib. I. Matellio, a Matula dictus: & dictus, posteaquam longius a figura matula discesit. CORINTHVM § uide Vellcium lib. II. PRAETER *ipsos*; § praeter eorum animos, Platonico more. BARBATVLOS § in labro inferiori. Plin. lib. IX. cap. 17. & Festus. MVLLVLOS § ad Att. lib. 2. ep. I. Mullos, omnes. Venete, Barboni. Romane, Triglia. EXCEPTANTEM § sic quindecim. Escactantem, unus. Expectantem, unus. Receptantem, unus. Alij, Captantem. HEREDITATIS *spes* § sic omnes mei. Alias, Quid her. spes. AD *uoluntatem*: § sic nouem. Ad uoluptatem, sex. Ad uoluptates, duo. Ad uoluntates, unus. NVNCIATVM *sit*, § Denunciatum, omnes mei: in quorum uno add. ASSIDET, *miratur*. § Assidet; numerat, octo. Assidet, numeratur, quattuor. Essidet, numeratur, unus. Muatur, assidet, duo. Assidet, muat, unus. Nuat, assidet, unus. Assidet, narrat, unus. QVID *denique non serui inertis*? § tres, Quid den. nisi serui inertis? duodecim, Quid den. serui non inertis? duo, Quid den. serui non meritis? QVID *iam illa* § Illa, abest a quinque. LIBERIOR, § Liberalior, quattuor. Liberatior, duo: male. Liberorum, unus. CETHEGO, § non est is, qui cum Catilina coniurauit; sed is, de quo Plutarchus in Lucullo. SERVIRE *res coegit eos*, § uerbum, Res, tollendum. subintell. enim, Cupiditas honorum. sic & quindecim mei. VENIRE *domum* § Domum, add. in uno, cum prius non esset. QVID? *cum cupiditatum* § sic unus. Quid? cum cupiditatis, octo. Quid? cum cupiditas, septem. Quid? cum cupiditates, unus. Quid dicam, cum cupiditas, unus. QVAM *est illa misera*, § sic quindecim. in quorum uno deest, Illa. Qm̃ est illa miseria, unus. Q3 est ista miseria, unus. Q3 est illa miseria, unus. IVDEX *uero* § sic omnes. Lambinus legit, Index. ORATIO. § qua suasit legem Seruiliam, egitq. senatus causſam, contra iudicum, & accusatorum factionem. uide in libro de claris orat. & lib. III. de claris orat. ubi eadem Crassi uerba recitantur. ERIPITE § Crasso hoc tribuitur, lib. I. de Oratore. QVAE *est ista seruitus tam claro homini, tamq. nobili? &c.* § Thucydides: χ᾽ οὐ περὶ ἐλευθερίας ἄρα οὔτε οὕτοι τῶν ἑλλήνων, οὔθ᾽ οἱ ἕλληνες τῆς ἑαυτῶν τῷ μέδῳ ἀντέστησαν. πρῶτοι οἱ μὲν σφωὶν, ἀλλὰ μὴ ἐκείνῳ καταδουλώσεως, οἱδ᾽ ἐπὶ δεσπότου, μεταβολῇ, οὐκ ἀξυνετωτέρου κακοζυνετώτερος δέ. OMNIS *animi debil.* § duo, & alias, Omnis enim animi debil. DEBILITATI, § Debilitas, omnes mei. Debilitata, alii. MVTARE § sic omnes mei. Mutitare, Langius: citatq. Agellium lib. 2. c. 24. QVIBVS *& possumus*, § Et, abest a sex. *Quibus & possumus, & debemus*: octo, Quibus & debemus, & possumus. Hoc totum sic legit quidam: *Nolite sinere nos cuiquam seruire*. In libertatem uindicari uult? minime: quin enim adiungit? *Nisi uobis uniuersis, quibus & possumus, & debemus*. dominum mutare, non libet esse, uult. QVANDOQVIDEM *potes*: § Quoniam quidem potes, decemseptem. Q2 quidem potes, unus.

PARADOXON. VI.

NOta, Ciceronem ad erotema illud, a quo disputationem orditur, Solus ne tu diues? tam quam per aliud erotema respondit: Quid, si ne tu diues quidem? Vbi multi sunt, qui Ciceronis mentem non assequuntur, inter quos Humaeus ille Louanienſis aberrauit. Putant enim eum fateri stultos diuites esse, Sed non solos eos. cuius rei contrarium patet. nam Cicero ne diuites quidem eos ullo modo esse uult. Statum huius quaestionis ita ille probat, quasi ducto a Diuitis definitione argumento: Solus is, cui tanta possessio est, ut ad liberaliter uiuendum contentus sit, qui nihil quaerat, nihil appetat, nihil optet amplius, est diues. Solus sapiens est huiusmodi. Ergo solus sapiens est diues. Propositio patet. nam oportet animum esse, qui se diuitem existimet. De stultitia pulchre dixit Euripides, quod stultorum animos rapiat, & futuris inhiare semper efficiat, numquam praesentibus contentos.

Landesbibliothek Oldenburg

τιμόνος ὁ σοφὸς πλούσιος.
quod solus sapiens, diues.

QVAE est ista in commemoranda pecunia tua tam insolens ostentatio? solus ne tu diues? pro dij immortales, ego ne me audisse aliquid, & didicisse non gaudeã? solus ne tu diues? quid, si ne tu diues quidem? quid, si pauper etiam? quem enim intelligimus diuitem? aut hoc uerbum in quo homine ponimus? opinor, in eo, cui tanta possessio est, ut ad liberaliter uiuendum facile contentus sit, qui nihil quaerat, nihil appetat, nihil optet amplius. animus oportet tuus se iudicet diuitem, non hominum sermo, neque possessiones tuae. qui si sibi nihil deesse putat, nihil curat amplius, satiatus est, aut contentus etiam pecunia: concedo, diues est. sin autem, propter auiditatem pecuniae, nullum quaestum turpem putas, cum isti ordini ne honestus quidem esse possit ullus, si quotidie fraudas, decipis, poscis, pacisceris, aufers, eripis; si socios spolias, aerarium expilas: si testamenta amicorum exspectas, aut ne exspectas quidem, atque ipse supponis: haec utrum abundantis, an agentis signa sunt? animus hominis diues, non arca, appellari solet. quamuis illa sit plena; dum te inanem uidebo, diuitem non putabo. etenim ex eo, quantum cuique sat est, metiuntur homines diuitiarum modum. filiam quis habet; pecunia est opus: duas; maiore: plures maiore etiam; si, ut aiunt, Danai quinquaginta sint filiae; tot dotes magnam quaerunt pecuniam. quantũ enim cuique satis est, ad id accommodatur, ut ante dixi, diuitiarum modus. Qui igitur non filias plures, sed innumerabiles cupiditates, habet, quae breui tempore maximas copias exhaurire possunt; hunc quo modo ego appellabo diuitem, cum ipse, egere se, sentiat? multi ex te audierunt, cum diceres, neminem esse diuitem, nisi qui exercitum alere posset suis fructibus: quod populus R. ex tantis uectigalibus iampridem uix potest. ergo, hoc proposito, numquam eris diues ante, quam tibi ex tuis possessionibus tantum reficiatur, ut ex eo sex tueri legiones, & magna equitum, ac peditum auxilia possis. Iam fateris igitur, te non esse diuitem, cui tantum desit, ut expleas id, quod exoptas. itaque istam paupertatem, uel potius egestatem, ac mendicitatem tuam numquam obscure tulisti. nam, ut ijs, qui honeste rem quaerunt mercaturis faciendis, operis dandis, publicis sumendis, intelligimus opus esse quaesito: sic, qui uidet domi tuae pariter accusatorum, atque iudicum consociatos greges; qui nocentes, & pecuniosos reos, eodem te auctore corruptelam iudicij molientes; qui tuas mercedum pactiones in patrocinijs, intercisas pecuniarum in coitionibus candidatorum, dimissiones libertorum ad fenerandas, diripiendasq. prouincias; qui expulsiones uicinorum, qui latrocinia in agris, qui cum seruis, cum libertis, cum clientibus societates, qui possessiones uacuas, qui proscriptiones locupletum, qui caedes municipiorum, qui illam Syllani temporis messem recordetur; qui testamenta subiecta, qui sublatos tot homines, qui denique omnia uenalia, delectum, decretum; alienam, suam sententiam; forum, domum; uocem, silentium; quis hunc non putet confiteri, sibi quaesito opus esse? cui autem quaesito opus sit, quis umquam hunc uere dixerit diuitem? est enim diuitiarum fructus in copia: copiam autem declarat satietas rerum, atque abundantia: quam tu quoniam numquam assequere, numquam omnino es futurus diues. Meam autem quoniam pecuniam contemnis, & recte (est enim ad uulgi opinionẽ mediocris, ad tuam nulla, ad meam modica) de me silebo; de te loquar. Si censenda nobis, atque aestimanda res sit; utrum tandem pluris aestimabimus pecuniã Pyrrhi, quam Fabricio dabat; an continentiam Fabricij, qui illam pecuniam repudiabat? utrum aurum Samnitum, an responsum Man. Curij? hereditatem L. Paulli, an liberalitatem Africani, qui eius hereditatis Q. Maximo fratri partem suam concessit? haec profecto, quae sunt summarum uirtutum, pluris aestimanda sunt, quam illa, quae sunt pecuniae. Quis igitur (siquidem, ut quisque, quod plurimi sit, possideat, ita ditissimus habendus sit) dubitet, quin in uirtute diuitiae positae sint; quoniam nulla possessio, nulla uis auri, & argenti pluris, quam uirtus, aestimanda est? O dij immortales, non intelligunt homines, quam magnum uectigal sit parcimonia. uenio enim ad sumptuosos, relinquo istum quaestuosum. Capit ille ex suis praedijs sexcena sestertia, ego centena ex meis. illi aurata tecta in uillis, & sola marmorea facienti, & signa, tabulas, supellectilem, & uestem infinite concupiscenti, non modo ad sumptum ille fructus est, sed etiam ad fenus, exiguus: ex meo tenui uectigali, detractis sumptibus cupiditatis, aliquid etiam redundabit. uter igitur est ditior, cui deest, an cui superat? qui eget, an qui abundat? cuius possessio quo est maior, eo plus requirit ad se tuendam; an quae suis se uiribus sustinet? Sed, quid ego de me loquor, qui, morum, ac temporum uitio, aliquã tum etiam ipse fortasse in huius saeculi errore uersor? M. Manilius, patrum nostrorum memoria (ne semper Curios, & Luscinos loquamur) pauper tandem fuit: habuit enim aediculas in Carinis, & fundam in Labicano. nos igitur ditiores, qui plura habemus? utinam quidem ej semus: sed non aestimatione census, uerum uictu, atque cultu terminatur pecuniae modus. non esse cupidum, pecunia est; non esse emacem, uectigal est: contentum uero suis rebus esse, maximae sunt, certissimaeq. diuitiae. etenim, si isti callidi rerũ aestimatores prata, & areas quasdam magni aestimant, quod ei generi possessionum minime quasi noceri potest: quanti est aestimanda uirtus, quae nec eripi, nec surripi, potest umquam; neque naufragio, neque incendio, amittitur; nec tempestatum, nec temporum, permutatione mutatur? qua qui praediti sunt, soli sunt diuites; soli enim possident res & fructuosas, & sempiternas; solique, quod est proprium diuitiarum, contenti sunt rebus suis; satis esse putant, quod est; nihil appetũt, nulla re egent, nihil sibi deesse sentiunt, nihil requirunt, improbi autem, & auari, quoniam incertas, atque in casu positas, possessiones habent, & plus semper appetunt, nec eorum quisquam adhuc inuentus est, cui, quod haberet, esset satis; non modo non copiosi, ac diuites, sed etiã inopes, ac pauperes, existimandi sunt.

CONTRA M. Crassum, omnium, Romanorum, excepto Sulla, ditissimum. Plin. lib. xxxiii. cap. 10. DIVES? pro, dij imm. ℈ sic omnes mei. Alias, Diues? Quid, pro, dii imm. IN eo, ℈ Diuitis Definitio. NIHIL optet amplius. ℈ Horatius:

Quod satis est, cui contigerit, nil amplius optet.

QVI si sibi nihil deesse putat, nihil curat amplius, satiatus est, ℈ sic duo, quinque, Qui nihil sibi deesse putet,

tet, nihil curet a., ſ. e. Duo, Et qui nihil ſ. d. putat, n. amplius curat, ſ. e. Vnus, Qui nihil ſibi deeſſe putat, nihil curet amplius, ſatiatus eſt. Tres, Nihil ſibi deeſſe putat, & nihil curat amplius, ſatiatus eſt. Vnus, Qui nihil ſibi deeſſe putet, nihil curet amplius, ſaturatus eſt. Duo, Nihil ſibi deeſſe putet, nihil curet amplius, ſatiatus eſt. Vnus, nihil ſibi deeſſe putet, nihil curet amplius, ſatiatus eſt. Vnus, Qui nihil ſibi dicere putet, nihil curet amplius, ſenatus nihil eſt. CONTENTVS *etiam pecunia*: ⸗ ſic decem. Etiam, abeſt a quattuor. Etiã contentus pecunia, unus. Duo, Contentus eſt pecunia. Vnus, Contentus in pecunia: & ſup. Contemptus. Alias, Contentus etiam ſine pecunia. QVAESITVM *turpem putas*, ⸗ Turpe, unus. Turpem quaeſtum put. unus. ISTI *ordini* ⸗ ſenatorio, quo ex ordine Craſſus erat. Iſto ordine, quattuor. FRAVDAS, *decipis*, ⸗ ſic omnes mei. Alias, Fraudas, concutis, decipis. AVT *ne exſpectas quidem*, ⸗ Aut ne exſpectis, Langius: ideſt actu quodam extorquet. IPSE *ſupponis*: ⸗ Ipſa, tredecim. VIDEBO, ⸗ Video, quattuor. Alias, Videro. *Inanem uidebo*:

Lucanus:

Semper inops, quicumque cupit.

SATIS *eſt*, ⸗ ſic ſexdecim. duo, Sat eſt. ETIAM *maiore*. ⸗ Etiam, abeſt a ſeptem. in quorum uno add. Maiore etiam, nouem. Maiori etiam, unus. QVINQVAGINTA *ſint filiae*; ⸗ quae omnes, praeter Hypermneſtram, uiros ſuos occiderunt. ſeruius in Virgo. QVANTVM *enim cuique ſatis eſt*, ⸗ Opus eſt, decemſeptem. Sat eſt, unus. CVPIDITATES *habet, quae breui tempore* ⸗ Cupiditates habet, quae quidem breui temp. duo. NEMINEM *eſſe diuitem*, ⸗ Eſſe, abeſt ab uno. Alias, Neminem hominum eſſe diuitem. EXERCITVM ⸗ legionem, ait Plin. lib. xxxiii. cap. 10. ſed Plutarchus exercitum nominat. EX *tantis uectigalibus* ⸗ Ex, abeſt a decem meis. REFICIATVR, ⸗ Refici dicitur id, quod capitur: & Reficere eſt Reſtituere. Exemplis intelligitur. Lib. iii. in Verr. Dominus, ignarus incommodi ſui, gaudeat, uillicoq. delectetur, quod tanto ſibi plus mercedis ex fundo refectum ſit. Et ibidem: Ager reficit cum octauo. ſic enim legendum. Et Varro lib. i. de re ruſt. Dixit etiam Celſus Iuriſc. in Pandectis, lib. xiix. Quantum ex bonis eius refici poteſt. EX *eo tueri* ⸗ Ex, abeſt a decem. SEX *Legiones* ⸗ ſic omnes mei. Dixi, lib. i. Off. iv. legiones, non vi, fuiſſe exercitum P. R. & ita puto legendum. Fluxit error e ſimilitudine, quae eſt inter iv. & vi. IAM *fateris igitur non eſſe te diuitem*, ⸗ ſic quattuordecim. Duo, Iam f. i. te eſſe non diuitem. Vnus, Iam f. i. non eſſe diuitem. Vnus, Iam f. ergo non eſſe diuitem. OPERIS *dandis*, ⸗ mercedis cauſſa, inſeruiendo alijs. Sic omnes mei. Alias Locandis. i. operarijs. PVBLICIS *ſumendis*, ⸗ Publicis tributis ſumendis, quattuor. Publicis dãdis, ſumendis eſſe in quodam uetere, alij ſcribunt. *Publicis ſumendis*: conducendis uectigalibus, quod publicanorum erat. INTELLIGIMVS *opus eſſe quaeſito*: ⸗ eos non contentos eſſe re ſua familiari, non habere ſatis. ACCVRATORVM, ⸗ quos Craſſus ſubornabat, ad homines locupletes criminandos. IVDICVM ⸗ quos Craſſus corrumpebat, ut ſontes abſoluerent. CONSOCIATOS ⸗ ſic omnes mei. Alijs, conſuetos. *Iudicum*. Sic omnes mei. Iudicum, alias. AVCTORE ⸗ Actore, unus. INTERCISSAS *pecuniarum* ⸗ libri ueteres, Interciſas; aut, Interciſſas. Pater ante multos annos reponendum putauit, Interceſsiones. Quam docti uiri probarunt, & ſibi illam, tamquam ſuam, uindicarunt, aliiq. tamquam illorum agnouerunt. Vſitatum eſt Ciceroni, uerbum, Intercedendi, ad pecuniam accommodare, tum ſcilicet, cum ſpondemus nos aliquid pro aliquo ſoluturos eſſe. Phil. ii. Orabat Curio, ut te contra ſuum patrem, ſi HS ſexagies peteret, defenderem: tantum enim ſe pro te interceſsiſſe dicebat. Et ad Att. lib. i. ep. 14. Accerſiuit ad ſe, promiſit, interceſsit, dedit. Et lib. vi. ep. 1. Adſcribit etiam, & quaſi calcar admouet, interceſsiſſe ſe pro iis magnam pecuniam. Quae partim ad hanc diem obſeruata non ſunt, partim intellecta perperam. Cum putauerit neſcio quis, Intercedere, in his quidem locis, eſſe, pro, Rogando impetrare. AD *fenerandas*, ⸗ ſic duo. Ad defenerandas, ſeptem. Ad differendas, duo. Ad deferandas, deletum, & add. Ad defendendas, unus. Ad deuenerandas, unus. Ad deferendas tres. Ad defferendas, duo. Ad diferendas, unus. MVNICIPIORVM, ⸗ quattuor mei, Mancipiorum. Sunt, qui legant, Municipum. MESSEM ⸗ non ſegetum, ſed ciuium Romanorum. RECORDETVR; ⸗ ſic omnes mei. Recordatur, legunt alij. SVBIECTA, ⸗ falſa pro ueris ſuppoſita. DELECTVM, *decretum*; ⸗ ſic decem. Et, addunt tres. Tres, Deletum. unus, Dilectum. unus, Delictum. Pater, Decretum, edictum. ALIENAM, *ſuam ſentent*. ⸗ ſic omnes mei. unus, Alienam ſent. Alias, Alienam, ſuamq. ſent. *Alienam*: Craſsi gratiam, auctoritate, largitione corruptis iudicibus, & ſenatoribus. FORVM, *domum*; ⸗ domi, & publice pecuniae cauſſa omnia facta eſſe a Craſſo. QVIS *hunc non putet* ⸗ Hunc, abeſt a duobus. in quorum uno add. SIBI *quaeſito opus eſſet*? ⸗ Sibi, abeſt a duobus. NVMQVAM *omnino futurus eris dives*. ⸗ qui cupit, diues non eſt. DE *te loquar*. ⸗ ſic tres. recte. reliqui, De te loquar. CENSENDA ⸗ ſic decemſeptem. unus, Penſanda. Alias, Recenſenda. LIBERALITATEM ⸗ Libertatem, quinque. QVI *eius hered*. ⸗ cuius hered. unus. Eius, abeſt a duobus. Q. MAXIMO *fratri* ⸗ cum & ipſe a Paullo genitus eſſet, ſed adoptionis iure a Q. Fabio Maximo traditus. QVOD *plurimi ſit*, ⸗ Sic omnes mei. Fit, ſunt, qui legant. DITISSIMVS ⸗ ſic omnes mei. alii, Diuitiſsimus. DIVITIAE *poſitae ſint*; ⸗ ſic duo. Poſitae, abeſt a ſexdecim. PARCIMONIA. ⸗ Cicero iv. de Rep. apud Non. Portitor. Optimum, & in priuatis familijs, & in rep. uectigal duo eſſe Parcimoniam. VENIO *enim ad ſumpt.* ⸗ ſic duo. Venio enim iam ad ſumpt. quindecim. Venio iam ad ſumpt. unus. SEXCENA ⸗ Sexcenta, decemſeptem. Sexcentas, unus. IN *uillis*, ⸗ abſunt ab uno. SOLA ⸗ Palatia, duo. Solaria, duo. Solia, tres. Solo marmore pauimenta facienti, & ſignum, tab. unus. ET *ſigna*, ⸗ Et, abeſt ab uno. TABVLAS, ⸗ Et tabulas, tres. Et ſignatas tabulas, unus. NON *modo ad ſumptum ille eſt fructus, ſed etiam ad fenus, exiguus*: ⸗ ne cui poſthac de huius loci ſententia dubitare neceſſe ſit, mentem Ciceronis

ronis aperiam. Ille, inquit, fructus, qui capitur ex praediis, ideſt ſexcenta aurea HS, tantum abeſt, ut ſumptui ſufficiat, qui ſit in auratis tectis, ceteriſq. rebus magni pretii, ut etiam, ſi fenore augeatur, exiguus ſit: ideſt, ſumptui tãto non ſufficiet. Approbat hanc lectionem meã antiquus liber. Ex *meo tenui uect.* ⸗ ſic omnes mei. Alias, Ex meo autem tenui uect. DITIOR, ⸗ ſic omnes mei. Alias, diuitior. SVPERAT? ⸗ pro, Supereſt, ut alibi. CVIVS *poſſeſſio* ⸗ Cui quo poſſeſsio eſt mai. unus. Qui, quo poſſ. eſt mai. unus. PATRVM *noſtrorum memoria* ⸗ Memoria patrum, unus. LVSCINOS ⸗ C. Fabricium Luſcinum ſignificat, quem ter in his Paradoxis iam nominauit. LABICANO. ⸗ ſic nouem. recte. Larecupo, unus. Locopio, unus. Lancupo, unus. Larcapo, duo. Laropo, unus. Larcopo, unus. Labicano, duo. DITIORES, ⸗ ſic omnes. Ditiores ſumus, qui, decem. VTINAM *quidem eſſemus*: ⸗ Eſſemus, abeſt a quindecim. PECVNIA *eſt*: ⸗ Pecuniae eſt, decemſeptem. NON *eſſe emacera*, ⸗ Mala emptio ſemper exprobrat ſtultitiam, Plinius. PRATA, *& areas quaſdam magni aeſtimant*, ⸗ Cato non affligi tempeſtatibus prata, ut alias ruris partes, dicebat, ut ait Columella, quanti aeſtimarentur prata, indicat lib. III. cap. 3. cum ait: Omnes iſtos, qui fenum ſuum, & olera amplexantur, incremento patrimonii facile ſuperabant. Varro, ex perſona Scrofae, lib. I. cap. 7. diſſentit a Catone, qui pratis non primum locum, nec ſecundum, ſed quinctum inter praedia ruſtica tribuerat: Scio, inquit, ſcribere illum. ſed de hoc non conſentiunt omnes. quod alii dant primatum bonis pratis, ut ego quoque: a quo antiqui Prata Parata appellarunt. Et cum Varrone ſentit Cicero, in eo loco, ep. 3. lib. I. ad Att. Quod ſi aſſequor, ſupero Craſsũ diuitiis, atque omnium uicos, & prata contemno. Areae uero inter urbana praedia magni aeſtimabantur, propter anguſtias ſoli. propterea dixit Cicero, Areas quaſdã, ideſt urbanas, & in urbis nobilioribus locis: ne quis de areis omnibus acciperet. Tredecim faciunt cum impreſsa lectione: Quattuor add. Pretii poſt Magni. unus, Et areas, & quaedã magno reſt. Eſt, qui legat Quiddam magni. QVASI ⸗ pro, Fere. Vt in Acad. Sol mihi quaſi pedalis uidetur. Et ibidem: Illa exponunt duo, quae quaſi contineant omnem hanc quaeſtionem. In Oratore: Eſt enim quaſi in extrema pagina. Ter. Heaut. Quaſi talenta ad quindecim coegi. Sall. Iugurtha: Praeſidio quaſi duum millium peditum. Suet. Caligula: Hora quaſi ſeptima. POTEST, ⸗ Poſsit, ſex. EST *aeſtimanda uirtus*, ⸗ ſic ſex. Aeſtimanda uirtus eſt, tres. Aeſtimanda eſt uirtus, duo. Aeſtimanda uirtus, duo. Pretii aeſtimanda eſt uirtus, duo. POTEST *umquam*; ⸗ Vmquam, abeſt ab omnibus meis. Nec naufr. quinque. Nec incend. quinque. NEC *temp.* ⸗ Nec ui temp. quattuor. Nec intemp. (male) duo. TEMPORVM *permutatione* ⸗ Perturbatione, decemſeptem. Turbatione, unus. ET *fructuoſas*, ⸗ Et, abeſt a duobus. Ei, alias. SATIS *eſſe putant*, ⸗ Eſse, abeſt ab uno. Satiſque, alias. NVLLA *re egent*, ⸗ Indigent, tres. ATQVE *in caſu poſitas poſſeſſiones habent*, ⸗ Et caſui ſuppoſitas poſsesſiones habent, unus. AC *pauperes*, ⸗ ſic ſeptem. Atque, unus. Etiam, tres. Et, quattuor. Aut, unus. Deeſt in uno. Deletur in uno. *Pauperes*: improbi pauperes. EXISTIMANDI ⸗ ſic nouem. Aeſtimandi, nouem.

Landesbibliothek Oldenburg

PRAESTANTISSIMO VIRO

BARTHOLOMAEO CAPRAE.

OPPORTVNE cecidit, ut, quo ego tempore de Te cogitabam, Tuiq. dulcem memoriam recolebam, Laelius Gauardus, amicorum optimus, eximia uirtute praeditus, tuus ne, an meus? noster, dicam; me conuenerit. Bone Deus, quam iucundos sermones habuimus. quam suaues ij nobis dies euenerunt, Vt nescio quo modo participes esse uideremur diuinae illius fruitionis: quam Tuam uirtutem maius quiddam esse, quam quod mente comprehendi possit, ingenue fateremur. Fit igitur a me libenter, ut, cum nulla re alia possim meum apud Te animum testatum relinquere, minimo hoc meo scripto, si uolumen, maximo, si rem ipsam, & animum meum perpendas, praestem. Et sane, quo ego testimonio possum, & Tuam eximiam & singularem praestantiam, & meam in Te obseruantiam proferre? quae, orta a tuis uirtutibus, multis postea in Patrem meum, meq. ipsum collatis beneficijs, eo peruenit, ut facilius animo, quam uerbis, exprimi possit. Ne Te igitur, Tuamq. naturam offendam, pauca haec dixisse, sat habeo. in quibus tamen cum multum sit, atque adeo plurimum, multaque, atque adeo plurima dicenda supersint, potius censui mihi esse faciundum, ut de Te pauca dicerem, quam ut, materiem uiribus meis imparem nactus, succumberem. alij, maiore ingenij ui, fateor; animi ardore non dicam, sua scripta laudibus illustrabunt tuis. Vale. Venetijs, III. kal. Quinct. D. Petro sacro CIↃ IↃ XXCI. quo ego die, & qua hora in Illyricum publico nomine proficiscens, extremam huic operi manum imponens, nominis Tui iucundissima memoria oblectabar.

M · TVLLII · CICERONIS SOMNIVM SCIPIONIS EX · LIBRO · VI · DE · REP.

Scipio loquitur.

CVm in Africam venissem Manio Manilio Consuli, ad quartam Legionem, vt scitis, Tribunus militum; nihil mihi potius fuit, quam ut Massanisam conuenirem, Regem familiae nostrae iustis de caussis amicissimum. ad quem vt ueni, complexus me senex collacrymauit; aliquantoq. post suspexit in caelũ, & grates, inquit, tibi ago, summe Sol, nobisq. reliqui caelites, quod, antequam ex hac uita migro, conspicio in meo regno, & his tectis P. Cornelium Scipionem, cuius ego nomine ipso recreor. itaque nunquam ex animo meo discedit illius optimi, atque inuictissimi uiri memoria. Deinde ego illum de suo regno, ille me de nostra rep. percunctatus est: multisq. uerbis ultro citroq. habitis, ille nobis consumptus est dies. post autem regio apparatu accepti, sermonem in multam noctem produximus; cum senex nihil, nisi de Africano, loqueretur, omniaq. eius non solum facta, sed etiam dicta meminisset. deinde, ut cubitum discessimus, me, & fessum de uia, & qui ad multam noctem uigilassem, artior, quam solebat, somnus complexus est. hic mihi (credo equidem ex hoc, quod eramus locuti: fit enim fere ut cogitationes, sermonesq. nostri pariant aliquid in somno tale, quale de Homero scribit Ennius, de quo uidelicet saepissime, uigilans solebat cogitare, et loqui) Africanus se ostendit illa forma, qua mihi ex imagine eius, quam ex ipso, erat notior. quem ut agnoui, equidem coborrui: sed ille, ades, inquit, animo, & omitte timorem, Scipio; & quae dicam, trade memoriae. Vides ne illam urbem, quae parere populo R. coacta per me, renouat pristina bella, nec potest quiescere? (ostendebat autem Carthaginem de excelso, & pleno stellarum, illustri, & claro quodam loco) ad quam tu oppugnandam nunc uenis paene miles? hanc hoc biennio consul euertes: eritq. cognomen id tibi per te partum, quod habes ex nobis adhuc hereditarium. cum autem Carthaginem deleueris, triumphum egeris, censorq. fueris, & obieris legatus Aegyptum, Syriam, Asiam, Graeciam; declegere iterum absens consul, bellumq. maximum conficies, Numantiam excindes. sed, cum eris curru Capitolium inuectus, offendes remp. perturbatam consilijs nepotis mei. hic tu, Africane, ostendas, oportebit, patriae lumen animi, ingenij, consilyq. tui. sed eius temporis ancipitem uideo quasi Fatorum uiam. nam, cum aetas tua septenos octies solis anfractus, redituq. conuerterit; duoq. hi numeri, quorum uterque plenus, alter altera de caussa, habetur, circuitu naturali summam tibi fatalem confecerint: in te unum, atque tuum nomen se tota conuertet ciuitas: te senatus, te omnes boni, te socij & Latini intuebuntur: tu eris unus, in quo nitatur ciuitatis salus. ac, ne multa, Dictator remp. constituas oportet, si impias propinquorum manus effugeris. Hic cum exclamassem Laelius, ingemuissentq. ceteri uehementius; leniter arridens Scipio, Quaeso, inquit, ne me e somno excitetis, & pax sit rebus. audite cetera. Sed, quo sis, Africane, alacrior ad tutandam remp. sic habeto, omnibus, qui patriam conseruauerint, adiuuerint, auxerint, certum esse in Caelo, ac definitum locum, ubi beati aeuo sempiterno fruantur. nihil est enim illi principi Deo, qui omnem hunc mundum regit, quod quidem in terris fiat, acceptius, quã concilia, coetusq. hominum iure sociati, quae Ciuitates appellantur. harum rectores, & conseruatores, hinc profecti, huc reuertentur. Hic ego, etsi eram perterritus non tam metu mortis, quam insidiarum a meis, quaesiui tamen, uiueret ne ipse, & pater Paullus, & alij, quos nos exstinctos arbitraremur. Immo uero, inquit, ij uiuunt, qui e corporum uinculis, tamquam e carcere, euolauerunt: uestra uero, quae dicitur uita, mors est. quin tu aspicias ad te uenientem Paullum patrem. Quem ut uidi, equidem uim lacrymarum prosudi. Ille autem, me amplexus, atque osculans, flere prohibebat. Atque ego, ut primum, fletu represso, loqui posse coepi, Quaeso, inquam, pater sanctissime, atque optime, quando haec est uita, ut Africanum audio dicere, quid moror in terris? quin huc ad uos uenire propero? Non est ita, inquit ille. nisi enim Deus, is, cuius hoc templum est omne, quod conspicis, istis te corporis custodijs liberauerit; huc tibi aditus patere non potest. homines enim sunt hac lege generati, qui tuerentur illum globum, quem in hoc templo medium uides,

des, quae dicitur terra: hisq. animus datus est ex illis sempiternis ignibus, quae sidera, & stellas uocatis; quae, globosae, & rotundae, diuinis animatae mentibus, circulos suos, orbesq. conficiunt celeritate mirabili. quare & tibi, Publi, & pijs omnibus retinendus est animus in custodia corporis: nec iniussu eius, a quo ille est nobis datus, ex hominum uita migrandum est: ne munus humanum, assignatum a Deo, defugisse uideamini. sed sic, Scipio, ut auus hic tuus, ut ego, qui te genui, iustitiam cole, & pietatem: quae cum sit magna in parentibus, & propinquis, tum in patria maxima est: & ea uita uia est in caelum, & in hunc coetum eorum, qui iam uixerunt, & corpore laxati, illum incolunt locum, quem uides; (erat autem is splendidissimo candore inter flammas circulus elucens) quem uos, ut a Graijs accepistis, Orbem lacteum nuncupatis. ex quo omnia mihi contemplanti, praeclara cetera, & mirabilia uidebantur. erant autem eae stellae, quas numquam ex hoc loco uidimus; & eae magnitudines omnium, quas esse numquam suspicati sumus. ex quibus erat illa minima, quae ultima caelo, citima terris, luce lucebat aliena, stellarum autem globi terrarum magnitudinem facile uincebant. Iam uero, ipsa terra ita mihi parua uisa est, ut me imperij nostri, quo quasi eius punctum attingimus, paeniteret. quam cum magis intuerer, quaeso, inquit Africanus, quousque humi defixa tua mens erit? non ne adspicis, quae in templa ueneris? nouem tibi orbibus, uel potius globis, connexa sunt omnia; quorum unus est caelestis extimus, qui reliquos omnes complectitur, summus ipse Deus, arcens, & continens ceteros: in quo infixi sunt illi, qui uoluuntur, stellarum cursus sempiterni: cui subiecti sunt septem, qui uersantur retro, contrario motu, atque caelum. ex quibus unum globum possidet illa, quam in terris Saturniam nominant. deinde est hominum generi prosperus, & salutaris, ille fulgor, qui dicitur Iouis. tum, rutilus, horribilisq. terris, quem Martem dicitis. deinde, subter mediam fere regionem Sol obtinet, dux, & princeps, & moderator luminum reliquorum, mens mundi, & temperatio, tanta magnitudine, ut cuncta sua luce lustret, & compleat. hunc, ut comites, consequuntur alter Veneris, alter Mercurij cursus. in infimoq. orbe Luna, radijs Solis accensa, conuertitur. infra autem iam nihil est, nisi mortale, & caducũ, praeter animos generi hominum munere deorum datos. supra Lunam sunt omnia aeterna. nam ea, quae est media, & nona, tellus neque mouetur, & infima est, & in eam feruntur omnia nutu suo pondera. Quae cum intuerer stupens; ut me recepi, quis hic, inquam, quis est, qui complet aures meas, tantus, & tam dulcis sonus? Hic est, inquit ille, qui interuallis coniunctus imparibus, sed tamen pro rata portione distinctis, impulsu, & motu ipsorum orbium efficitur; & acuta cum grauibus temperans, uarios aequabiliter concentus efficit. nec enim silentio tanti motus incitari possunt: & natura fert, ut extrema ex altera parte grauiter, ex altera autem acute, sonent. quam ob caussam summus ille quidem stelliferi caeli cursus, cuius conuersio est concitatior, acuto, & excitato mouetur sono, grauissimo autem hic lunaris, atque infimus. nam terra nona, immobilis manens, ima sede semper haeret, complexa medium mundi locum. illi autem octo cursus, in quibus eadem uis est duorum, septem efficiunt distinctos interuallis sonos: qui numerus rerum omnium fere nodus est. quod docti homines neruis imitati, atque cantibus, aperuere sibi reditum ad hunc locum; sicut alij, qui praestantibus ingenijs in uita humana diuina studia coluerunt. hoc sonitu completae aures obsurduerunt; (nec est ullus hebetior sensus in uobis.) sicut, ubi Nilus ad illa, quae Catadupa nominantur, praecipitat ex altissimis montibus; ea gens, quae illum locũ accolit, propter magnitudinem sonitus, sensu audiendi caret. hic uero tantus est totius mundi incitatissima conuersione sonitus, ut eum aures hominum capere non possint; sicut intueri Solem nequitis aduersum, eiusq. radijs acies uestra, sensusq. uincitur. Haec ego admirans, referebam tamen oculos ad terram identidem. Tum Africanus, Sentio, inquit, te sedem etiam nunc hominum contemplari, ac domum. quae si tibi parua, ut est, ita uidetur; haec caelestia semper spectato, illa humana contemnito. tu enim quam celebritatem sermonis hominum, aut quã expetendam consequi gloriam potes? uides habitari raris, & angustis in terra locis, & in ipsis quasi maculis, ubi habitatur, uastas solitudines interiectas, hosque, qui incolunt terram, non modo interruptos ita esse, ut nihil inter ipsos ab alijs ad alios manare possit, sed partim obliquos, partim transuersos, partim etiam aduersos stare uobis: a quibus exspectare gloriam certe nullam potestis. Cernis autem terram eandem, quasi quibusdam redimitam, & circumdatam cingulis; e quibus duos maxime inter se diuersos, & caeli uerticibus ipsis ex utraque parte subnixos, obriguisse pruina uides: medium autem illum, & maximum solis ardore torreri. duo sunt habitabiles; quorum australis ille, in quo qui insistunt, aduersa uobis urgent uestigia, nihil ad uestrum genus: hic autem alter, subiectus Aquiloni, quem incolitis, cerne, quam uos tenui parte contingat. omnis enim terra, quae colitur uobis, angusta uerticibus, lateribus latior, parua quaedam insula est, circumfusa illo mari, quod Atlanticum, quod Magnum, quod Oceanum, appellatis in terris: qui tamen, tanto nomine, quam sit paruus, uides. Ex his ipsis cultis, notisq. terris, num aut tuum, aut cuiusquam nostrum, nomen, uel Caucasum hunc, quem cernis, transcendere potuit, uel illum Gangem transnare? quis in reliquis orientis, aut obeuntis solis ultimis, aut Aquilonis, Austri ue partibus tuum nomen audiet? quibus amputatis, cernis profecto, quantis in angustijs uestra gloria se dilatari uelit. Ipsi autem, qui de nobis loquentur, quam diu loquẽtur? quin etiam, si cupiat proles illa futurorum hominũ deinceps laudes uniuscuiusque nostrum, a patribus acceptas, posteris prodere, tamen, propter eluuiones, exustiones q. terrarum, quas accidere, tempore certo, necesse est, non modo non aeternam, sed ne diuturnam quidem, gloriam assequi possumus. quid autem interest, ab ijs, qui postea nascentur, sermonem fore de te, cum ab ijs nullus fuerit, qui ante nati sint: qui nec pauciores, & certe meliores, fuerunt uiri? cum praesertim apud eos ipsos, a quibus nomen nostrum potest audiri, nemo unius anni memoriam consequi possit. homines enim populariter annũ tantummodo Solis, idest unius astri, reditu metiuntur. cũ autem ad idem, unde semel profecta sunt, cuncta astra redierint, eandemq. totius caeli descriptionem longis interuallis retulerint: tum ille uere uertens annus appellari potest. in quo, uix dicere audeo, quam multa saecula hominum teneantur. namque, ut olim deficere Sol hominibus, exstinguiq. uisus est, cum Romuli animus haec ipsa in templa penetrauit; quandoque eadem parte Sol, eodemq. tempore, iterum defecerit, tum, signis omnibus ad idem principium, stelliq. reuocatis, expletum annum habeto.

beto, huius quidem anni nondum uigesimam partem scito esse conuersam. quocirca, si reditum in hunc locum despe raueris; in quo omnia sunt magnis, & praestantibus uiris: quanti tandem est ista hominum gloria, quae pertinere uix ad unius anni partem exiguam potest? Igitur, alte spectare si uoles, atque ad hanc sedem, & aeternam domum contueri: neque sermonibus uulgi dederis te; nec in praemijs humanis spem posueris rerum tuarum, suis te illecebris, oportet, ipsa uirtus trahat ad uerum decus. quid de te alij loquantur, ipsi uideant: sed loquentur tamen. sermo autem omnis ille, & angustijs cingitur ijs regionum, quas uides; nec umquam de ullo peremnis fuit; & obruitur hominum interitu; & obliuione posteritatis exstinguitur. Quae cum dixisset, ego uero, inquam, o Africane, siquidem bene meritis de patria quasi limes ad caeli aditum patet, quamquam a pueritia, uestigijs ingressus & patris, & tuis, decori uestro non defui, nunc tamen, tanto praemio proposito, enitar multo uigilantius. Et ille, Tu uero enitere; & sic habeto, te non esse mortalem, sed corpus hoc. nec enim is es, quem forma ista declarat: sed mens cuiusque is est quisque, non ea figura, quae digito demonstrari potest. Deum te igitur scito esse: siquidem Deus est, qui uiget, qui sentit, qui meminit, qui praeuidet, qui tam regit, & moderatur, & mouet id corpus, cui praepositus est, quam hunc mundum princeps ille Deus: & ut ipsum mundum ex quadam parte mortalem ipse Deus aeternus, sic fragile corpus animus sempiternus mouet. nam, quod semper mouetur, aeternum est; quod autem motum affert alicui, quodq. ipsum agitatur aliunde, quando finem habet motus, uiuendi finem habeat necesse est. solum igitur, quod sese mouet, quia numquam deseritur a se, numquam nec moueri quidem desinit. quin etiam ceteris, quae mouentur, hic fons, hoc principium est mouendi. principio autem nulla est origo. nam ex principio oriuntur omnia: ipsum autem nulla ex re fieri potest. nec enim esset hoc principium, quod gigneretur aliunde. quod si numquam oritur, nec occidit quidem umquam. nam principium exstinctum, nec ipsum ab alio renascetur, nec ex se aliud creabit: siquidem necesse est, a principio omnia oriri. ita fit, ut motus principium ex eo sit, quod ipsum a se mouetur. id autem nec nasci potest, nec mori: uel concidat omne caelum, omnisq. natura consistat, necesse est, nec uim ullam nanciscatur, qua primo impulsu moueatur. Cum pateat igitur, aeternum id esse, quod a se ipso moueatur: quis est, qui hanc naturam animis tributam esse neget? inanimatum est enim omne, quod impulsu agitatur externo: quod autem anima est, id motu citetur interiore. nam haec est natura propria animae, atque uis. quae si est una ex omnibus, quae sese moueat: neque nata est certe, & aeterna est. hanc tu exerce optimis in rebus. sunt autem optimae curae, de salute patriae: quibus agitatus, & exercitatus animus, uelocius in hanc sedem, & domum suam, peruolabit: idq. ocius faciet, si iam tum, cum erit inclusus in corpore, eminebit foras, & ea, quae extra erunt, contemplans, quam maxime se a corpore abstrahet. nam eorum animi, qui se corporis uoluptatibus dediderunt; earumq. se quasi ministros praebuerunt; impulsuq. libidinum, uoluptatibus obedientium, deorum, & hominum iura uiolauerunt; corporibus elapsi, circum terram ipsam uolutantur, nec in hūc locum, nisi multis exagitati saeculis, reuertuntur. Ille discessit: ego somno solutus sum.

IN *Africam* ⁊ Ad Africam, unus. MANIOMANILIO *consuli*, ⁊ Manilio consuli, in Africa, tribunum mil. fuisse P. Scipionem, Appianus in Libyco ostendit. VT *scitis, tribunus militum*; ⁊ duo, Tribunus, ut satis. unus, Tribunus militum, ut scitis. AD *quem ut ueni*, ⁊ ab ipso Massinissa accersitus. Valerius Max. lib. v. SVMME *Sol, uobisque, reliqui caelites*, ⁊ unus, Reliquiq. caelites. Reliquis, unus. Caelestes, alias fortasse fragmentum ex uetere poeta. DISCEDIT ⁊ Discessit, duo. VIRI ⁊ cum quo militauerat bello Punico secundo. FESSVM *de uia*, ⁊ sic locutus Acad. I. Fessum, abest ab uno. ARTIOR, ⁊ unus, Acrior. FIT *enim fere* ⁊ Saepe, pro Fere, unus. SCRIBIT *Ennius*, ⁊ Mihi uisus Homerus adesse poeta, Ennius dixit, Cicero dixit in Lucullo. QVA *mihi* ⁊ Quae, tres mei. Ex *imagine eius*, ⁊ maiorum enim imagines domi habere, easq. in funere praeferre, ueteres Romani solebant. VT *agnoui*, ⁊ tres mei, Vbi agnoui. PARERE ⁊ tributum pendere. PAENE *miles*? ⁊ nam in militia primus est honoris gradus tribunatus mil. LEGATVS ⁊ ad Ptolemaeum Physionem. Iustinus lib. XXXIIII. ABSENS ⁊ non petens. Valerius enim lib. IIX. cap. IO. praesentem eum dicit; & Laelius apud Cic. de Amic. Scipionem numquā petijsse confirmat. CAPITOLIVM ⁊ In Capitolium, Langius. REMP. Rem, unus. PERTVRBATAM *consilijs* ⁊ ord. praep. duo. NEPOTIS *mei*. ⁊ Ti. Gracchi, tribuni pl. Cornelia nati, Africani maioris filia. ATQVE *tuum nomen* ⁊ Atque in tuum nomen, duo. TE *socij*, ⁊ sic duo. recte. unus, Te omnes boni socij. SI *impias propinquorum manus effugeris*. ⁊ non effugit. mortuus enim in cubiculo inuentus est, cum pridie optime ualuisset. creditum est ab uxore Sempronia, Gracchorum sorore, ueneno necatum. PAX *sit rebus*, ⁊ sic duo. Sit, non est in uno. AC *definitum locum*, ⁊ Ac, non est in duobus. Destinatum, Fuluij liber. CONCILIA, *coetusq. hominum* ⁊ Ciuitatis definitio. REVERTENTVR. ⁊ Reuertuntur, tres. ET *pater Paullus*, ⁊ Et Paullus pater, duo. Vt Paullus pater, unus. ARBITRAREMVR. ⁊ Arbitrabamur, unus. Arbitramur, unus. EX *corporum uinc.* ⁊ E, tres. *Vinculis*: Plato in Phaedone scribit, animum cum corpore colligatum, & nexum. VESTRA *uero, &c.* ⁊ sumptum ex Gorgia Platonis. ADSPICIAS *ad te uenientem* ⁊ Adspicias uenientem ad te, unus. AMPLEXVS, ⁊ Complexus, duo. OSCVLANS ⁊ Osculatus, duo. QVANDO *haec est uita*, ⁊ Qm̄, tres. INQVIT *ille* ⁊ Paullus, non Africanus. CVIVS *hoc templum est omne, quod* ⁊ sic duo. unus, Cuius est templum omne, quod. IN *hoc templo* ⁊ uniuerso mundo. QVAE *dicitur terra*; ⁊ Quae terra dicitur, tres. CIRCVLOS ⁊ Circos, unus. NOBIS ⁊ sic duo. unus, Vobis. NEC *iniussu eius, a quo ille est nobis datus, ex hominum uita migrandum est*: ⁊ eadem sententia apud Platonem in Phaedone. AVVS *hic tuus*, ⁊ Africanus. CIRCVLVS *elucens*, ⁊ Cireus, duo. EX *hoc loco* ⁊ absunt a uetere Fuluii libro. OMNIVM, ⁊

abest

abest a Fuluij libro. ESSE } abest a Fuluij libro. ILLA *minima*, } Ea, in Non. Marcello. LVCE *lucebat aliena*. } Lunam significat, lucem a Sole mutuantem. TERRAE *magnitudinem* } sic tres mei. IAM *uero, ipsa terra* } Vero, abest a duobus. CONNEXA } non displicet, Conuexa, ut est in quibusdam scriptis libris. INFIXI *sunt* } Sunt, abest ab uno. Insunt fixi illi, qui uoluuntur, stellarum cursus septẽtrioni. SEPTEM, } nam nonus terra non mouetur. CONTRARIO *motu, atque caelum.* } Contra caelum, Fuluii liber. PROSPERVS, } ita legendum ex duobus meis, & Prisc. lib. VI. non, Prosper, ut antea. MARTEM *dicitis*; } Martium, unus. ET *temperatio*, } Et moderatio, unus. ILLVSTRET, *& compleat*. } absunt ab uno, Illustret, et. CONSEQVVNTVR } Sequuntur, unus. ET *in eam feruntur omnia nutu suo pondera*. } duo, Et in eam feruntur omnia suo nutu pondera. unus, Et omnia feruntur in ea nutu suo pondera. QVIS *hic, inquam, quis est*, } duo, Quid hic inquam quis est. unus, Quid hic cumquam quis est. CONIVNCTVS } Iunctus, unus. *Interuallis coniunctus imparibus:* quia uidentur interualla disiungere potius, quam coniungere, uenit in mendi suspicionem nescio quis, cui placuit, Disiunctus, potius, quam, Coniunctus: non recte. nam, ut ex pluribus uocibus, iisq. diuersis, concentus fit suauissimus; sic ex interuallis imparibus coniungitur sonus ille caelestis, quo sibi aures compleri dicebat Scipio. PRO *rata portione* } Prō rata partium ratione, unus. Pro rata parte ratione, duo. STELLIFERI *caeli cursus*, } Caeli stellifer cursus, tres. uide Boetium lib. I. de Musica, cap. 27. placet, Stelliferi. feruntur enim stellae summo caelo, cuius complexu reliqui continentur orbes. DVORVM, } subaudi, Mercurii, & Veneris. quod cum glossema fuerit, irrepsit, ut a Cicerone dictum, in libros impressos. Censorinus in libro de die Natali. MODVS *est*. } ne dissoluantur. alii, Modus: quo modo unus meus. male. APERVERE } Aperuerunt, duo. AD *hunc locum*; } In hunc locum, tres. HOC *sonitu* } idem Aristoteles in libro de somniis. COMPLETAE } Oppletae, unus. AVRES *obsurduerunt:* } Aures hominum obsurduerunt, duo. CATADVPA } Plinius lib. V. cap. 9. Catadupi etiam gens Arabiae; idem lib. VI. cap. 29. QVAE *illum locum accolit*, } Quae illum accolit locum, duo. Quae illum locum incolit, unus. ETIAM *nunc* } licet me audias, longe praestantiora narrantem. ITA *uidetur*; } Ita, abest ab uno. TV *enim quam celebritatem sermonis hominum, aut quam expetendam consequi gloriam potes*? } hoc dicit: Nullam neque celebritatem sermonis hominum, neque gloriam, quae sit expetenda, si terrae paruitatem; caelorum magnitudinem spectes, consequi potes. Cur locus hic aut mutari, aut aliter intelligi debuerit, equidem non intelligo. CONSEQVI *gloriam:* Gloriam consequi, duo. VIDES *habitari raris, & angustis in terra locis*, } duo, Vides in terris habitari raris, & angustis in locis. unus, Vides habitare in terra raris, & angustis in locis. MANARE *possit*, } Queat, unus. Manere, duo. TRANSVERSOS, } sic unus. Aduersos, duo. ADVERSOS } aduersis uestigiis stantes contra nostra uestigia, unde Antipodes dicti. Acad. lib. II. NIHIL *ad uestrum genus:* } non enim aut uos ad illos, aut illi ad uos commeandi facultatem habent. uerum hoc fuit Ciceronis aetate, non item. CAVCASVM *hunc*, } quia propior caelo uidebatur, cum sit mons altissimus, quam Ganges fluuius. TRANSNARE. } Trasnatare, duo. OBEVNTIS *Solis* } Sic tres. Abeuntis, alias. QVI *de nobis* } Vobis, duo. NOSTRVM, } Vestrum, duo. NOMEN *nostrum* } Vestrum, tres. POPVLARITER } Leg lariter, unus. Loquelariter, Langius. Ioculariter, Turnebus. VERE *uertens annus* } quasi non uere Vertens is sit annus, qui appellatur lib. II. de Fin. & Censorinus. QVANDOQVE *eadem parte Sol, eodemq. tempore iterum defecerit*, } constat, accipi Quandoque non posse, pro Interdum. nam Quandoque, pro Interdum uno uerbo contentum esset. At Quandoque, pro Quandocumque, duo requirit. itaque sequitur: Expletum annum habeto. Nec tamen insolens est in hac significatione. Horatius Od. lib. IV. od. I.

-- quandoque potentior
Largis muneribus riserit aemuli. &c.

Et ibidem, od. 2.

-- quandoque trahet feroces
Per sacrum diuum, merita decorus
Fronde, Sicambros.

Suetonius, in Iulio. Tabula aenea in monumento inuenta est, conscripta litteris, uerbisq. Graecis, hac sententia. Quandoque ossa Capys detecta essent, fore, ut Iulo prognatus manu consanguineorum necaretur. Liuius, lib. I. ab V. C. Quandoque pars maior eorum, qui aderant, in eandem sententiam ibat, bellum erat consensu fieri solitum. &c. Et L. Soluto matrimonio, 2. ff. sol. matrim. Dotis actio, filiae non erit adempta, quandoque sui iuris filia fuerit facta. Et L. Si fundus, 13. de reb. eor. qui sub tut. Quandoque domino praedium cum fructibus uindicanti doli non inutiliter opponitur exceptio, &c. Et L. In substitutione, 31. ff. de uulg. & pup. Quaeritur, quisquis heres, quandoque fuerit, intellegatur? Et L. Is cui ita, 18. ff. quando dies leg. uel fideic. ced. Is, cui ita legatum est, quandoque liberos habuerit, &c. Et L. Rogo, 29. ff. eod. Rogo, quandoque heres meus Titio decem det, utique decem heres debebit. Et L. Quod pupillae, 30. ff. eod. Quod pupillae legatum est, quandoque nupserit, &c. Et L. Continuus, 137. §. item qui, ff. de uerb. obl. Liberatur, qui se daturum spopondit, si quandoque tradit. Quo in loco 70 Si abundare puto. Et L. Et per iusiurandum, 13. ff. de Acceptilat. Quandoque ei creditum fuerit, tenetur. In Institutionibus item Iustiniani, lib. 3. tit. 15. Quibus modis re contr. oblig. legendum, Et quandoque nobis non eaedem res, sed aliae eiusdem naturae, & qualitatis redduntur: inde etiam Mutuum appellatum est. Non, ut in uulgatis, Et quoniam &c.

In

In antiqua quoque Inscriptione idem loquendi genus obseruaui, cuius exemplum sequitur.

Brundisij, extra Vrbem.

M . LOLLIVS . ARPHOCRAS
V . F . S . ET . PAELINAE . VXORI
V . ET . LIB . LIBERTAB . POSTQ
EORVM . M . S . S . E . H . N . S .
NEQVE . VLLI . LIQVEBIT . LOCATIO
NIS . CAVSA . IN . ANNIS . CENTVM . QVAN
DOQ . TRANSVENDERE . QVOD . SIQVI
ADVERSVS . IT . FECERINT . EORVM
BONA . PERTINERE . DEBEBVNT
AD . REMPVBLICAM . BRV . N
DISINORVM.

Neque solum, Quandoque, pro, Quandocunque, sed & Vbique, pro, Vbicunque, scriptum apud ueteres obseruaui. L. In Lege fundi, 77. ff. de contr. empt. In lege fundi uendundi lapidicinae in eo fundo, ubique essent, exceptae erant. Et L. Quod nisi fiat, 20. ff. de oper. libert. Non esse iniungendam necessitatem liberto, ubique eum sequi. *Iterum defecerit*: quod futurum est, ut ait Macrobius, quindecim annorum millibus ab interitu Romuli. Quando ab eadem parte Solis, unus. Quando ab eadem parte Sol, unus. AD *idem principium*, § Idem, non est in tribus. ALTE *spectare* § ord. praep. unus. AD *hanc sedem*, § Ad, non est in tribus. AETERNAM *domum* § Domus aeterna, alibi dicitur Monumentum.

DOMVM . AETERNAM
IVLIA . AGAPAE . POSVIT
OBSEQVENTI . MARITO

Est & antiqua inscriptio de Domo aeterna, in Orthographia mea, in LACRVMAE, 3. in Insula Tiberina. & in, PAVLVS, 10. Montisplani, in agro Brix. ad D. Antonij. Ditis aeterna domus in LETVM, 1, in aedibus Atilij Delphinij.

NEQVE *sermonibus uulgi dederis te*; § Te, abest ab uno; in quo, Dedideris. duo, Neque te sermonibus uulgi dederis. SVIS *te illecebris, oportet*, § duo, Suis te oportet illecebris. unus, Suis tamen te oportet illecebris. O . AFRICANE, § O, abest a tribus. QVASI *limen* § Limes, tres. PATRIS, § Paulli. TVIS, § Tui, duo. PROPOSITO, § Expositio, tres. NEC *enim ises, &c.* § eadem sententia est Platonis in Axiocho: Ἡμεῖς μὲν γὰρ ἐσμὲν ψυχὴ ζῶον ἀθάνατον. &c. DEMONSTRARI § Monstrari, duo. QVI *prouidet*, § sic mei. Alias, Praeuidet. PRINCEPS *ille* § ord. praep. unus. IPSVM *mundum* § Ipse mundum, unus. Ipsum, abest ab uno. QVOD *semper mouetur*, § ex Phaedro Platonis. uide Cic. Tusc. 1. Male Macrobius ex Phaedone sumpta haec scribit. AGITATVR *aliunde*, § Agitat alicunde, unus. QVOD *sese mouet*, § Quod se ipsum mouet, unus. PRINCIPIO *autem* § Principii, unus. NVLLA *exre*. § Nulla ex alia re nasci potest, unus. Nulla ex re alia fieri, nasciue potest, unus. Ex nulla alia re nasci potest, unus. NEC § Neque, unus. Nec enim id esset princ. duo. HOC *princip.* § Id, pro, Hoc, unus. ALIVD *creabit*: § Aliquid, unus. OMNIA *oriri* § Oriri omnia, tres. A *se*, § Ex se, unus. OMNISQ. *natura consistat*, § Omnisq. natura & consistat, unus. Consistat, abest ab uno. *Omnisq. natura*: Πάσαν τέχνην, Plato in Phoedro. Vnde sunt, qui Terra, pro, Natura, reponant. Ego nihil muto. nec mutant ueteres libri. mos hic enim Ciceronis est, ut Graecorum sententias paullo liberius in sua scripta transferat. QVA *primo impulsu moueatur*. § Qua mouetur a primo impulsu moueantur, unus. Quae a primo impulsu remoueatur, unus. Quae a principio impulsu moueatur, unus. INANIMATVM § Inanium, unus; male. In anima, unus: male. Inanimum, legendum. ANIMA *est*, § Est anima, duo. Est animal, unus. ANIMAE, § Animi, alias. VELOCIVS, § sic in nostris libris ante me natum legitur. sicq. tres mei. A *corpore abstrahet*. § discere rationem aperiendi aditus ad caelestem uitam. EGO *somno statim solutus sum*. § Statim, abest a tribus.

FINIS.

Venetiis, ex Typographia Georgii Angelerii
Sumptibus Mag. D. Aldi Mannuccii
M. D. LXXXI.

Landesbibliothek Oldenburg

INDEX
RERVM·ET·VERBORVM
LOCVPLETISSIMVS

Quae in hoc volumine continentur.

A

ABduci a rebus agendis studio veri vestigandi contra officium est. 24
aberrare—danda opera est, vt, si aberrare ad alia coeperit, ad haec reuocetur oratio. 62
abhorrere a litibus. 105
abhorrentes ab vsu forensi, & publico loco. 233
abiicere se, atque prosternere—— sit te proijcies atque prosternes, &c. 239
abiecta omni cunctatione. 41
abiectior est animus in quibusdam. 220
abrogare alicui imperium. 129
abstergere—— absterſit omnes senectutis molestias. 161
abstinens—laudat Africanum Panaetius, quod fuerit abstinens. 110
absum propius a morte, quam vos. 194
abundamus domesticis exemplis. 239
abundare omnibus copijs. 124
abundans——egens, opp. 251
academia nostra nobis magnam licentiam dat. 124
academici alia probabilia, alia improbabilia esse dicunt. 78
academici non multum a Peripateticis dissident. 9
academici veteres, & Peripatetici, honesta anteponunt vtilibus. 124
accessio—decessio—opp. 121
accipere calamitatem in bello. 152
accipere in ciuitatem. 28
accipere iniuriam—at vero ille, qui accipit iniuriam, & meminit, & praeſefert dolorem ſuum. 111
accepti regio apparatu. 256
acceptius—nihil est deo, quod quidē in terris fiat, acceptius, quā concilia, coetusq. hominum iure ſocietatis, quae ciuitates appellantur. 256
acceptorum beneficiorum dilectus, ſeu delectus ſunt habendi. 34
acceptorum, & datorum ratio par ſit. 220
accommodare tempus, orandae liti. 149
accubationem epularem amicorum, conuiuium nominarunt Romani, melius, quam Graeci, qui tum compotationem, tum concenationem vocant, quia vitae coniunctionem haberet. 179
accuſare alterum non oportet, niſi aut reip. cauſſa, aut vlciſcendi, aut patrocinij. 98
accuſatio—duri hominis, vel potius vix hominis videtur periculum capitis inferre multis. 96
accuſatio perſaepe probata est, vt in Craſſo, Antonio, Sulpicio. 98
accuſator—tum periculoſum ipſi ē, tum ſordidum ad famam, committere, vt accuſator nominere: quod contigit M. Bruto, ſummo genere nato, &c. 98
acquieſcere—viciſſim ſenes in adoleſcentium caritate acquieſcimus. 231
acres animaduerſores vitiorum. 65
acriores ſunt morſus intermiſſae libertatis, quam retentae. 88
actio—in omni actione ſuſcipienda tria ſunt tenenda. 64
actio—omnis actio vacare debet temeritate, & negligentia. 52
actus—— non est veriſimile, cum a natura ceterae partes aetatis bene deſcriptae ſint, extremum actum, tanquam ab inerti poeta, eſſe neglectum. 163
actum cum illo optime est: mecum autem incommodius. 207
actum est cum illo praeclare. 207
acta agimus, quod vetamur vetere prouerbio. 220
acuere—— duae res, quae languorem afferunt ceteris, illum acuebant. 119
addi—— demi, opp. 236
adhibenda cura est laxitatis in domo. 63
addictus morti. 129
addiſcentem multa in dies ſeneſcere. 185
addubitare in rebus aliquibus. 123
adducere alterum in inuidiam falſo crimine. 147
adducere habenas——remittere. 217
adduci nullo frigore poſſe, vt, &c. 174
adducta res in angustum. 210
adelphi—— duo fratres diſſimilibus moribus. 191
ades animo, & omitte timorem. 256
adhibemus quaedam tormenta. 128
adhibuit in conſilium quindecim principes. 112
adhibere ad conſiderandas res & tempus, & diligentiam. 24
adhibere curam in ouibus, & capris parandis, in amicis eligendis negligentes. 222
adhibere doctos homines debemus ad ea eligenda, quae dubitationem afferant. 65
adhibere iudicium, & diligentiam debemus in deligendis idoneis, quibus benigne faciamus. 105
adhibere modum, & ordinem ijs rebus, quae tractantur in vita. 23
adhibere orationis vanitatem. 141
adhibere periculoſas curationes, & ancipites grauioribus morbis. 45
adhibenda diligentia est amicitiis comparandis, vt nequando amare inciperemus eum, quem aliquando odiſſe poſſemus. 220

Landesbibliothek Oldenburg

Adhibenda est reuerentia optimi cuiusque & reliquorum. 51
adhibenda fortassis sacuitia est ijs, qui imperio oppressos coercent, vt heris in famulos. 87
adhibenda in hac re ratio, & diligentia est. 229
adhibenda maior quaedam cura est, si erunt merita erga nos, &c. 340
adegit illum, arbitrum. 142
adipiscentur magnam & gratiam, & gloriam cum summa vtilitate reip. 113
adiuuare iniuriam —— non modo non repellere, sed etiam adiuuare iniuriam. 145
adiuuaretur grandi pecunia. 112
adiumenta hominum omnis institutio vitae desiderat. 94
adiumenta rerum gerendarum habere a natura. 41
adiutores ad iniuriam. 215
adminiculum —— natura semper ad aliquid tamquam adminiculum adnititur. 229
adminiculorum ordines. 185
admirabilitatem magnam facit haec animi despicientia. 93
admirantur homines ea omnia, quae magna, & praeter opinionem suam animaduerterunt. 93
admiratione afficere. 93
admouentur dolorum faces —— dolorum cum admouentur faces, praeter modum plerique exterrentur. 93
adolescentia —— cum est maxima imbecillitas consilij, 58
adolescentia libidinosa, & intemperans effetum corpus tradit senectuti. 172
adolescentia maxime a libidinibus arcenda est, exercendaque in labore, patientiaque & animi, & corporis. 59
adolescentia multo plures, quam nostra, mortis casus habet. 191
adolescẽtia—petulãtia, etlibido magis est adolerentium, quam senum, nec tamen omnium adolescentium, sed non proborũ. 175
adolescentia saepe in ea, quae non vult, incurrit. 170
adolescentiae certa sunt studia. 194
adolescentiae non modo non inuidetur, verum etiam fauetur. 96
adolescens, in quo senile est aliquid, probandus: & senex, in quo aliquid adolescentis. 175
adolescens sperans se diu esse victurum, insipienter sperat. 192
adolescentis est maiores natu vereri. 59
adolescenti prima commendatio ad gloriam, si qua ex bellicus rebus comparari potest. 190
adolescentes facilius in morbos incidunt, grauius aegrotant, tristius curantur. 191
adolescentes sic mori uidentur, vt cũ aquae multitudine flammae vis opprimitur. 192
adolescentibus vitam vis aufert, senibus maturitas. 192
adstricti iureiurando. 29
aduersum solem intueri nequimus. 257
adulterare——assentatio iudicium veri adulterat. 229
adumbratae, & fictae res——in scena rebus fictis, & adumbratis loci plurimum est. 229
aduocatum te in rem praesentem esse venturum constituere. 28
aeacus & Minos iusti fuisse dicuntur. 51
aeacidarum genus. 29
aedes male materiatae, ruinosae. 140
aedes pestilentes —— salubres. 140
aedificandi descriptio ad vsum ac commodanda est. 63
aedilitatis praetermissio Mamerco diuitissimo homini consulatus repulsam attulit. 102
aedilicio maximo munere qui functi sint. 102
aegina nimis imminuebat propter propinquitatem Pyraeeo. 138
aeginitae —— Athenienses sciuerunt, vt Aeginetis, qui classe valebant, pollices praeciderentur. 138
aemilius Papus Clusenio familiaris bis vna coss. & collegae in censura. 215
aequabile, & temperatum orationis genus. 9
aequabilis praedae partitio. 94
aequabilitas cum vniuersae vitae, tum singularum actionum. 57
aequabilitas in omni vita praeclara, & idem semper vultus, eademq. frons, vt de Socrate, itēq. C. Laelio accepimus. 48
aequabiliter praedam dispertire. 94
aequitas lucet ipsa per se. 28
aequitas tollitur omnis, si habere suum cuique non licet. 110
aequus, facilis, multa de suo iure concedens in omni re contrahenda. 105
aerarij —— eos in aerarijs reliquerunt censores. 29
aerumnosus —— M. Regulus non fuit aerumnosus. 239
aes alienum consule Cicerone fuit maximum, & optime dissolutum. 112
aesopus non saepe Aiacem sumebat. 57
aestimatores rerum callidi. 251
aetas —— cursus est certus aetatis. 174
aetas ingraueſcens. 164
aetas quiete, pure, atque eleganter acta. 166
aetate ingraueſcente. 215
aetatum omnium certus est terminus. 192
aethereum est id, quod a seipso mouetur. 258
aetionis tabula stupidum detinet. 248
affabilitas sermonis magnopere conciliat animos. 98
affecta aetas. 179
afferre caussam—hanc, vt sibi ignoscerem, caussam afferebat. 215
afferre dubitationem—quid est ergo, quod nonnumquam dubitationem afferre soleat, considerandumq. videatur? 124
afferre manus socio. 25
afferre manus magistratibus. 242
afferre vim. 213
afferre opinionem populo, fore, &c. 98
afferendum semper aliquid est ad communem vtilitatem. 35
afficiunt admiratione alios ij, qui anteire ceteros virtute putantur. 93
affirmate —— quod affirmate, quasi deo teste, promiseris, id tenendũ est. 154
afflictis rebus —rebus afflictis ex celso animo fuit populus Rom. 156
africanus eloquentia cumulauit bellicam gloriam. 58
africanus maior, Africanus Iunior. 239
africanus nihilo locupletior Carthagine euersa. 110
africani dictum —— vt equos propter crebras contentiones proeliorum, &c. sic homines secundis rebus effrenatos, &c. 48

Landesbibliothek Oldenburg

Index

africani liberalitas, qui Paulli heredit. Q. Maximo fratri partem suam concessit. 239
africanum laudat Panaetius, quod fuerit abstinens. 110
africanus P. Fil. in re militari excellere studuit. 58
agamemnon deuouit Dianae, quod in regno suo pulcherrimum natum esset illo anno &c. 151
ager Arpinas. 25
ager cõsaeptus diligenter consitus. 188
ager Tusculanus. 25
agri colendi studium, nihil tam regale, quam studium agri colendi. 188
agri fossiones, & repastinationes. 185
agro bene culto, nihil potest esse nec vsu vberius, nec specie ornatius. 187
agros fertiles imitari debemus, qui multo plus afferunt, quam acceperunt. 34
agrariae contentiones Gracchos perdiderunt. 112
agricola quamuis sit senex, non dubitat quaerenti cui serat, respondere Dijs immortalibus. 170
agricolarum voluptates. 185
agricultura laudatur a Xenophonte in eo libro, qui est de tuenda re familiari. 188
agricultura nihil melius, nihil vberius, nihil dulcius, nihil homine, nihil libero dignius. 66
aggrediar dicere de ijs rebus, &c. 77
agin regem Lacedaemonij, quod numquam antea apud eos acciderat, necauerunt. 111
agitatio studiorum. 170
agere considerate — considerate agere pluris est, quam cogitare prudenter. 70
agere — cũ publicanis sic debent agere ciuitates, vt nos cum colonis solemus. 150
agere cuniculos in aerarium. 150
agere — nihil agi debet, cuius non possis caussam probabilem reddere. 52
agere suum negotium. 28
agere triumphum — cum triumphum egeris, &c. 256
agatur caput, aut fortuna. 220
agrestes — si mihi apud aliquos agrestes habenda esset oratio. 247
agrigentinorum multitudo vniuersa in Phalaridem impetum fecit. 89
aiax quo animo traditur, millies oppetere mortem, quam illam perpeti, (quae. Vlysses) maluisset. 57
alio loquenti dedicata ara. 121
alexander magnus rebus gestis & gloria Philippo patre superior facilitate, & humanitate ab eo superatus. 48
alexander Pheraeus ab vxore propter pellicatus suspicionem interfectus. 89
alexander Phaereus cum vxorem Theben admodum diligeret, tamen ad eam ex epulis in cubiculum veniens, barbarum quendam districto gladio iubebat anteire. 88
alienatio disiunctioque statim facienda. 226
aliud agentes, aliud simulantes, perfidi, improbi, malitiosi. 141
allegare aliquem ad aliquos. 233
allicere, atque excitare hominum studia ad vtilitates nostras. 142
allicere multitudinis animos ad beneuolentiam. 98
aluntur, & augẽtur cogitatione, & memoria. 232
amare nihil aliud est, nisi eum ipsum diligere, quem ames, nulla indigentia, nulla vtilitate quaesita. 231
amare ita oportere — vt si aliquando esset osurus — Biantis. 220
ambitio honorumque contentio misserrima est. 46
amica — amica Alcibiadis corpus cius texit amiculo suo. 41
amicitia bonam spem in posterum praelucet. 210
amicitia — de amicitia alio libro dictum est, qui inscribitur Laelius. 92
amicitia digni sunt, quibus in ipsis caussa est, cur diligantur. 226
amicitia ea iucundissima est, quam morum similitudo bonorum coniugauit. 37
amicitia & secundas res splendidores facit, & aduersas partiens, communicansque, leniores. 210
amicitia — haud scio, an, excepta sapientia, quidquam sit homini amicitia melius a Dijs immortalibus datum. 210
amicitia hoc praestat propinquitati, quod ex propinquitate beneuolentia tolli potest, ex amicitia non potest. 210
amicitia — in amicitia, nihil fictum, nihil simulatum est: & quidquid est, id verum, & voluntarium est. 213
amicitia — lex prima in amicitia sancienda, vt neque rogemus res turpes, neque faciamus rogati. 217
amicitia — praecipiendum in amicitia, ne intemperata beneuolentia (quod persaepe fit) impediat magnas vtilitates amicorum. 226
amicitia nihil aliud est, nisi omnium diuinarum, humanarumque rerum cum beneuolentia, & caritate consensio. 210
amicitia — in amicitia debet esse omnium rerum, consiliorum, voluntatum sine vlla exceptione communitas. 220
amicitia — nihil est tam naturae conueniens, tam aptum ad res vel secundas, vel aduersas. 210
amicitia non nisi in bonis esse potest. 210
amicitia — non vtilitatem amicitia, sed vtilitas amicitiam sequitur. 220
amicitia nullo loco excluditur. 210
amicitia numquam intempestiua, numquam molesta est. 210
amicitia oritur a natura potius, quam ab imbecillitate. 213
amicitia — plurimum in amicitia amicorum bene suadentium valeat auctoritas. 217
amicitia serpit per omnium vitam. 228
amicitia — solem e mundo tollere videntur, qui amicitiam e vita tollunt. 217
amicitia tota, veritate perpenditur. 229
amicitia — tres sententiae de finibus diligendi, quarum nullam probat Laelius. 220
amicitia virtutum adiutrix a natura data est, non vitiorum comes. 228

Landesbibliothek Oldenburg

amicitia——ultimum in amicitia putauit Pythagoras, si vnus fiat ex pluribus. 35
amicitia—de amicitiae vtilitate omnes vno ore consentiunt. 228
amicitia vtrum propter imbecillitatem atque inopiam desiderata sit, necne, &c. 213
